UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione

Bucer, Martin

Genevae, 1613

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Visual Library

Th. 6138.

ILLVSTRI ET GENEROSO COMITI ET DOMINO, DOMINO HENRICO LVDOVICO COMITI IN *Nassav, Catzenelenbogen, Viandem & Dietz, Domino in Beilstein, &c.* S.

NOn est fermè quisquam rerum pręteritarũ cognitione adeò leuiter tinctus, Illustris ac Generose Comes, qui nesciat quanta seculo post natum Christum decimoquinto rerũ ad Religionem spectantium in orbe Christiano conuersio facta sit, in Germania præsertim Europæ florentissima parte, & Romani Imperij sede amplissima. Etenim postquam noluit clementissimus rerũ conditor homines ambitioni & auaritiæ mancipatos Veritatem suam in iniustitia diutiùs detinere, cõplures Potentissimos Germaniæ Principes eo seculo excitauit Deus, qui à viris pietate & doctrinâ insignibus admoniti, de Religionis Reformatione seriò cogitare cœperunt, ac doctissimorum hominum, qui solùm bonæ conscientiæ lucro ducebantur, exquisitis & intellectis sententiis superstitioni ac idololatriæ Pontificiæ renuntiarunt, atque eorum quæ Sacerdotum inscitiâ aut improbitate in Religionem inuecta erant, emendationem amplexati sunt. Inter eos etiam fuit Hermannus Archiepiscopus Colonienſis Sacri Imperij Elector, ex Illustri Veidensium Comitum familia ortus, qui adscito auditóque Martino Bucero, aliisque præcellentibus Theologis consultis, piam Deliberationẽ de Christiana Reformatione instituit, eámque scripto consignatam in lucem edi curauit; atque ex eius præscripto Reformationis negotiũ quoad in ipso fuit, imminente inde Carolo V. Cæsare, inde Pontifice Romano fulminante, ac Clerũ Colonienſem in suum Præsulem accendente, in sua ditione promouit, totúsque in eo fuit, vt populo sibi commisso salutis adminicula suppeditaret, & lucem veræ Religionis, discussis errorum tenebris affulgere curaret. Nec eum penitus deseruit laboris effectus, adeò multi Principis optimi medente consilio & exemplo, ex cæco superstitionis morbo reualuerunt; licet vniuersi Ordines cœlestem lucẽ non tulerint: Capitulum siquidem Colonienſe, quod priùs Reformationis studio duci videbatur, Pontificiis facibus incensum Archiepiscopi cœptis obsistere & Reformationi repagula opponere cœpit, scripto Antididagmatis titulo aduersus Consultoriam sui Primatis Deliberationem euulgato. Cuius accuratam refutationem suscepta Christianæ Reforma-

tionis quam moliebatur Colonienſis Præſul defenſione, concinnauit Martinus Bucerus. Eam hactenus typis non editam præclari cuiuſdam viri, penes quem erat autographum, beneficio conſecutus, publici iuris facere inſtitui, vt quæ domeſticorum Buceri limen non erat egreſſa, fieret communis domeſticorum fidei. Ac licèt ſola editionis opera mea ſit, opus verò alienum, Illuſtri tuę Generoſitati hoc quicquid eſt ſcriptionis conſecrare auſus ſum, tenamque præſtantię auctoris potiùs quàm tenuitatis editoris in hac dicatione rationem habiturum ſperaui. Siquidem auctor eſt Martinus Bucerus Theologus Germanus cum paucis comparandus, dotibus ingenij, pietatis & eruditionis adeò excellens, vt non tantùm Germaniæ ſummatibus viris gratus, ſed etiam Eduardo VI. Anglorum Regi acceptus fuerit. Qui hoc in opere tātùm non Hermanni Electoris laudabile inſtitutum propugnat, verùm cæterorum quoque Principum, quos pulſis Pontificiis tenebris, illibatæ Religionis radiis & caſtæ veritatis larga luce perfudit Deus, cauſam communem tuetur. Quis verò neſcit Naſſouios Proceres inter eos conſpicuum locum iure meritóque obtinere: qui & ſuę ditionis hominibus veritatis cœleſtis ſplendorem procurant, & viros eruditos fouent, qui ſtylum Mercurij in falſiloquos Pontificiæ doctrinæ propugnatores ſtringant, dum & ipſi ſtylo Martis litem cernunt & armis. E quorum illuſtri & antiqua proſapia tot orti Scipiadæ & magnanimi Heroës, tot fulmina belli Pontificiis terrorem incutiētia. Acceſſit quòd T.G. cœleſtium rerum ſtudium & diſciplinas viro Principe dignas magnificare fama vulgauerit, teſtetúrque vox eorum conſentiens, quibus te Gētilitia bona magnæ Stirpis præferentem cernere, admirari, & propius venerari datum fuit: quorum ea eſt aſſeueratio in T.G. explendeſcere characterem Illuſtrium Domus Naſſouicæ Dynaſtarum, qui fortitudine & armis inclyti, pietate quoque & in literas literatóſque propenſione inſignes feruntur: qui cæteros mortales in admirationem, Te verò in imitationem trahunt vltro ſequentem, & Heroicę indolis inſtinctu, & præſtantiſſimi tui Ephori D. Philippi Streiff à Lauvenſtein viri genere, prudentiâ & eruditione eximiè pollentis, hortatu ductúque. His itaque fretus T. G. interpellare auſus fui, ac ſub eius auſpiciis hoc opus in lucem emittere: qua in re ſi quid nimiâ audaciâ ſortis meę tenuitatem non ſatis conſulens deliquerim, condonet quęſo tua Heroica Humanitas: Ipſe interea Diuinam ex animo precabor Clementiam, vt T.G. incolumem, ac totam Illuſtrem Domum Naſſouicam florentem conſeruet. Aurel. Allobrogum ann. Chriſt. M. D C. XIII. Idib. Februarij.

Illuſtri tuæ Generoſitati
addictiſſimus

ALEXANDER PERNETVS
Typographus.

PIO LECTORI

P. IN DOMINO IESV

S.

GRANDE illud reformationis Ecclesiasticæ beneficium tam ardentibus votis à piis exoptatum, huic & superiori seculo à Dei clementia concessum, cùm toto pectore amplecti debuissent omnes, quibus demandata domus Dei cura & corporis Christi ædificatio, factum est vt qui hominibus contra Deum crediderant, Deo contra homines nollent credere. Ac sicuti filius è sinu Patris, sese recipiendum & in se salutem hominibus cùm offerret, veritatis censuram refugientes Pharisæi quæsiuerunt, Qua autoritate hæc facis? Idem factum his seculis. Cùm oportuisset vocem Dei & Filium ipsius è cœlo in S. Scripturis loquentem ab omnibus attendi: vt ab illo audiendo animi hominum auerterentur, vitilitigatores in Pastorum vocatione contentionem quæsiuerunt. Deus verò, ne quid omitteret quod faceret ingrato mundo percellendo, ex eorum numero passim excitauit, quorum autoritati nihil deesset eorum, quæ vocationem apud illos ratam faciunt, & illi pondus addunt: ita vt quibus salus sua futura est cordi, nil habeant cur moras nectant, nec sit reliquis quod peccato suo prætexant. In ampliſsimo regno Magnæ Britanniæ, reformata est Ecclesia, non tantùm Sereniſsimorum Regum zelo & autoritate (quod factum in regnis Daniæ, Sueciæ, Nauarræ, & ab Illustriſsimis Imperij Electoribus, aliisq; Principibus Germaniæ) verùm etiam Episcoporum & Archiepiscoporum operâ. Atque vt omittam Gentes illas quæ totæ Euangelium sunt amplexæ: in Germania, Galliis, Pannonia, passim excitauit Deus Episcopos, Archiepis. opos, etiam ex Cardinalium ordine, Illustriſsimos Principes Herman-

num & Gebhardum S. Ro. Imperij Electores, Archiepiscopos Colonienses: Odetum Colinium Cardinalem, Episcopum Bellouacensem, Archiepiscopos Marillacum Viennensem, Sanromanum Aquensem: Episcopos Io. Ant. Caraciolum Principis Melfitani F. Tricassinum, Io. Barbansonum Apameensem, Carolum Gillarium Carnutensem, Paulum Vergerium Iustinopolitanum, & alios qui Protestantium doctrinam publicè amplexati, eam quisque in sua diœcesi constituere omni ope sunt conati. Cùm verò Illustrissimus Princeps & Elector Hermannus Archiepiscopus Colonienſis scripto publicè notas fecisset causas & modum Reformationis à se optatæ: Ei se opposuerunt Canonici Colonienses. Illorum exceptionibus respondit vir ab eruditione & pietate nunquam satis laudatus Martinus Bucerus: cuius scriptum cùm delituisset hactenus, nunc verò nacti essemus, ex ipsius autographo descriptum Illustrissimi Electoris Hermanni scripto coniungere, & publici iuris facere visum est, ne tam vtili opere, pietatis & veritatis amantes fraudarentur. Illo itaque fruere, benigne Lector, ad Dei gloriam & tui salutem.

INDEX

INDEX
HVIVS APOLOGIAE
CVM BREVI ANNOTATIONE PRAECIPVORVM ARTICVLORVM, SIVE CAPITum in ea contentorum.

Prior numerus paginam, secundus caput indicat.

DE Ecclesię Catholicæ doctrina, & in quo illa cõtineatur pag. 27.1
Quæ sit fides & obseruatio veteris Ecclesiæ de Traditionibus 34.2
De vero intellectu sacræ Scripturæ 46.3
De summa Christianæ doctrinę 57.4
De reliquiis peccati Originalis 58.5
De discrimine veteris & noui Testamenti 65.6
De timore seruili 72.7
De prędicatione pœnitentiæ 73.8
Quotuplex sit pœnitentia 74.9
Quæ sit vera prędicatio pœnitentiæ 76.10
De satisfactione pro peccatis 77.11
De Iustificatione hominis 84.12
Quid & quotuplex sit Iustificatio 85.13
De essentialibus partibus Iustificationis 86 14
De Iustificatione operum 89.15
De fiducia bonæ conscientiæ 90.16
De bonis operibus 95.17
Quæ sint habenda pro bonis operibus ibid.18
De peruersis ac præposteris conscientiis, facientibus peccatum, vbi nullum est, & contra 102.19
Quatenus Ieiunium sit bonum opus 103.20
Quomodo cultus præstari possit Deo temporalibus bonis, extruendo & ornando Templa, &c. 104.21
De bonorum operum pręmio & retributione 105.22
De Catholica Ecclesia ibid.23
Definitio Ecclesię sumpta ex S. literis 106.24
De signis Ecclesiæ 110.25
Tria signa Ecclesię 117.26
De vinculo vnitatis & vniuersitatis 118.27
De doctrina sine scripto Ecclesię tradita 120.28
De aliis signis Christianæ Ecclesiæ videlicet sacramentis 121.29
De septenario numero Sacramentorum ibid.
De Sacramentis in genere ibid.
De Impositione manuum apud Confirmationem, Absolutionem & Ordinationem ibid.30
Vtrum pœnitentia sit sacramentum, 123.31
Vtrum Oleatio sit Sacramentum 185. ibid.
Vtrum sacrum Coniugium sit sacramentum ibid.
Quare vnctio infirmorum sit prætermissa 126.33
De obedientia præstanda Curatoribus animarum 130 34
De Oratione, quid & quomodo orandum sit 132.35

De commemoratione bonorum nostrorum operum inter orandum ibid.36
De dubitatione inter orandum 133. 37
Quomodo Oratio interciderit 134.38
De legibus & ordinationibus Orationis 135.39
Quatenus Oratio sit honor ac cultus Dei ibid.39
De Veneratione Sanctorum 137.40
Quomodo sint honorandi Sancti 138. 41
De meritis Sanctorum 139.42
De intercessione Sanctorum 142.43
De inuocatione Sanctorum 143.44
Vtrùm inuocandi sint Sancti 143.44
Quomodo sint venerandi Sancti ibid. 45
Vtrum meritis Sanctorum fruamur 144.46
Vtrum Sancti pro nobis orent 150.47
De Veneratione Reliquiarum 154. 48
Abusus in Veneratione Reliquiarum 151.49
De Imaginibus 157.50
De Ieiunio 165.51
Ieiunare per se non est bonum opus ibid.
Ieiunare sine spontaneo ac per se incitante Spiritu, magis est hominum quàm Dei cultus ibid.
Quomodo teneamur ad Ieiunium ib.
De discrimine Ciborum ibid.
De merito Ieiunij ibid.
De ludibrio quod exercetur cum Horis in diebus Ieiuniorum ibid.
De triduano Ieiunio Pauli ibid.
De Catholica administratione Sacramentorum & Ceremoniarum in genere 168.52
De diuersitate Ceremoniarum ibid.
De administratione S. Baptismatis 174.53
De consuetudine interrogandi de nomine Infantis. 175.54
De exufflatione Baptizantis 176.55
De adiuratione salis 177.56
De adiuratione Diaboli 176.57
De Catechismo 181.53
De oleo & Chrysmate 183.59
De benedictione & Consecratione aquæ Baptismatis, & de Columna candelæ cereæ 184.60
De alba veste 185.61
De signis apud Baptismum in genere ibid.62
De peccato originali in infantibus 189.63
Quicquid ex carnali generatione prouenit, peccatum est ibid.
Quomodo peccata parentum imputentur filiis ibid.
Quàm grande peccatum sit, apud S. Baptisma indignè apparere ibid.
De Conditione apud Baptismum in necessitate 192.64
Qua lingua Baptismus sit ministrandus ibid.65
De Confirmatione 193.66
De sacra Cœna 196.66
De Transsubstantiatione ibid.
De reformatione Sacramenti ibid.
De conseruatione Sacramenti 205.67
Vbi sacra Cœna administranda sit, & de Communione apud ægrotos 211. 68.
De Veneratione, propositione & circumportatione sacramenti 214.69
De verò cultu ac veneratione Christi Domini in hoc Sacramento 215.70
De vera veneratione Christi Domini apud sacrosanctum Sacramentum 226.71
De vtraque specie in S. Cœna 228.72
Arguere Abusus, non est Condemnare Catholicam Christianam Ecclesiam ibid.
Panis & calix Domini sunt vnum & etiam duo Sacramenta ibid.
De dicto Cypriani Epistola 3. lib. 2. V-

tique

tiq; ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur ibid.
Refutatio duorum argumentorum, quibus Aduersarij conantur dimidiationem Sacramenti defendere 231.73
In quo consistat vnitas Ecclesiæ ibid.
Quatenus Ecclesia Christi potestatem habeat in S. Cœna ordinandi, moderandi & dispensandi 233.74
Alteram sacramenti speciem Christianis in genere auferre, grande sacrilegium est 242.74
De spirituali & sacramentali sumptione Sacramenti 244.75
De communione apud Missam 247.76
Refutatio illius quòd Aduersarij pro errore & abusu suo introducunt, quo Missam sine communicantibus celebrant 248.77
Vtrum missæ sine communicantibus celebrari debeant 251.78
Vtrum in vna & eadem congregatione, plures quàm vna Missa simul celebrari debeant 254.79
Vtrum reprehensibile sit sacræ Cœnę interesse, non tamen simul communicare. Et responsio ad eādem sumpta ex Scripturis & Sanctis Patribus 256.80.
De Eleuatione Sacramentorum 262.81
De aqua admiscenda Vino in Calice 264.82
De sacrificio Missæ. 265.83
An Celebratio S. Cœnæ sit, & commodè appelletur Sacrificium 266.84
Sacra Cœna iuxta scripturam non est dicenda Sacrificium 268.85
In quo consistat controuersia, quæ est inter veras Ecclesias Christi, earúmque aduersarios, de sacrificio S. Cœnę Domini 277.85
De nomine Missæ 279.86
De quatuor partibus Missæ, Doctrina, gratiarum actione, Oratione, & perceptione sacramentorum 280.87
De prima oblatione in Missa, panis & vini 281.88
De secunda oblatione, Gratiarum actionis & Orationis 285.89
Pro quibus in S. Cœna orandum, gratiæque agendæ sint, ac primò pro viuentibus 287.90
De memoria ac ratione nominū defunctorum sanctorum 288.91
De memoria defunctorum Christianorum laicorum 289.92
Solutio eorum quæ Aduersarij pro suffragiis defunctorum adferunt, ex sanctis Patribus 297.93
Quare liber Reformationis non ordinauerit, vt in S. Cœna commemoratio agatur defunctorum 30.942
De tertia Oblatione in Missa, nempe Christi Domini 308.95
Notabilis Confessio veritatis, quam Aduersarij in hac causa faciunt, verum reipsa & opere oppugnant 310.96
De quarta Oblatione in Missa 311.97
De applicatione Missæ 312.98
Quid controuersiæ sit hac in re inter Ecclesias Christi, & earum Aduersarios 313.99
In quo Aduersarij Christianos Doctores iustè aut iniustè accusent 314.100
De opere operato 317.101
De Consecratione sacramentorum 319.102
Vtrum verba quæ in vulgatis missis vsurpantur, mysterio S. Cœnæ rectè ac propriè quadrent 325.103
Examinatio Canonis, & manifesta demonstratio quàm impius sit 329.104
De Canone ac forma missarum, quæ

apud sanctum Dionysium & Chrysostomum reperitur 337.105
Forma administrationis S. Cœnæ vsurpata temporibus D. Chrysostomi, & ab eodem conscripta, homilia 18. in secundam Epistolam ad Corinthios 338.106
Apologia libri Reformationis contra reprehensiones Aduersariorum in negotio S. Cœnæ 340.107
De Pœnitentia, confessione & Satisfactione 346.108
Vtrum Pœnitentia siue Absolutio sit sacramentum à Domino institutum ibid.109
De auriculari seu secreta Confessione 347.110
De enumeratione peccatorum 358.111
De certificatione Remissionis peccatorum ibid.
De Satisfactione 366.112
De Pœnitentia & Excommunicatione 369.113
De vnica ratione & via excommunicandi ibid.
De Admonitione ante excommunicationem ibid.
De iis qui præter Pastorem ad excommunicandum delecti sunt ibid.
Quis debeat Excommunicare & vbi ibid.
Quatenus excommunicati debeant vitari. ibid.
Quas ob causas Christiana excommunicatio exercenda ibid.
Quomodo excommunicati soluendi ibid.
De Suffraganeo & Superintendente 378.114
De ordinatione & constitutione Pastorum 382.115
Vtrum Ordinatio sit sacramẽtum ib.
De Ordinibus ibid.
De ceremoniis circa Ordinationem ibid.
Quod ordinandi debeant doctrinam in libro Reformationis contentam confiteri, & in ea se permansuros spondere ib.
De sacro Coniugio 386.116
Vtrum Coniugium sit sacramentum ibid.
Quatenus Coniugium debeat prædicari ibid.
Vtrum secundæ quoque nuptiæ debeant in Christiana Ecclesia consecrari ibid.
De sponsalibus contractis inuitis ac nescis parentibus ibid.
De forma benedicendi nuptiis ibid.
De visitatione infirmorum, & vnctione extrema 392.117
Vtrum extrema vnctio sit necessaria, ibid.
Vtrum ęgroti non sint docendi, vt omnem fiduciam suam plenè ac firmiter in Christo collocent ibid.
Vtrum infirmi fidere debeant suffragiis Ecclesiæ, quæ facit pro iis post verum ex hac vita discessum ibid.
De communibus Ecclesiæ exercitiis, vt psallendo, orando & legendo, &c. 382.118
De septem Horis Canonicis ibid.
De diebus festis 399.119
De festo Natiuitatis & Assumptionis Marię. ibid.
De Ieiunio & delectu Ciborum 404. 120
De Gazophylacio, seu Arcula pauperum ibid. 121
De Scholis 405.122
De Cœlibatu sacerdotum. 410.123
Fundamentum ex verbo Dei, quare sacerdotibus Coniugium debeat relinqui liberum 411.124
Solutio argumentorum Aduersariorum, quæ ducunt ex loco Pauli 1. Cor. 7. Qui cœlebs est, curat ea quę sunt Domini, &c. ibid.
Solutio alterius argumenti, ducti ex dicto Pauli 1. Cor. 7. Ne fraudetis

vos inuicem , nisi si quid ex consensu, pro tempore, vt vacetis ieiunio & precationi ibid.
De secundis nuptiis sacerdotum ibi.
De Reformatione Collegiorum 426. 125
Vtrum Ordinatio Libri non sit fundata in scriptura & Canonibus ib.
Vtrum non sit Canonibus consentaneum, vt presbyteri ad prædicationem & administrationem sacramentorum : Diaconi verò & subdiaconi ad ministerium Eleemosynarum esse applicent. ibid.
Apologia eius quod nos Christianam gubernationem reseruantes, constituimus & ordinamus vt cura animarum per vocatos ad eam donatósque viros ritè administretur 431.126
De ministerio Diaconorum, & aliorum ministrorum Ecclesię pag.433
De Monachatu ibid.127
De Prospectione incorporatarum Parochiarum 434.128
De Procuratione Scholarum 435.129
De ministerio octo Prębendarum sacerdotalium 437.130
De peculiaribus officiis Collegiorum 438.132
De Vicariis 439.132
De coniugio Canonicorum 440.133
De distributione Collegiorum inNobiles & Ciues 441.134
De thesauris Collegiorum 442.135
De anno Residentię ibid.136
De libera ac simplici Christianę ordinationis ac Reformationis recusatione, facta ab Aduersariis 443.137
De Reformatione monasteriorum 444.138
De votis monasticis 445.139
Quo fuco conentur Aduersarij monasticis votis patrocinari ibid.
Fundamentum & ratio ex S. scriptura, quare nos vota monastica remiserimus 448.140
Responsio ad dicta S. Patrum de his votis 452.141
Summaria Recapitulatio Apologię de votis monasticis 459.142
Responsio ad alias quasdam criminationes obiter interspersas, contra propositam Reformationem Monasteriorum 460.143
De vocatione Buceri ad ministerium Euangelij in diœcesi Colonienśi 461
Iudicium Philippi Melanchonis, de libro Capituli scripto contra Reformationem Reuerendissimi Archiepiscopi pag.473

INDEX ALPHABETICVS
ARTICVLORVM, SEV CAPITVM
QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, secundus caput indicat.

A.

ABvsvs in veneratione Reliquiarum. 151. 49.
de Administratione S. Baptismatis. 174. 53.
Ægroti vtrum non sint docendi, vt omnem fiduciam suam plenè ac firmiter in Christo collocent ibid.
de Adiuratione Salis. 177. 56.
de Adiuratione diaboli. 177. 57.
de Admonitione ante Excommunicationē. 369. 113.
de Anno Residentiæ. 442. 136.
Apologia eius quod nos Christianam gubernationem reseruantes, constituimus & ordinamus, vt cura animarum per vocatos ad eam, donatósque viros ritè administretur. 431. 126.
de Applicatione Missæ. 312. 98.
de Aqua admiscenda vino in Calice. 264. 82.
Arguere Abusus, non est condemnare Catholicam Christianam Ecclesiam. 228. 72.

B.

BAptismus qua lingua sit ministrandus. 192. 65.
de Benedictione & Consecratione aquæ Baptismatis, & de columna candelæ cereę. 184. 60.
de Bonis Operibus. 95. 17.

C.

CAnonis examinatio & manifesta demonstratio quam impius sit. 329. 104.
Canonibus vtrum non sit consentaneum, vt Presbyteri ad prædicationem & administrationem Sacramentorum: diaconi verò & Subdiaconi ad ministerium Eleemosynarum esse applicent. ibid.
de Canone ac forma missarum quæ apud SS. Dionysium & Chrysostomum reperitur. 317. 105.
de Cathechismo. 181. 58.
de Catholica administratione Sacramentorum & Ceremoniarum in genere. 168. 52.
de Catholica Ecclesia. 105. 23.
de Ceremoniis circa ordinationem. 382. 115.
de Ceremoniarum diuersitate. 168. 52.
an Celebratio S. Cœnæ sit, & commodè appelletur Sacrificium, 266. 84.
de Chrysmate & Oleo. 183. 59.
de Ciborum discrimine. 165. 51.
de Cœlibatu Sacerdotum. 410. 123.
de Collegiorum distributione in Nobiles & Ciues. 441. 134.
de Collegiorum Thesauris 442. 135.
de Collegiorum Reformatione. 426. 125.
de Commemoratione bonorum nostrorum Operum inter orandum. 132. 36.
de Communione apud missam. 247. 76.
de Communibus Ecclesiæ exercitiis, vt psallendo, orando, & legendo &c. 882. 118.
de Conditione apud Baptismum in necessitate. 192. 64.
de Confirmatione. 193. 66.
Coniugiū quatenus debeat prædicari. 386 116.
de Coniugio Canonicorum. 440. 133.
de Consecratione & benedictione aquę Baptismatis & de colūna candelæ cereę. 184. 60.
de Conseruatione Sacramentorum. 319. 102.
de Consecratione Sacramenti. 205. 67.
de Consuetudine interrogandi de nomine infantis. 175. 54.
Cultus quomodo prestari possit Deo temporalibus bonis, extruendo & ornando templa, &c. 104. 21.

D.

DE dicto Cypriani Epistola 3. lib. 2. vtq: ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. 228. 72.
De diebus festis. 390. 119.
De distributione Collegiorum in Nobiles & Ciues. 441. 134.
De doctrina sine scripto Ecclesiæ tradita. 120. 28.
De dubitatione inter orandum. 133. 37.
De discrimine veteris & Noui Testamenti. 65. 6.
Definitio Ecclesię sumpta ex S. literis. 106. 24.
De libera ac simplici Christianę Ordinationis ac Reformationis recusatione, facta ab Aduersariis. 443. 137.
De iis qui præter Pastorem ad excommunicandum delecti sunt. 369. 113.
De peruersis ac pręposteris conscientiis, facientibus peccatum, vbi nullum est, & contra.

102.19.
De prædicatione Pœnitentię. 73.8.
De prima Oblatione in Missa, panis & vini. 281.88.
De secunda Oblatione, Gratiarum actionis & Orationis. 285.89.
De tertia Oblatione in Missa, nempe Christi domini 308.95.
De quarta Oblatione in Missa. 311.97.
De quatuor Partibus Missæ, doctrina, gratiarum actione, Oratione, & perceptione Sacramentorum. 280.87.
De septem horis Canonicis. ibid.ibid.
De vero intellectu S. Scripturę. 46.3.

E.

Ecclesia Christi quatenus potestatem habeat in S. Cœna ordinandi, moderandi & dispensandi. 233.74.
Ecclesiæ vnitas in quo consistat. 231.73
De Ecclesię Catholicę doctrina, & in quo illa contineatur. pag.27.1.
de Eleuatione Sacramentorum. 262.81.
de Essentialibus partib⁹ Iustificationib⁹. 86.14.
Examinatio Canonis, & manifesta demonstratio quàm impius sit. 329.104.
Excommunicare quis debeat & vbi. 369.113.
Excõmunicati quatenus debeãt vitari. ibid.
Excommunicati quomodo soluendi. ibid.
Extrema vnctio vtrum sit necessaria. 60.19.
de Exufflatione Baptizantis. 176.55.

F.

de Festo Natiuitatis & Assumptionis Marię. ibid.
de Fiducia bonę conscientiæ. 90.16.
Forma administrationis S. Cœnæ vsurpata tẽporibus D. Chrysostomi, & ab eodem conscripta, homil.18.in 2. Epist.ad Corinthios. 338.106.
de Forma benedicendi nuptiis. 386.116.
Fundamentum ex verbo Dei, quare Sacerdotibus Coniugium debeat relinqui liberũ. 411.124.
Fundamentum & ratio ex S. Scriptura, quare nos vota monastica reiecerimus. 448.140.

G

de Gazophylacio, seu Arcula pauperum. ibid.121

I

Ieiunare per se non est bonum Opus 165.51
Ieiunare sine spontaneo ac per se incitante spiritu, magis est hominum quàm Dei cultus ibid.
ad Ieiunium quomodo teneamur ibid.
de Ieiunio ibid.
de Ieiunio triduano Pauli ibid.
de Ieiunio & delectu Ciborum 404.120
de Imaginibus 157.50
de Impositione manuum apud Confirmationem, Absolutionẽ & Ordinationem 139.30
In quo consistat vnitas Ecclesiæ 231.73
In quo Aduersarij Christianos Doctores iustè aut iniustè accusent 314.100
In quo consistat controuersia, quæ est inter veras Ecclesias Christi, earúmque aduersarios, de Sacrificio S. Cœnæ Domini 277.85
Infirmi vtrum fidere debeant Suffragiis Ecclesiæ, quæ facit pro iis post verum ex hac vita discessum ibid.
de Intercessione Sanctorum 142.43
de Inuocatione Sanctorum 143.44
Iudicium Philippi Melanchonis, de libro Capituli scripto contra Reformationẽ Reuerendissimi Archiepiscopi 473
de Iustificatione hominis 84.12
de Iustificatione Operum 89.15

L

Liber Reformationis quare non ordinauerit, vt in S. Cœna commemoratio agatur defunctorum 302.94
de Ludibrio quod exercetur cum horis in diebus Ieiuniorum 165.51

M

de Memoria ac recitatione nominum defunctorum Sanctorum 288.91
de Memoria defunctorum Christianorum Laicorum 289.92
de Ministerio Diaconorum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ 433
de Ministerio octo præbendarum Sacerdotalium 437.130
Missæ vtrum sine communicantibus celebrari debeant 251.38
de Missæ Sacrificio 265.83
de Monachatu 433.127

N

de Nomine Missa 274.86
Notabilis Confessio veritatis, quam Aduersarij in hac causa faciunt, verum reipsa & opere oppugnant 310.96

O

de Obedientia præstanda Curatoribus animarum 130.34
Oleatio an sit Sacramentum 125.ibid.
de Oleo & Chrysmate 183.59
de Opere operato 317.101
Oratio quomodo, sit honor ac cultus Dei 133.39
Oratio quomodo interciderit 134.38
de Oratione, quid & quomodo orandum sit. 132.35
Ordinatio Libri vtrum non sit, fundata in Scriptura & Canonibus 426.125
de Ordinatione & cõsti utione Pastorũ 382.115

Ordinandi debent doctrinam in libro Reformationis contentam confiteri, & in ea se permansuros spondere 382.115
Ordinatio vtrum sit Sacramentum 382.115
de Ordinibus ibid.

P

Panis & calix Domini sunt vnum & etiam duo Sacramenta 228.72
de Peccato originali in infantibus 189.63
Peccatum grande quàm sit, apud S. Baptismo indignè apparere ibid.
Peccata parentum quomodo imputentur filiis ibid.
Peccatum est quicquid ex carnali generatione prouenit ibid.
de Peculiaribus Officiis Collegiorum 438.131
Pœnitentia an sit Sacramentum 123.31
de Pœnitentia & Excommunicatione 369.113
de Præmio & retributione bonorum Operum 105.22
Pro quibus in S. Cœna orandum, gratiæque agendæ sint, ac primò pro viuentibus 287.90
de Procuratione Scholarum 435.129
de Prosfectione incorporatum Parochiarum 434.128

Q

Quæ sit vera prædicatio Pœnitentiæ 76.10
Quę sit fides & obseruatio veteris Ecclesiæ de Traditionibus 34.2
Quæ sunt habenda pro bonis Operibus 95.18
Quare vnctio Infirmorum sit prætermissa 126.33
Quas ob causas Christiana excommunicatio exercenda 369.113
Quatenus Ieiunium sit bonum opus 103.20
Quid & quotuplex sit Iustificatio 85.13
Quid Controuersiæ sit hac in re inter Ecclesias Christi, & earum Aduersarios 313.98
Quo fuco conentur Aduersarij monasticis votis patrocinari 445.139
Quotuplex sit pœnitentia 74.9

R

de Reformatione Sacramenti 196.66
de Reformatione Collegiorũ 426.125
de Reformatione monasteriorum 444.138
Refutatio duorum argumentorum, quibus Aduersarij conantur dimidiationem Sacramenti defendere 231.73
Refutatio illius, quòd Aduersarij pro errore & abusu suo introducunt, quo Missam sine communicantibus celebrant 248.77
de Reliquiis peccati Originalis 58.5
Responsio ad dicta S. Patrum de his votis 452.141
Responsio ad alias quasdam criminationes obiter interspersas, contra propositam Reformationem monasteriorum 460.145

S

Sacra Cœna vbi administranda sit, & de Communione apud ægrotos 211.68
de Sacra Cœna 196.66
Sacra Cœna iuxta Scripturam nõ est dicenda sacrificium 268.85
Sacramenti speciem alteram Christianis in genere auferre, grãde sacrilegiũ est 242.74
de Sacramenti Reformatione 196.66
de Sacramentis in genere 121.29
de Sacrificio Missæ 265.83
de Sacro Coniugio 386.116
Sacrum Coniugium an sit Sacramẽtum ibid.
Sancti quomodo sint honorandi 138.42
Sancti quomodo sint venerandi 143.45
de Sanctorum intercessione 142.43
de Sanctorum inuocatione 143.44
de Satisfactione pro peccatis 77.11
de Scholis 405.122
Secundæ quoque nuptiæ vtrum debeant in Christiana Ecclesia consecrari 386.116
de Secundis nuptiis Sacerdotum 411.124
de Septenario numero Sacramentorũ 121.29
de Signis Ecclesiæ 110.25
Signa Ecclesiæ tria 117.26
de Signis aliis Christianæ Ecclesiæ videlicet Sacramentis 121.29
de Signis apud Baptismum in genere 185.62
Solutio eorum quę Aduersarij pro Suffragiis defunctorum adferunt, ex S. Patribus 297.93
Solutio argumentorum Aduersariorum, quę ducunt ex loco Pauli 1. Cor. 7. Qui celebs est, curat ea quæ sunt Domini, &c. 411.124
Solutio alterius argumenti, ducti ex dicto Pauli 1. Cor. 7. ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex consensu, pro tempore, vt vacetis ieiunio & precationi ibid.
de Spirituali & Sacramentali sumptione Sacramenti 244.75
de Sponsalibus contractis inuitis ac nesciis parentibus 386.116
de Suffraganeo & Superintendente 378.114
Summaria Recapitulatio Apologiæ de votis monasticis 459.142
de Summa Christianæ doctrinæ 57.4

T

Thesauris Collegiorum 442.135
de Timore seruili 72.7
de Transsubstantiatione 196.66

V

de Veneratione Sanctorum 137.40
de Veneratione, propositione & circumportatione Sacramenti 214.69
de Veneratione Reliquiarum 354.48
de Vera veneratione Christi Domini apud Sacro-

NOS HERMANNVS DIVINA FAVENTE clementia Archiepiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius, & Elector, Dux VVeſtphaliæ & Angariæ, Adminiſtrator Padenborniæ, &c. Precamur Chriſtiano Lectori gratiam, pacem, & ſalutem à Deo Patre cæleſti, per Dominum ac Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

CAVSAS quibus moti & impulſi ſuimus, vt ſimplicem deliberationem noſtram, qua ratione Chriſtiana Reformatio vſque ad meliorem &c. apud noſtros ſubditos inſtitui poſſit, per pios quoſdam ac ſingulariter doctos viros componi, ſcripto conſignari, & poſt diligentem recognitionem, examinationem & correctionem per typographiam euulgari, & in lucem emitti curauerimus, partim in præfatione noſtra, dictæ deliberationi à nobis præfixæ, iudicauimus & recenſuimus, ſicut Chriſtianus Lector ex illius lectione facilè videbit ac deprehendet.

Et quamuis poſtea ſperauimus, Venerabili Capitulo ac Clericatui noſtro horrendum animarum interitum, pro quibus filius Dei ſanguinem ſuum effudit, qui ante omnium oculos obuerſatur, vnà nobiſcum cordi futurum: eóſque tantam miſeriam & calamitatem reſpicientes, ad hoc tam neceſſarium negotium ſumma fide nos opera auxilio ſuo adiuturos. Præſertim cùm ſciant, quàm innumeræ parochiæ vel nullos omnino miniſtros & Curatores animarũ, vel ineptos & ad miniſterium minimè idoneos habeant. Vnde fit, vt populus ſyncera, ac Chriſtiana doctrina deſtitutus, in omnis generis infidelitatem, aliáque craſſiora ſcelera & flagitia prolabatur. Tamen Clementiſs. Deus ex admirabili ac bono conſilio ſuo, fortaſſis ad obedientiam noſtram probandam, rem ita comparauit, vt ea per quorundam ex noſtris improbitatem ac ſedulitatem eò perducta ſit, vt non modò Capituli ac Clericatus noſtri conſilio & adiumento in hoc ſummè neceſſario negotio hactenus fuerimus deſtituti: verumetiam omnibus machinis oppugnati & impediti, ad extremum hoc quoque proferre debuimus, vt ſub nomine Capituli noſtri titulóque Antididagmatis, ſeu Chriſtianæ & Catholicæ religionis, aduerſus librum dictæ Reformationis, propugnationis &c. graue admodum & Chriſtianum propoſitum noſtrum ſummoperè impe-

diens, scriptum, publicè per typos euulgaretur. In quo primum omnium sub ea specie ac prætextu, quasi causas indicare velint, quibus impulsi, Antididagma suum euulgauit, simplicissimum (quod Deus nouit) fidelissimum ac Christianissimum propositum nostrum, longè aliter quàm nos vnquam in animum induximus, longè minus, in actum & effectum perduximus, referunt ac interpretantur: ac deinceps nostram consultoriam de Christiana reformatione deliberationem, quasi verbo Dei, Catholicæ Christianæ traditioni & obseruationi penitus contrariam, ac dissentaneam, prolixo sermone admodum calumniosè accusaret & traduceret.

Cum igitur vnicuique Christiano, nobis verò tanto magis, qui Episcopali munere (quamuis indigni) fungimur, conueniat, imò mandatum à Domino sit, omnia quæ nobis ab ipso mandata & imposita sunt, quantum in nobis est, contra omnes homines defendere: cúmque sub specie ac prætextu boni, tamen contra veritatem traducuntur, ἀναπολόγητα non relinquere: proposuimus, ad debitam Domino obedientiam, debitúmque subditis nostris officium exoluendum, nec non ad pietatis cursum promouendum: ad nullius verò, præsertim qui id promeriti non sunt, extenuationem vel oblæsionem (quod coram Deo & mundo testamur) breuem, Christianam, ac constantem apologiam eius, propter quod & nos, & dictam deliberationem nostram, in Antididagmate suo iniquè & calumniosè insimulant, subiungere.

Primùm obiiciunt nobis, qui dictum Antididagma composuerunt, nos anno Domini M. D. XXXV I. in Concilio Prouinciali (quod nos in propria persona, in ciuitate nostra Colonienſi, cum Legatis & Commissariis nostrorum Suffraganeorum, Episcoporum Leodiensis, Traiecten. Monasterien. Osnabrugen. & Minden. vnà cum Capitulo nostro & Prælatis omnibus, toto denique clero inclytæ ciuitatis & diœceseos Colonienſis celebrauimus) post diligentem necessariámque consultationem, super reformatione quadam Christiana, concorditer concluſisse, eámque sequenti anno 1538. per pios, prudentes, doctos, longáque consuetudine probatos Theologos, & alios viros Orthodoxos, Latina lingua concinnatam & digestam, publicari palàm & diuulgari feciſſe: deinceps verò per conuenientem visitationem, aliisque legitimis modis in effectum duraturámque executionem deducere neglexisse, id quod ipsi Capitulares, vt qui Christianæ reformationi contrarij, sed eiusdem maximè cupidi fuerint, æquissimo animo laturi fuissent. Volúntque hoc pacto istud crimen nobis impingere, quasi legitima, ordinaria, atque vnanimi consensu concluſa reformatione deserta, nunc illegitimam, & nullorum suffragiis comprobatam instituamus.

Ad hoc respondemus. Verum est, posteaquam nobis Dominus dedit, vt grauissimũ, maximíque ponderis Archiepiscopale munus nobis impositum, paulò altiùs ac pressiùs consideraremus, cœpimus multipliciter inquirere de omnis generis mediis, rationibus & viis, quibus Christianam reformationem apud nostros instituere possemus. Passíque sumus tunc temporis per hos & alios, qui nos nunc tam grauiter oppugnant,

gnant, nobis persuaderi quod necessarium sit, vt per prouincialia Concilia veræ ac compendiariæ viæ ad Christianam reformationem monstrentur, legitimáque eius instituendæ media & rationes indicentur. Porrò quomodo id reipsa deprehenderimus, & quid nostris suffraganeis & aliis in hoc opere recipiendum, & in effectum deducendum placuerit, item quomodo nos ipsi ad eam rem effecti & inclinati, nihil minus tamen ad id permoti persuasíque fuerimus ad permittendum, vt dictæ Reformationis authores eam sub nostro nomine publicarent, quid denique nobis obstiterit, quo minus eam in effectum & exequutionem deduceremus, hæc omnia Compositoribus Antididagmatis notissima sunt, atque idcirco non necessaria vt hoc loco commemorentur. Illi ipsi quantumuis pios & Catholicos se iactent, huic Reformationi in maximè necessariis Articulis, vt de vera administratione parochiarum, & vt singulis singulas parochias possideant, eásque fideliter ac benè administrent, nullum adhuc apud se locum concesserunt, & sine dubio ægrè concessuri essent: etiamsi hoc in dicta Reformatione, quemadmodum in omnibus antiquis Canonibus, seriò cautum sit. Vnde facilè apparet, quomodo istam Reformationem vnanimi consensu concluserint, vel non concluserint. Sed quomodocunque ista sint, certum est totam nostram prouinciam, & omnes eius ordines, nempe Capitulum, Comites, Equites, & Legatos ciuitatum in Prouinciali Concilio, die Veneris post Remineſcere Anno M.D.XLII. celebrato, postquàm acceperunt, nos ex authoritate Recessus Ratisbonensis proposuisse curare, vt Christianæ Reformationis forma conscriberetur: nobis tunc temporis gratias egisse, & vnanimiter supplicasse, vt ea scripto comprehenderetur, & in effectum quàm citissimè deduceretur, quo vnanimis Christiana Religio in nostra diœcesi instituí, & vnusquisque quid in ea sibi sentiendum credendúmque sit, certò scire posset.

Qua supplicatione Capitulum (non minus quàm reliqui ordines) abundè confessum est, quòd publicatam priùs Reformationem non agnouerit receptam, vnanimique consensu concluſam: nec posthac recipiendam aut communi consensu confirmandam, vt perquàm Ecclesiis vtiliter consuli ac tempestiuè subueniri posset.

Si enim non ita se res habuisset, sed potius decretum fuisset, in priori reformatione tanquam perfecta & omnibus numeris absoluta, in qua nihil corrigi aut emendari posset, perseuerare, haud dubiè rogassent Capitulares, vt ista prius instituta & publicata Reformatio in manus sumeretur, & in executionem deduceretur, non pro alia supplicassent. Quod tamen non modò Capitulum, sed ne ij quidem, quorum ista Reformatio proprium opus est. Ad hæc negari non potest, quod posteaquàm nos ad vnanimẽ nostrorum prouincialium supplicationẽ, quemadmodum polliciti fueramus, Deliberationem quandam reformationis, his ipsis, qui in antididagmate suo, & aliàs simplicem deliberationem nostram summoperè oppugnant, anno M. D. XLII. circa Calend. Septemb. transmisissemus, rogassemúsque, vt adiuncto sibi aliorum quorundam consilio suam nobis sententiam & iudicium de

ea significarent, ipsi deinde circa nonum diem Ianuarij anni 1543. Compendium quoddam Reformationis, (quamuis nec ipsum etiam vitio careret) scripto nobis transmiserint. In quo satis declararunt & confessi sunt, necessitatem Ecclesiæ aliam ac perfectiorem ministerij Ecclesiastici reformationem postulare. Et quamuis hæc omnia non ita se haberent, sed publicata prius reformatio à nostris Suffraganeis, à Prælatis & Clero nostræ diœceseos, imò à nobis ipsis plenè recepta, nostróque consensu & suffragio confirmata fuisset, quemadmodum authores Antididagmatis asserunt, nihilo tamen minus muneris officiíque nostri esse agnosceremus, incœptum istud opus emendare, si correctione & emendatione illud indigere, à Domino certiores redderemur. Neque enim debemus Spiritui sancto repagula obiicere, sed doctrinæ eius ac ductui in omnem veritatem locum dare, nobísque liberam potestatem reseruare, omnia emendandi & corrigendi, quæ eo opus habent. Iam verò securi sumus, ac indubitata spe præsumimus, omnes verè fideles manifestè deprehensuros, quòd nostra iam à nobis proposita & publicata Christianæ Reformationis Deliberatio nihil in se contineat, nisi quod in verbo Dei certò traditum, atque idcirco tantò melius est. Quamobrem debuimus coram Deo Reformationem istam, quantum in nobis fuit promouere, nec permittere, vt prior reformatio nos in hoc opere remoraretur & impediret.

Secundò obiiciunt nobis authores Antididagmatis, quòd Martinum Bucerum, vnà cum aliis plerisque alienis, & non probatis prædicantibus, quorum maior pars sint apostatæ seu desertores Monachi, sine ipsorum conscientia ac voluntate, acciuerimus, eósque Bonnę ac in aliis huius diœceseos ciuitatibus ad prædicandum proposuerimus. Quo volunt inferre, simplicioribúsque persuadere, quasi illegitimam ad reformationem, viam ingressi simus. In quo & nobis & his quos ad prædicandum constituimus, vim & iniuriam faciunt, & rē longè aliter quàm in veritate se habet, proponunt, id quod vnusquisque Christianus per semetipsum & ex sequentibus liquidò cognoscere potest. Posteaquàm ipsi sciunt, aut saltem scire meritò debent, neminem inter Christianos alienum haberi & iudicari posse, nisi qui alienus est à Christo Domino. Omnes qui Christo Domino credunt, sunt membra nostra in Christo: & nos Dei: sic etiam domestici ac fratres nostri, cuiuscunque tandem patriæ aut nationis alioqui sint: Beatus Petrus ait, se reipsa compertum esse, quòd nullus sit respectus personarum apud Deum, sed ex omni gente qui timet Deum, & rectè agit, illum esse acceptum Deo. Quare igitur tales alieni & ingrati nobis essent, & propter hanc causam minus idonei ad ministerium Christi Domini iudicarentur, si alioquin ad id à Domino donati & vocati sunt?

Deinde quòd prędicantes nostros non probatos criminantur, etiam hoc sine omni causa & temerè faciunt. Omnes enim quos hactenus ad prædicandum constituimus, partim per nos ipsos, partim per alios, tanta diligentia & religione probati sunt, vt magno redimendum sit, ne vlli minùs probati ab accusatoribus nostris in parochiis & aliàs ad

miniſterium adhiberetur. Quòd ſi ſuos quos ad hoc miniſterium promouent, alunt, in eóque tolerant, & vſurpant, rectè intuerentur, non erat, quod noſtros concionatores, quorum miniſterio hactenus vſi ſumus, quoad probationem reprehenderent. Nimis enim manifeſtum eſt, paſſim & propemodum vbique minimè probatos & idoneos, inſuper ſcandaloſos homines parochiis præeſſe.

Porrò tertiæ reprehenſioni, qua eos Apoſtatas & deſertores Monachos calumniosè & contumeliosè appellant, meritò ſuperſediſſent. Non ignorant enim, Epiſcopos apud veteres, vbi tamen veri monachi habebantur, maiorem miniſtrorum Eccleſiæ partem ex monaſteriis deſumpſiſſe, quodque vrgens neceſſitas, quę ante omnium oculos obuerſatur, hoc tempore magis quàm vnquam antehac poſtulet, vt pij, fideles, docti, zelóque Dei ardentes miniſtri, Concionatores, & animarum curatores ſumma diligentia in & extra monaſteria quærantur. Vtinam verò multi tales in monaſteriis inueniri poſſent. Longè item vtilius ac ſanctius eſſet, Eccleſiis Chriſti in verbo Dei & ſacramentis miniſtrare, quàm in monaſteriis totum tempus tantummodo canendo & legendo conterere. Vtilius quoque foret, ordinaria Eccleſiæ miniſteria in adminiſtratione totius curæ animarum obire, quàm non ordinariis ſola prędicatione in monaſteriis incumbere. Et quoniam ipſi aduerſarij ad hoc miniſterium monachis vtuntur, debebant tantò minus id nobis vitio vertere: licet apud ipſos monachi adhuc fictis veſtimentis ſuis, contra omnes regulas monaſticas & doctrinam antiquorum vtantur: apud nos verò iuxta communem presbyterorum conſuetudinem veſtiantur. Id enim noſtros homines nec apoſtatas nec deſertores facit.

Quod verò peculiariter ad Martinum Bucerum attinet, non debebant tam citò obliuiſci, quantoperè illum & à doctrina, & ab integritate vitæ, ſtudióque & amore pacis nobis commendauerint, eóque nos ad ipſum accerſendum, atque ex priuato colloquio, quę illi dona Dominus largitus ſit, cognoſcendum permouerint. Et quamuis hactenus animum mutauerint, ac neſcio quo ſpiritu impulſi ſint, vt & ſermonibus & ſcriptis illum calumniarentur, nos tamen cum veritate hoc teſtimonium illi perhibere poſſumus, quod neque ab initio, quando eum ad nos accerſiuimus, & aliquot diebus priuatim cum eo colloquuti ſumus: nec deinceps, quando eum Bonnę publicè concionari permiſimus: nec denique in hunc vſque diem vnquam aliter ipſum deprehendimus, quàm à quibuſdam authoribus Antididagmatis à principio, aliiſque fide dignis viris fuerat commendatus. Porrò neque illud debuit nobis exiguum de eo teſtimonium eſſe, quod Cæſarea Maieſtas ipſa, & Ordines ſacri Imperij in Comitiis Ratisbonenſibus ipſum tanquam ſingulariter pium, doctum & ad Chriſtianam pacem propenſum, ad Chriſtianum colloquium ibidem delegerunt. Præter hęc omnia non tantum nos, verumetiam ipſe ſemetipſum cum iſtis tum aliis ad reſpõdendum, rationémque reddendam ſępenumero obtulit. Meliùs igitur decuiſſet homines iſtos, vt primum omnium Martinum Bucerum mali conui-

ciſſent: & ſi poſtea nos ipſum ſuſtentaſſemus, hanc eandem accuſationem ipſius gratia contra nos inſtituiſſent. Alioqui quomodo Bucerus ad doctrinam S. Scripturæ, & ad prędicationem Euangelij ordinaria ratione vocatus: monachatu quoque, quem illi obiiciunt, per Pontificalem iudicem liberatus fuerit, aliis denique criminibus ab Aduerſariis ſuis ſibi intentatis liber ſit, id in propriis ſuis Apologiis ex parte declarauit, quod nullis adhuc fundamentis refutatum videmus. Nullam igitur cauſam habuimus, vt Domini dona, haud dubiè nō fruſtrà in ipſum collata, aſpernaremur, vel propter falſas criminationes miniſterio eius ad vtilitatem Eccleſiarum non vteremur. His cui ſatisfactum non eſt, is plura hac de re in fine libri inueniet.

Tertiò, Ægerrimè grauiſſimęque ſe ferre oſtendunt, quod eorum tanquam proximorum noſtrorum membrorum, & Capituli Colonienſis hæreditariorum dominorum multiplici, humili, ac fideli ſupplicationi & interpellationi, cum exhibitione multiplicium inſtructionum in ſcripturis partim ſuis, partim reliqui Cleri, celeberrimæque Vniuerſitatis, nō plus loci apud nos cōceſſerimus. In quib. iactant ſe rationes in verbo Dei fundatas, eaſdémq; ex antiquiſſimis veterū Catholicorū & Chriſtianorū Cōciliorū Canonib. ac ſanctis patribus, qui Orthodoxā fidē noſtrā ſui ſanguinis effuſione roborarūt, attuliſſe, quare nobis ſolis, ſine prędecedente ipſorum, eorúmque qui ex parte Catholicæ communitatis huius diœceſeos ad hoc pertinent conſilio, nō liceat Bucerum aut eius farinę prędicantes alios in hac diœceſi inſtituere, vel nouitatem aliquam contra vniuerſalem Catholicę Eccleſię traditionem pręſumere.

Ad hoc reſpondemus. Primum teſtis eſt Dominus, ac teſtes ſunt ipſi Aduerſarij, nobis nihil magis in votis fuiſſe, & eſſe adhuc (id enim vt ab ipſis impetraremus, nulli labori ac diligentiæ pepercimus) quàm vt Capitulum noſtrum, vnà cum aliis Prælatis ac doctis noſtri Cleri, pręſertim verò, qui prę cęteris accuſationibus nos vrgent, pro menſura donorum ſibi conceſſorum in opere Chriſtianę Reformationis, ſicut officium eorum requirebat, & nos quoque liberaliſſimis beneficiis eos ad hoc faciendum permouere tentauimus, opera & conſilio ſuo nobis adfuiſſent.

Atque vtinam in eo ſedulos ſe demonſtraſſent, vel adhuc demonſtrare vellent, quemadmodum eos tanquam principalia noſtra membra, & fratres (pro quibus eos & habere & vſurpare ſemper parati cupidíque, & adhuc ſumus) decebat. Quódque nos plures ex eorum numero quàm vnum, ſpe, quod ædificationem Eccleſiarum Chriſti per ſynceram doctrinam Euangelij, quęſituri ac promoturi eſſent, cuius ab initio non mediocre ſpecimen de ſe prębebāt, ad nos traxerimus, honeſtéque & liberaliter aluerimus, quomodo autem iſti poſtea animum mutauerint, & ad ſynceram doctrinam Chriſti oppugnandam, verámque Eccleſiarum ædificationem pro viribus impediendam ſeſe conuerterint, id & Accuſatoribus noſtris, ac pleriſque aliis notiſſimum eſt.

Fatemur communionē Chriſti, & ordinationē Eccleſię requirere, vt

quilibet

quilibet Episcopus cum suo Clero, atque iis, qui sibi proximè coniuncti sunt, de omnibus quæ ad ædificationem Ecclesiæ queunt, communiter consultet, & in effectum executionémq; deducat. At non minus postulat necessitas communionis Christi, & Ordinationis Ecclesiæ, vt tales Clerici & Episcopo coniuncti, sint homines pij, Deo dediti, & sacrosancti Euangelij intellectu præ cæteris præditi, eiusmodi propagandi ac promouendi studio inflammati. Nuda enim nomina, & externi ordines nullam vim habent ad benè in rebus diuinis consulendum: sed solus Spiritus Sanctus hoc dat, & adiuuat pia exercitatio sui ipsius in sacra scriptura, vnà cum sancta ac pia vita.

Ad hæc vnicuique Episcopo & ministro cum à Deo tum ab omnibus Canonibus præcipitur, vt sacrosanctum Euangelium & omnia quæ mandauit Christus Dominus, sine vlteriori deliberatione & consultatione apud omnes, imprimis verò apud eos, qui vniuscuiusque curæ ac fidei peculiariter commendati sunt, quantum in eo est, promoueat, idque per omnes quos ad hoc idoneos ac spontaneos inuenire potest.

Erant in veteri quoque populo ordinarij sacerdotes, & homines ab ipso Deo rebus religionis præfecti, magnificisque, & insignibus promissionibus sanctificati: verum quando hi ministerium suum non fideliter exequebantur, sed obortos abusus defendebant & vindicabant, quod sępenumero longo tempore durabat, cogebantur Principes ac prophetæ, quos Deus singulis temporibus ad obedientiam suam excitabat, veram religionem ac cultum restituere, cursúmque eius promouere, etiam contra ordinarium sacerdotium, omnis item generis persecutiones propterea ab illo perferre. Quorum ex numero Amos bubulcum, ac postea Christum Dominum nostrum, qui vulgò filius fabri habebatur, nec non discipulos eius, qui rudes & indocti piscatores habebantur, veros præcones verbi Dei, & in negotio religionis consiliarios fieri, in eóque pati, vt ordinarium sacerdotium sibi vehementissimè repugnaret & aduersaretur.

Quoties id euenit, quando Dominus etiam ex ordinario sacerdotio quosdam ad istud ministerium excitauit, quales erant Ieremias, Ezechiel, & Ioannes Baptista, vt hi quoque à summis & in publico ministerio constitutis sacerdotibus excommunicarentur & persecutionem paterentur? Adeo penitus Christus Dominus, ministerium doctrinę suę & ædificationem Ecclesiarum instituere ac proponere, nulli nec nomini & titulo, nec ordini externo vllo vnquam tempore alligauit, sed tantummodo à sui ipsius vocatione, spiritu & operibus pendere permisit.

Quamobrem huius controuersiæ decisio (Vtrum in hoc negocio Christianæ Reformationis nobis liceat Clerum nostrum transilire, aliorúmque ministerio vti) in hoc solo consistit. Si consisterit nos per Concionatores, quos ad prædicandum constituimus, vel per reformationem Curæ animarum & ministerij Ecclesiastici, quam proposuimus, aliquid introduximus aut instituim', vel adhuc introducimus, q verbo Dei non est consentaneum, il malũ esse necesse est, & à nobis quá citissimè abrogãdũ: quod & facere parati sumus, etiamsi Capitulum nostrũ,

& vniuersus Clerus id nobis suasissent, in eóque instituendo iuuissent, vel adhuc suaderent & iuuarent. Contrà, si deprehensum fuerit, concionatores nostros, nihil nisi sacrosanctum verbum Dei synceriter prædicasse, & adhuc prædicare: item quicquid in Ecclesiis reformare & corrigere tentauimus, id verbo Dei consentire, imò nobis in eo mãdatum & impositum esse: sequetur hoc totum benè se habere, ab eóque ne latum quidem digitum nobis credendum esse: licet non nostri tantum, sed omnes totius mundi Clerici, nobis in eo se fortissimè opponerent. Deo enim magis obediendum est quàm hominibus.

Quapropter si accusatores aliquid sciunt in Concionibus eorum, quos sine consilio consensúque ipsorum ad prædicandum constituimus: vel in omnibus his, quæ in Ecclesiis reformare & corrigere proposuimus aliquid inesse, quod non sit à Christo domino præceptum, nec in sacra scriptura fundatum, id producant in medium, conuincántque ex sacris literis, & sine mora id emendabimus. Si verò id nondum facere possunt, sicut nec facturos vnquam indubitatè confidimus, quod in refutatione Antididagmatis eorum clarissimè patebit, docere seipsos possunt, nullo modo nobis conuenire, vt obedientiam mandatorum Dei, de quibus certò nobis constat, ad ipsorum consilium ac consensum differamus, præsertim cùm nulla ordinatio Ecclesiastica, nulla propinquitas aut coniunctio, quæ inter vllos homines esse potest, eò vsque se extendat.

In omnibus rebus ordinationes sunt: verùm ex his aliæ sunt obseruatu necessariæ, aliæ non necessariæ. Vt in cibo & potu necessaria ordinatio est, vt quilibet his alimentis vtatur, quæ naturæ suæ sunt conuenientia: & eo tempore quo necessitas requirit. Hic ordo necessarius est, quem qui non obseruat, is perniciem & interitum sibi adfert. Verum quod paterfamiliâs suum cibum ac potum per vxorem, liberos & alios domesticos sibi parari & apponi sinit: Princeps per suum ad id deputatum Architriclinum, coquum, dapiferum, pocillatorem, ac prægustatorem: & hæc quoque ordinatio est, verùm non necessaria. Sed si contingeret patremfamiliâs vel principem ministeriis istis, ab his, qui ad ea ordinati ac destinati essent, destitueretur (siue quod ad ea non idonei, siue quod non spontanei essent) in promptu verò essent alij, ad cibum potumque patrifamiliâs vel principi tempestiuè ac conuenienter ministrandum idonei & instructi, quis in tali casu dicat, patrẽfamiliâs vel principem debere fame sitique perire, propterea quòd ordinariis ministris suis destituuntur? Haud dubiè nemo.

Consimili ratione sunt ordinarij doctores, Consiliarij, medici, milites, & alij ad alia negotia & munera peculiariter destinati: à quibus cum doctrina, sapientia, consilia, salutaria medicamenta, fortia contra hostes facta, vel quæcunque alia officia & munia requiruntur, haberi non possunt, certè vnusquisque doctrinam, cõsilia, medicinam, auxiliúmque contra hostes quærit, & accipit, vbicunque, & à quibuscunque ea comparare potest, nulla habita ratione ordinis, qui in his rebus est institutus.

Quantò

Quantò igitur magis tenetur quilibet Fidelis Episcopus hoc idem facere in administratione gregis Christi à Deo sibi commendati? Nempe, vt ei de salubri pascuo verbi Dei, & conseruatione Christianæ disciplinæ ante omnia & quàm optimè potest, prospiciat: & ad id omnium quos habere potest, ministerio vtatur: præsertim cùm in hoc opere eorum ministeriis, ope & auxilio destituitur, qui talium ministeriorũ nomina, dignitates ordinesque gerunt: atque idcirco iuxta communes ordinationes Ecclesiarum illi præ cæteris opera consilióque suo adiumento esse debebant.

Etenim exemplum Prophetarum, Apostolorum, sicut etiam multorum sanctorum Episcoporum adeo clarum ac manifestum est, vt à nemine negari queat, qui cum idoneorum Clericorum penuria laborarẽt, Laicos potius ad docendum constituerunt, quàm defectum aliquem huius muneris apparere permiserunt. Neque enim necessarium, vt sunt, syncera doctrina & Christiana cura animarum, debet propter non necessariam ordinationem prætermitti.

Ad hæc aliquantò copiosiùs respondere coëgit necessitas, præsertim quia authores Antididagmatis hoc argumentum vehementissimè vrgent, Ordinationem Ecclesiasticam postulare, vt Archiepiscopus in prouinciali Concilio, & cum suis Suffraganeis, sibique peculiariter coniunctis Prælatis & Clero, de Reformatione consultet, cùm tamen iam antea sciant, quod nisi alia ratione quàm isthac conari vellemus Reformationem instituere, consultius erat de nulla vnquam reformatione cogitare.

Porrò quod iactant se multiplicem instructionem in scripturis partim suis, partim Cleri & Vniuersitatis nobis exhibuisse, in iisque sufficientes rationes in verbo Dei fundatas, & ex Canonibus, scriptisque sanctorum Patrum attulisse, quare nobis solis sine præcedente eorum consilio non liceat prędicantes constituere, & Reformationem instituere: non negamus, nos omnis generis instructionem scripto comprehensam, præsertim verò quam in calce sui Antididagmatis subiecerunt: nec non eam quæ sub titulo (*Iudicium secundarij Cleri*) contra Bucerum euulgata est, vidisse. Verùm ex his nondum animaduertere potuimus, nos propterea debere illud imitari, quod ipsi præscripserunt.

Sicut ad id, quod hac de re contra ministerium Buceri ad finem Antididagmatis sui subiunxerunt, suo loco illis respondebitur. Quod ad iudicium secundarij Cleri pertinet, sine dubio sufficiens responsum acceperunt: quo & nos hoc loco contenti erimus. Fundamentum verò responsionis nostræ, quantum ad nostram personam attinet, ex parte commemorauimus: & in hoc consistit.

Omnipotens ac Clementiss. Deus, nos (quamuis indignum) ad Episcopale munus vocauit, præcepitque vt summa diligentia procuremus, quo populus eius fidei nostræ commẽdatus Christiana doctrina imbuatur, & ad pietatem ritè ædificetur: idque per eos quos ad hoc vocat, donat, & ad nos mittit, non respicientes quibus nomini-

bus ac titulis coram mundo appellentur, aut in qua existimatione ac precio habeantur. In quo vult, vt nullo modo patiamur, vllam vel ordinationem vel titulum, vel ordinem, aut potentiam hominum nos impedire ac remorari: præsertim quando in hoc opere ministerio eorum, qui præ cæteris auxilio consilióque suo nos iuuare debebant, destituimur, quantumuis diligenter, ac longo tempore id ab eis petierimus. Quapropter ad hoc opus assumere & vsurpare oportet, de quibus non dubitamus quin sint in hunc finem ad nos à Deo missi. Cùm igitur accusatores verbis tantum contrarium de nostris Concionatoribus affirment, nullo autem fundamento veritatis hactenus comprobauerint, non potuimus (sicut quilibet Christianus facilè iudicabit) eiusmodi cognita & probata organa ac ministros Christi reiicere, aut opus Christianæ doctrinæ & Reformationis, quod tantoperè necessarium est, intermittere, propterea quod nostri Concionatores peculiares titulos & ordines inter Prælatos ac Clerum nostrum non habuerunt nec habent.

Quòd si etiam nos propter hanc causam illis displicemus, quibus, sicut res ipsa declarat, omnis Christiana Ecclesiæ Reformatio displicet, id non magni facimus, sed Domino, qui hoc emendare & corrigere potest, commendamus.

Quod verò dicunt, nobis non licuisse nouitatem aliquam contra vniuersalem Ecclesiæ Catholicæ traditionem præsumere, id fatemur. Verum nec de hoc dubitamus, quod neque isti accusatores, neque alij quicumque vllam nouitatem, à nobis sub prætextu Christianæ Reformationis introductam: vel aliquid quod vniuersalibus ac verè Apostolicis traditionibus, repugnet, institutum demonstrare, & in medium proferre queant. Etenim in hoc opere Christianæ reformationis nihil aliud quærimus ac desideramus, quàm traditionem verè Catholicam (hoc est, quicquid Christus Dominus & Apostoli nobis tradiderunt) quæ sola verè Catholica traditio est, longoque hactenus tempore per plurimas pernicioſas nouitates oppressa & obscurata fuit, rursus ad veram cognitionem, obseruationemque fidelium, & quasi ex tenebris in lucem producere: quemadmodum in Refutatione Antididagmatis in singulis Articulis claro ac manifesto fundamento verbi Dei, & testimoniis sanctorum Patrum euidentissimè demonstratur. Quamobrem, quod in hac causa multiplici supplicationi ac interpellationi nostrorum non potuimus locum dare, nemo eò rapere debet, quasi tam humiliter & contemptim de illis sentiamus, id enim procul à nobis absit, sed quemadmodum rogamus, vnusquisque Christianus velit causas à nobis allatas rectè perpendere, ac penitius intueri quare supplicationibus & interpellationibus eorum nec potuerimus nec debuerimus locum dare: propterea quod non debuimus illas serijs mandatis Dei, muneri officioque nostro, denique saluti gregis Christi, fidei nostræ commendati anteponere. Res enim istæ non ita comparatę sunt,

vt in

vt in iis propter petitiones hominum vel tantillum cedere liceat : nisi ex fundamento verbi Dei alicuius erroris nos conuincere possint. Tunc enim sine vlla petitione à nostro proposito discessuri essemus. Quandiu verò id non faciunt, & nos ex fundamento verbi Dei, quod nihil aliud quàm mandatum Dei instituerimus, certò persuasi sumus, ipsi facilè coniectura assequi possunt, quantum momenti ac ponderis supplicationes & petitiones hominum, quantumuis seriæ & ardentes contra verbum Dei habere debeant.

Quòd si in petitione sua tanta submissione, & humilitate, quantam prædicant, erga nos vsi fuissent, & nos non increpare, sed veluti seniorem & patrem suppliciter monere voluissent, debebant (si modò sciunt & intelligunt, quid sit cum lenitate, humilitate ac submissione interpellare: vel si sciuerunt, id facere studuissent) diligenter perpendisse, vtrum illos decuerit, nobis iuramentum ac munus nostrum, quibus, gratia Deo, omnibus diebus vitæ bona fide inuigilauimus, cùm in scriptis suis, tum passim aliàs tam acriter & acerbè, sicut ab ipsis factum est, obiicere: & apud prouinciam nostram talibus criminibus & accusationibus nos grauare, quæ certè, nisi Deus prouincialibus nostris vberiorem veritatis cognitionem largitus fuisset, nullum alium fructum adferre potuissent, quàm vt tota prouincia nostra à nobis tanquam ordinario magistratu suo ad ipsos defecisset. Sed quicquid sit, Deo patri nostro clementissimo, nostræque prouinciæ gratias agimus, quòd res ita non euenit; quam etiam adhuc illi commendamus, parati propter nomen & obedientiam eius, & hæc & his longè duriora gratia eius adiuti perferre.

Porrò quòd Diœceseos Colonienses hereditarios dominos se iactant, quamuis ab aliis in genere ita vocentur, nescimus tamen, vtrum ipsos, qui pro piis doctisque viris haberi volunt, hoc sibi nomen arrogare decuerit: cùm meritò scire debeant, quod id apud antiquos, & eos qui iuxta normam Catholicę traditionis se gesserunt, inauditum ac penitus monstrosum fuisset. Si enim hæc verba propriè & exactè considerare velimus, nec istis nostris, nec vllis hominibus, præsertim in similibus casibus, titulus iste quadrare potest. Diœcesis est hæreditas Iesu Christi, vnici Domini summique Pastoris nostri, homines & bona sunt Christo sanctificata, dicunturque eius Crucifixi patrimonium. Huic & nulli mortalium dedit pater omnes gentes in hæreditatem & æternam possessionem: hic solus est hæreditarius dominus, nos & ipsi nihil amplius sumus, quàm diœceseos huius populique Christi ministri, non domini neque etiam hæreditarij, sed quandiu & quatenus in hoc ministerio Dominus nos vult occupare. Per hoc autem nolumus quicquam de iure Capituli nostri, in Electione Episcopali, aliisque grauioribus causis ac negotiis Diœceseos, vel aliàs, imminuere. Hactenus ad tertiam eorum accusationem. Quartò grauiter queruntur, quod paucis ante nouissimum

conuentum diebus valdè prolixam & copiosam instructionem, sub titulo Reformationis illis miserimus, & in eodē postea cōuentu patriis ordinibus exhibuerimus. Et quamuis causę magnitudinem, grauitatémque, ac circumstantias omnes mouerint, exaggerarint, denique & supplicarint, ne in tam arduo negocio prępostero ipsos anteuerteremus, sed iustum temporis spatium indulgeremus, quo tam longè excurrentem & magnum librum, quantum necessitas posceret, relegere, expendere, & Christianis aliquibus, orthodoxísque Theologis, ac piis doctísque viris ad examinandum tradere possent, adiecta commonefactione eorum, quæ in hoc negocio Cęsareæ Maiestatis, & ordinum Imperij recessus frequenter ipsi permitterent, non amplius quàm duarum, aut ad summum trium hebdomadarum spatium temporis voluerimus concedere, intra quod ex aduerso, si quid adferre vellent, conficere, nobísque exhibere debuerint.

Ad hoc respondemus. Primum omnium nos non existimare, quod quisque prudens Christianus Compendium Deliberationis nostræ de Christiana Reformatione, vel nimis prolixum, vel nimis longè excurrens sit iudicaturus, præsertim si hoc respicere & considerare volet, quantopere Christianismus Catechismus & instructio etiam de pręcipuis ac vulgatissimis fidei nostrę articulis interciderit, quasque ignorantes, inepti, ac socordes ministri passim Ecclesiis prępecti, in istis rebus fuerint, & sint adhuc. Adhęc Compendium istud prolixitate longè vincitur à Canonibus & Institutione Compendiaria, quam Authores Antididagmatis iam ante ediderunt, & nunc rursus obiiciunt. Quamobrem nullam omnino causam habuerunt, propter quam meritò de prolixitate Christianę Deliberationis nostrę conquererentur.

Sed quantumuis prolixum, longeque excurrens sit nostrum Compendiū, non tamen habēt, quod de breuitate tēporis sibi à nobis cōcessi querātur: quandoquidē nec ipsis, nec aliis ordinibus id exhibuimus, vt prolixam eius confutationem meditarentur ac scriberent, eámque vel nobis, vel delectis nostris transmitterent, sed vt se ad pium colloquium, cum his quos nos & ordines prouincię nostræ tunc temporis libenter ad id deputassemus, habendum, traderet, in eóque colloquio cum Delectis iudicare vellent, si quid vitij ac defectus in eo inesse existimarent: quid item, & qua ratione corrigendum emendandúmque iudicarent: ac super eo Christianam instructionem partim nobis darent, partim à nobis acciperent. Ad quod colloquium breuius temporis spacium illis prępinire non decreuimus, quàm opus ipsum postulaturum ac temperaturum fuisset. Adhęc facilè potuissent ipsorum Theologi ac docti, siquidem Christianos, Catholicos ac pios Theologos se demonstrare voluissent, hoc temporis spacio, quantumuis tandem exiguum ac breue fuerit, sufficienter ad hoc opus parare & instruere: præsertim cùm omnes articuli libri nihil aliud in se contineant, quàm Catholicam Christianam doctrinam, in qua quilibet Chri-

Christianus institutus & eruditus esse debet.

Verum est, cùm legati Capituli nostri ex instinctu authorum Antididagmatis in eo proposito perseuerarent, vt cum nostris prouinciæq; nostræ Delectis de Religione tractare non vellent, vel in vllum colloquium consentire; sed tantummodo spatium peterent deliberandi, suamq; nobis sententiam significandi: nos verò metueremus, ne interea temporis, quemadmodum hactenus re ipsa & experientia compertum est, nostram simplicem & Christianam deliberationem peruertere, ac sub falso prætextu, quasi & verbo Dei, & fidei obseruationique antiquorum contrariam, oppugnare ac reprehendere: vel alioqui rationes ac media, vniuersum opus Christianæ reformationis impediendi ac remorandi, inquirere conarentur, non equidem conueniebat nobis, vt ad hanc temporis spatiique petitionem, Deliberationem nostram, & Christianæ Reformationis exequutionem diutiùs differremus. Et sanè quindecim dies vel tres hebdomadæ per se, in huiusmodi non Christiano proposito vlterius deliberandi & consultandi, nimis magnum temporis spacium fuerunt. Nam alioquin ad ipsorum institutum satis temporis, & quantum ipsi voluerunt, concessimus, nempe à Iulio vsque ad Decembrem: & si illis libuisset, potuissent adhuc plus temporis spaciique assumere.

Ex hac responsione nostra vnicuique Christiano obuium est videre, nihil penitus esse quod de breuitate temporis sibi à nobis concessi conquerantur. Nam vt ad Christianam ac piam Deliberationis nostræ examinationem sese instruerent, quod ex vna parte nos ab illis petiimus, ex altera parte eorum officium requirebat, etiam pauci dies ante Conuentum, quibus librum habuerunt, satis supérque illis fuissent, etiamsi ad hos quindecim dierum, vel trium hebdomadarum spacium non adieciſſemus.

Porrò quòd dicunt, se causæ magnitudinem ac grauitatem mouisse, quódque de cõmonefactione eorum quæ in hoc negotio Imperij recessus permittunt, facta apud nos per Capitulares nostros, id libenter eis concedimus. Verum propter eandem causam, quãdoquidem sciuerunt hanc rem tanti ponderis esse, nempe à qua perpetua salus ac beatitudo nostra tota pendeat, tantò propensiores esse debuissent ad nos, vnà cũ nostris, nostræque prouinciæ delectis, in ea consilio suo iuuandum, omniáque ad normam verbi Dei examinandum, consultandũque denique ac decernendum. Quantum attinet ad Recessus Imperij, quos satis vehementer contra nos citarunt, postea respondebimus.

Quintò admodum molestè ferunt, quòd posthabita eorum instantia & informatione, imò ne delectis quidem perspecta, volumen Christianæ Reformationis, eorum qui pro sua libidine & arbitrio, contra verbum Dei & traditionem Catholicam illud congesserint, talique versutia proposuerint, vt per latens venenum, quod in eo elegantibus ac splendidis verbis proponatur, etiam electi (si fieri posset) seduci possent, praua suggestione persuasi, imprimi, & plurima exemplaria huc illuc (vti acceperint) transmitti passimque dispers-

gi fecerimus; nec non passi simus, vt tam plurimæ eius voluminis occasione, nostris regionibus & seculis inauditæ nouationes contra religionem in ciuitatibus nostris, Bonnæ, Antoniaci, Lynsæ, Kempis, & alibi passim in diœcesi Colonienſi, quo longius hoc amplius præsumantur.

Ad hoc respondemus. Non negamus, Christianam Deliberationem nostram, iuxta vnanimem Prouinciæ nostræ supplicationem, in prouinciali Concilio, 22. Iulij Anno M. D. XLIII. Prouinciæ diœcesecóque nostræ ordinibus proposuimus, ac petiimus, vt quilibet ordo præter nostros pios aliquos, doctos, zelóque ardentes viros destinare ac constituere vellent, qui librum Reformationis in manus sumerent, de eóque per singulos articulos percurrendo Christianè & cum omni mansuetudine ac lenitate inter sese conferrent, atque vnanimiter in Domino cõuenirent. Neque ita longè post prouinciale Concilium hãc nostram Deliberationem typis excudi, verum tamen ante Datum Antididagmatis per typographiam euulgati, nobisque transmissi, non publicari, neque vt præter veritatem nos insimulant, plurima, vel aliquot centum eius exemplaria huc illuc transmitti, dispergíque fecimus. Porrò quod delecti ipsorum informationem non perspexerunt, in nobis culpa non fuit; sed posteaquam ad multiplicem petitionem nostram ipsi Capitulares in eiusmodi delectum nolebant consentire, neque suos Delectos constituere: factum est, vt nec ab aliis Ordinibus quisquam ad Delectum istum fuerit deputatus. Nemo etiam ex ipsorũ parte spontaneus fuit, vt iuxta petitionem nostram ad hunc Delectum vsurpari se & adhiberi pateretur.

Verùm tres isti ordines prouinciæ nostrę, nempe Comites, Equites, & Ciuitates totum negotium nobis commiserunt, rogarúntque vt Christianè, salutariter, & hoc pacto Reformationem institui & in effectum executionémque deduci curaremus, quemadmodum quàm maximè è re prouinciæ nostræ fore iudicaremus, ac coram diuina maiestate defendere & excusare possemus. Iam per quos hactenus steterit, quod ad hæc negotia nullus Delectus fuerit ordinatus, & vtrum ij, qui id temerè & sine vlla causa nunc nobis obiiciunt, an verò nos in causa simus, id quilibet prudens ac pia mente præditus facilè iudicare potest. Verum hoc libenter fatebimur, nos nunquam ea intentione & in eum finem Delectum constituere proposuisse, vt in eo cuiuslibet pij sententia ac placitum ab altero, per longas ac spinosas confutationes, in scriptis oppugnaretur: sed longè magis, vt in eo Simplex nostra de Reformatione Deliberatio in nomine Domini in manus sumpta, perquireretur, & per Christianum colloquium, vt antè diximus, expenderetur ac perue stigaretur. Ad quod homines isti nullo modo permoueri potuerunt, quamuis propterea nos accusandi, quod sine illorum consilio egimus, nec modum nec finem faciant.

Quod verò vlteriùs dicunt, Deliberationem nostram de Reformatione, pro libidine & arbitrio eorum, qui illam congesserunt contra S. Scripturam & traditionem catholicam esse compositam, idque tanta

versutia

versutia & calliditate, vt per latens venenum, quod in ea elegantibus ac splendidis verbis proponatur, etiam electi (si fieri posset) seduci possent, &c. Ad id respondemus: nos nostram de Reformatione deliberationem, etiam post diligentem ipsorum Antididagmatis lectionem ac perpensionem, hactenus aliter deprehendere non potuisse, quam penitus in verbo Dei fundatam, atque idcirco nihil in se continentem, quod veræ Catholicæ traditioni Christianæ Ecclesię vllo modo repugnet, id quod fauente Domino, in refutatione Antididagmatis euidenter & irrefragabiliter demonstrabitur. Meritò igitur huic accusationi suæ supersedere, secúmque perpendere debuissent, quod etiam alij fucum istum, quódque id principaliter ad nos pertineat, facilè intelligere queant. Si enim tam audaces ac temerarij esse vellemus, vt præsumeremus deliberationem, quomodo Christiana Reformatio in ecclesiis fidei nostræ commendatis institui deberet, in lucem emittere: & tamen Christianæ fidei nostræ ac doctrinæ Euangelij adeo ignari & imperiti essemus, vt nobis per malos homines persuaderi, nósque longè à lumine abduci pateremur, vt quod mali homines ac seductores contra verbum Dei, & contra verè Apostolicas & Catholicas traditiones pro sua libidine & arbitrio congessissent, tanquam Christianum & in verbo Dei fundatum partim ipsi reciperemus, partim iis, pro quibus Christus Saluator noster sanguinem suum fudit, traderemus, sanè tam perditus ac deprauatus homo essemus, qui non tantùm non in munere ac dignitate Episcopali, sed nec inter Christianos, imò ne quidem inter alios homines vllo modo tolerandus esset. Verùm in Domino omnium dominorum, qui mysteria sua à sapientibus huius mundi abscondit, paruulis verò intellectu reuelat: qui nobis omnibus Sacram scripturam suam nobis proposuit, ad eámque rectè intelligendam Spiritum sanctum promisit, qui nomine fideli mente atque in spiritu & veritate se inuocantem, vlla re ad salutem necessaria destituit, spem ac fiduciam nostram collocauimus, sacram Scripturam, gratia Dei adiuuante, aliquantò diligentiùs legimus, Dominum pro sancto Spiritu suo inuocauimus, ac deinde deliberationem nostram ex proprio mandato, non ex falsa aliorum persuasione per tales homines in quibus sapientiam, cognitionem ac zelum Christi animaduertimus, scripto consignari curauimus, ac perueştigauimus. Neque speramus quenquam, quantumuis acutus, subtilis & doctus esse velit, quicquam in hac deliberatione nostra deprehensurum, quod verbo Dei dissentaneum, in eóque non certissimè fundatum sit. Si verò quis est, qui cum veritate contrarium ostendere & euincere potest, paratissimi sumus, æquissimóque animo feremus, meliùs nos doceri & instrui: quod sæpenumero polliciti sumus, & ad quod non minus sępe nos obtulimus.

Porrò quòd in quibusdam ciuitatibus nostrę diœcesęos Reformationem in opus producamus, & varias aduersus Religionem nouationes posthabitis plurimis eorum & assiduis supplicationibus excitari atque præsumi patiamur, huius nihil vlterius cum veritate poterunt

proferre, quàm quod mandauimus sacrosanctum Euangelium purè ac synceriter prædicari, piisque hominibus qui veritatis cognitione instructi, supplices id petierunt, sacramenta, Baptismus, & sacra Cœna iuxta Domini institutionem ministrari: actionem quoque tractationémque eorum vnà cum consecratione nuptiarum, & aliis quæ in Ecclesia coram tota multitudine, & ad ædificationem eius accommodatissimè, peragenda sunt, in vernacula lingua populo proponi: quod Spiritus S. seriò requirit, & tanquam verè Apostolica Catholicáque traditio ab initio fuit in Ecclesia obseruatum. Alioquin reliqua omnia adhuc in pristino statu immutata reliquimus, donec Reformatio ordinaria ratione publicari, & in effectum executionémque deduci poterit.

In eo nihil equidem nouatum est, sed quod antiquum sempérque verum ac rectum est, pio vsui suo est restitutũ. Hoc videlicet quod Christus Dominus, & Apostoli eius à principio nobis tradiderunt, ecclesiæque Christi à mille annis obseruarunt. Miserandum profectò est, quod homines isti antiquas Catholicas traditiones nobis perpetuò objiciunt, cùm tamen sciant, sacrosancta sacramenta simul cum Euangelium ea ratione ac forma administrare & dispensare, quam nos instituimus, esse certissimam traditionem Apostolicam: & tamen nihilominus audent id nouitatis crimini subijcere. Quod etsi Christianus lector ex sola deliberatione nostra satis supérque cognoscere potest, tamen in refutatione Antididagmatis copiosius euidentiúsq; demonstrabitur: videlicet nihil omnino in deliberatione nostra traditum esse, quod nouationis nomine appellari queat, aut non ex fontibus verbi Dei haustum, & ad amussim verè Catholicarum traditionum ordinatum fit & institutum. Porrò quod rursus multiplicem supplicationem & instantiam suam, qua Christianæ reformationis propositum deprecati sint, ad id respondere nos oportet, sicut antè: videlicet, Necesse esse, vt mandatum Dei omni humanę petitioni, supplicationi & præcepto, necnon propriæ libidini arbitrióque anteponamus.

Quòd ad nostrorũ Antididagma pertinet, diligenter sanè id cognouimus atq; examinauimus: verum ex eo nondũ persuaderi possumus, quòd proposita à nobis: Deliberatio quicquam in se contineat, quod non certum firmúmque fundamentũ suum habeat in verbo Dei. Cùm igitur in eo quod præcepit nobis Dominus, firmi immotique persistere debeamus, non curantes, quicquid omnes homines contra id excogitent aut agant, officij sanè nostri fuit in obedientia Christi pergere, nec permittere vt Antididagma eorum ab ea nos remoraretur.

Sextò conãtur authores Antididagmatis rudioribus ac simplicioribus persuadere, quasi propositum nostrum Christianæ reformationis postremò Ratisbonensi Recessui, non, quemadmodum nos affirmemus, concordet; nec authoritate eius præceptum iniunctúmque fuerit, quin potius contrarium: atque idcirco illicitum. Et quò plus probabilitatis huic assertioni suæ concilient, libenter insinuare vellent, quoniam articuli religionis, quorum causa Ratisbonæ descensum fuit ad colloquiũ, omnes suspensi fuerint ad vsque Concilium aliquod generale, vel generalem

ralem Imperij Conuentum, Protestantibus quoque iniunctum fuerit, ne vltra conciliatos articulos progrederentur: nobis non licuisse talem Reformationem, qualis est nostra Deliberatio instituere, &c. Dicunt etiam Recessum istum Prælatis iniunxisse, non vt pro suo solius arbitrio, aut ex consilio aduentitiorum non probatorum hominum quorūcúmque, verum vt inter se, & cum suis, quibus præsunt, Christianam instaurationem Religionis meditentur: ita tamen, vt Augustano recessui nulla in parte derogetur. Ac si quid fortè inde disceptationis suboriretur, Cęsareæ Maiestatis declarationem in eo expectandam. Cum primis autem, ne Protestantes interea temporis quenquam ad se pelliciant, attrahántve.

Ad obiectiones istas respondemus. Primò in dicto Recessu omnino nobis iniunctum est, Christianam Reformationem instituere, quæ ad bonam, decoram, ac salutarem Ecclesiarum administrationem promouendam conferat, eámque strenuè ac sedulò in executionem effectúmque perducere, nec pati, vt quicquam in eo nos remoretur & impediat. Hæc sunt ipsa verba Recessus.

Quod si debuimus Christianam reformationem instituere atque exigere, quæ ad bonam, decoram, ac salutarem ecclesiarum administrationem vim habeat: vtique necesse habuimus in administratione, ad commodum & vtilitatem Ecclesiæ, quæcunque in abusum deuenerunt, nonnihil mutare & corrigere. Neque enim necesse est reformare, quod iam ante in legitimo vsu versatur: nec restaurare quod nunquam collapsum est, sed publicè obseruatur. Nec facilè alius inueniatur reformandi modus, quàm vt id quod antea deformatum erat, pristinæ ac genuinæ formæ restituatur. Iam verò verbum Dei, veréque Apostolica & Catholica traditio Ecclesiæ vnica vera forma ac regula est, salutarem Ecclesiarum administrationem instituendi, iuxta quam ministerium Ecclesiasticum apud nostros corrigere desiderauimus, aliter neque ex proposita Deliberatione nostra, neque ex ipso facto vnquam demonstrari poterit. Quare nemo nos accusare potest, quòd aliam Reformationem instituere tentauerimus, quam dictus iste Recessus expressè nobis mandauit & iniunxit, hoc est Christianam, & ad bonam, decoram ac salutarem Ecclesiarum administrationem conducentem.

Contra hoc nihil facit, quod de suspensione Articulorum, in Colloquio Ratisbonensi tractatorum commemorant. Recessus enim iste non eos articulos, propter quos ad colloquium descensum fuit, quemadmodum Authores Antididagmatis asserunt, suspendit, sed colloquutorum tractationem ad Christianum concilium remisit. Per hoc autem nemini prohibere, ea quę in Colloquio rectè ac piè concluſa fuerunt, recipere, quod Authores Antididagmatis ex se ipsis libenter huic Recessui appenderent. Si enim omnes articuli, quorum gratia ad Colloquium descensum fuit, hac ratione ad Concilij remissi suspensíque fuissent, vt de illis nulla ex parte concionari, docere vel vsurpare liceret: sequeretur, in vniuersum de nullo Christianæ Religionis articulo amplius concio-

nandum, docendum, ac vsurpandum esse, quandoquidem in dicto Colloquio de omnibus articulis Christianæ doctrinæ & obseruationis tractatum fuit. Ex quo notandum est, quantoperè homines isti inflammati sint, ad propositum nostrum Christianæ Reformationis instituendæ redarguendum, carpendum, atque impediendum, adeo vt non solum contra S. scripturam, & traditiones, quas indesinenter obiiciunt, sed etiam contra sensum communem, ac seipsos plurima in medium adducant. Verum vtcunque sit de suspensis articulis, nos tamen, sicut antea quoque respondebimus, neque in his, neque in aliis quibuscunque quicquam nouauimus, sed quod verum, antiquum ac sempiternum est, ex tenebris eruere, rursúsque in lucem producere studuimus: nempe, quod Christus Dominus nobis præcepit, & Apostoli eius tradiderunt. Nihil igitur proposuimus, quod conciliatio articulis vllo modo, taceo multis modis, vt nostri rursus calumniosè de nobis afferunt, repugnet. Porrò quod vlterius ex eodem Recessu hæc verba (Inter se, & cum suis, quibus præsunt) allegant, ex eóque libenter inferre vellent, nobis non licuisse, Christianam Reformationem propria persona tantum, vel consilio aliorum piorum hominum, qui certos ordines, peculiaréque titulos in Diœcesi Colonienſi non habent, instituere, quam inanis ac friuola obiectio hæc sit, videre in promptu cuique est. Constat enim citata verba, nihil aliud quàm duo postulare: videlicet, vt Prælati se suósque reforment. Præterea nouit omnis pia mente præditus, in eiusmodi diuinis ac necessariis præceptis, neminem debere alterum expectare. Nihilominus tamen tentauimus eam rationem ac viam instituere, quâ vnà cum aliis Prælatis Reformationem auspicaremur, verum cùm Christiana Reformatio hac via & ratione, non quemadmodum necessitas postulabat, promoueretur, atque in cursum suum dirigeretur, nihilominus opus istud apud nostros, fidei curæque nostræ commendatos, quantum in nostra potestate positum fuit, instituere, nullíque diligentiæ, labori & sedulitati in eo prouehendo parcere debuimus: quamuis nemo vel nostrorum vel aliorum opera consilióque suo voluerit nobis esse adiumento. Quomodo autem negotium istud non soli per nos ipsos, sed cum consilio nostrorum tractare petierimus, vtque id assequi possemus, nulli studio diligentiæque pepercerimus: item quod nullorum aduentitiorum ac non probatorum hominum consilio ministerióque vsi simus, id iam ante indicatum est, & nonnullis ex Aduersariorum turba, iisque qui superioribus proximis tribus prouincialibus Conciliis fortè interfuerunt, probè notum, & abundè demonstratum.

Quod cautum est, ne Augustano Recessui vlla in parte derogetur, id non vlterius se extendit, quàm vt Augustanus iste Recessus in iis articulis, de quibus in Ratisbonensi non est dispositum, obseruetur.

Iam verò expressè positum est in Ratisbonensi Recessu, Prælatos debere Christianam reformationem instituere & exigere, nec pati vt abeo faciendo quicquam ipsos impediat. Quamobrem statuimus recentius

tius istud decretum, iuxta verum, simplicem ac genuinum eius intellectum, videlicet quem verba ista iuxta sacram scripturam, & catholicam traditionem in se habent, fideliter exequi & imitari. Cautio igitur Augustani Recessus nullo modo nobis obiici potest. Ad id quod obiiciunt, in Ratisbonensi Recessu positum esse, Si quid forte disceptationis inde suboriretur, Cæsareæ Maiestatis declarationem in eo expectãdam. Cum primis autem, ne Protestantes interea temporis quenquam ad se pelliciant, attrahántve, respondemus, Nos in deliberatione nostra, & aliàs, nihil aliud introducere studuimus, quàm quod Christus Dominus nobis præcepit, & Apostoli tradiderunt: vltra quæ non opus est ampliori declaratione facta ab hominibus. In quo si nostri existimant nos aliquid instituere, quod à Christo Domino non sit præceptum, nec ab Apostolis traditum, debebant tanquam propinquissima nostra membra & Canonici, ad Christianum Colloquium, in quo hac de re tractaretur, & nobiscum & cum Delectis nostris habendum descendere, ad Christianum atque vnanimem intellectum inquirendum. Hæc prima proximáque via fuisset, omnem inter disceptationem deponendi: quæ tum à Deo, tum Apostolicis traditionibus illis mandata est, verum posthabita multiplici petitione nostra nobis ab illis penitus abnegata.

Quantum ad Protestantes attinet, non vlterius nos ad illos pellecti, aut attracti sumus, quàm ad omnes, qui Christiani esse cupiunt, vitámque suam ad regulam verbi Dei componere studeant: nec plus cum illis commercij habemus, quàm cum aliis Christianis ac membris Imperij. Scimus nos debere cum omnibus hominibus, qui nomen Dei inuocant, & Christo Domino creduut, in ipso Christo Domino, iuxta mandatum illius, amicitiam familiaritatémque exercere. Ac prout omnes & singuli ordines Imperij, ex communi Imperij ordinatione, nobis coniuncti sunt, ita cupimus nos erga omnes & singulos, sicuti decorum requirit, gerere ac demonstrare.

Quod si dicant, Deliberationem nostram Christianæ Reformationis, & efficacis correctionis, in quibusdam Ecclesiis curæ nostræ commendatis, institutam, cum Protestantium fide & Confessione concordare, non tamen possumus id quod pium atque Christianum est, imò ad pietatem necessarium, propterea quod cum eorum Confessione consentit, reiicere ac derelinquere, sperantes insuper, neminem pia & Christiana mente præditum vitio id nobis vertere posse, præsertim cùm aliter non constet, quàm istam nostram Deliberationem, institutámque emendationem, ad hunc eundem modum in verbo Dei nobis sine dubio mandatam & iniunctam esse.

Præter hæc omnia Cæsarea Maiestas eadem hæc verba Recessus, Ne Protestantes quenquam ad se pelliciant attrahántve, sic explicauit, vt verbum (Pellicere siue attrahere) hunc habeat sensum: ne Augustanam Confessionem Protestantes posthac nulli Ordini, qui alterius Religionis fraudibus ac technis subditos suos subducant, & in tutelam defensionémque recipiant, nemini tamen interea temporis prohibitum sit, qui cupiat illorum se religioni adiungere, quo minus id

faciat. Itaque qui hæc omnia rectè perpendere & ponderare volet, is facilè perspiciet, nos cum nostro Christianæ Reformationis proposito nihil aliud quæsiuisse aut egisse, quàm id ipsum, quod nobis Ratisbonensis recessus mandauit & iniunxit, & nihil quicquam quod ei contrarium sit, vel saltem aliqua ex parte dissentaneum.

Quòd etiam Authores Antididagmatis Cæsareæ Maiestatis literas ad se publicatas obiiciunt, eorúmque auxilio libenter vterentur, ad importunæ reluctationis suę, qua se nobis opponũt, fuco patrocinandum: quas etiam, sine dubio hac intentione suo Antididagmati prefixerunt, non est, quod quisquam miretur, aut multum curet: quin potius inde discat animaduertere, quomodo talibus rebus pro se vti studeant, quę vel ad falsum & inconstantem rumorem, vel fortasse per importunam & improbam instantiam sui ipsorum, eorúmque qui nobis in hoc casu sine vlla iusta & legitima causa aduersantur, practicatæ & euulgatę sunt. Quod sic se habere testantur Cæsareæ maiestatis literarum principia, quę hęc verba habent, Accepimus, &c. Item, Peruenit ad nos digna fide relationis, &c. Diligenter quoque videatur quid ad Cęsaream Maiestatem instructionis forma & alias delatum fuerit: nempe de prædicatoribus quibusdam, & aliis plerisque nouæ religioni addictis & adhærentibus, qui variis modis contenderint, atque adhuc contendant, quò Capitulum Clerúmque Colonienſem ab antiqua nostra vera & Christiana religione auertant, nouęque suę religioni coniungant. Item: de nouationibus grauissimis in Religione ac fide, Christianarum item & laudabilium ceremoniarum, cultúsque diuini. Videatur porrò qui sint, qui proposito nostro Christianę Reformationis sese opponunt, in eóque quemadmodum opinantur, tam strenuè ac Christianè se gesserint, & facilè deprehendi poterit, Cęsaream Maiestatem non ex proprio motu & impulsu, sed intempestiuis interpellationibus permotum, non amicorum nostrorum, sed aduersariorum: non veram sed falsò confictam & inconstantem instructionem relationémque superiùs dictarum rerum, scripto comprehendere, & ad Capitulum ac Clerum ciuitatis nostrę Colonienſis, vel fortè ad eos, qui vel ex mandato accepto, vel ex solita sua religiosa deuotione pro eo institerunt, dirigi mittíque permisisse. Verum vtcunque de eiusmodi technis sit, hoc tamen cum veritate nunquam poterit ostendi, quod eiusmodi prędicantes aliósque homines ad nos accersiuerimus, vel eorum ministerio vsi sumus, qui aliquem nostrorum, taceo Clerum Ciuitatis Colonienſis tentarint ab antiqua vera & Christiana religione auertere, nouęque cuidam religioni coniungere. Neque etiam vellemus vel per nos ipsos, vel per alios vllam nouitatem in Religione, fide & cultu diuino introducere. Quicquid autem in his institutum est, vel in Deliberatione nostra de Reformatione comprehensum, hoc totum fundatum est in verbo Dei: atque idcirco non est nouatio, sed antiquæ verę & Christianę religioni consentaneum, id quod coram Deo & apud omnes Christianos, vera sapientia & intellectu prędit os ex proposita deliberatione nostra satis constat, & adhuc copiosè in Refutatione

Antidida-

Antididagmatis demonstrabitur.

Quod cùm ita sit, facilè est cuiuis videre, quòd Christianæ Reformationis Aduersarij dictas literas falsis relationibus ab Imperatoria Maiestate obtinuerint, quódque idcirco nostris contra Christianum propositum nostrum nihil adiumenti adferant. Adhæc cùm nihil aliud requirant, quàm ne graues ac molestæ nouationes in religione ac cultu diuino inducantur, vel permittantur: nobis verò nihil minus propositum sit, ex eo etiam clarè patet, Cæsareę Maiestatis literas nullo modo posse nobis obiici: præsertim cum ei Christianum propositum nostrum humillimè aperuerimus, nostram Deliberationem exhibuerimus, denique nos obtulerimus, ad desistendum ab omnibus his, de quibus ex fundamento verbi Dei conuinci possimus, quod non sint nobis à Christo Domino mandata & iniuncta: vicissim etiam Cęsaream Maiestatem humillimè rogauerimus, vt in omnibus istis, quę certum ac firmum fundamentum suum habent in verbo Dei, & à quibus sine offensione & indignatione Dei desciscere non possumus, nos adiuuare, aut saltem non impedire dignetur, &c. Ad quam petitionem nostram Cæsareæ Maiestatis clementissimum responsum adhuc expectamus, ac propterea in hac re nullius inobedientiæ contra Cæsaream Maiestatem (quod crimen nostri contrà quàm eos deceat, officiúmque eorum, quo multipliciter nobis obligati & obstricti sunt, requirit, libenter intenderent) insimulari possumus. Verùm id libenter illis ignoscimus, Christóque Domino iudicandum commendamus.

Septimò, Hi qui Antididagma cõgesserunt, hoc quoque vehementissimè grauissiméque citant, quod in Præfatione nostra prę nobis feramus, nos decreuisse librum Reformationis sine vlteriori mora in lucem proferre ac diuulgare: imò nos nullo modo debere ad cuiuscunque hominis siue commune siue priuatum iudicium, vel vna hora differre diuulgationem: sed quicquid decretum summa diligentia in opus perducere, promouere ac tueri & conseruare. Quemadmodum etiam forma libri non in morem consultationis, sed pręcepti digesta sit. Verùm Authores Antididagmatis considerare debuissent, nos tam multa centena exemplaria dispersisse, quin saltem vnum aut alterum nobis reseruauerimus, ex quibus cognoscere possemus, vtrum omnia ea ratione, eó que sensu & intellectu quo ab ipsis citantur ac repetuntur, per nos scripto comprehensa sint. Verum vtcumque sit, in impressis exemplaribus nostris in citato loco hęc verba inuenimus. Potissimum cùm intelligant, decere nullo modo nos in iis rebus, quæ à Deo & Seruatore nostro ex eius verbo certò agnoscimus nobis & impositas & præceptas illius hominis siue commune siue priuatum iudicium vel ad horam expectare, &c. Ex quo elucet, quamuis speramus in nostra Consultatione de Reformatione, nihil nisi quod verbum Dei certò nobis imponit & præcipit, vel saltem quod fundamentum suum in eo habet, inuentum iri: ea tamen verba non hac forma, nec tali sensu à nobis scripta esse, quali ab Aduersariis perperam citantur. Eo enim loco nul-

lam mentionem fecimus, quod omnia quę in toto libro continentur differre nequeamus: sed ea quę & lector & nos agnoscere possemus certò nobis à Deo imposita & iniuncta esse, &c. Hoc autem verum est, quod totam Consultationem nostram omnibus Christianis, cuiuscunque ordinis seu dignitatis sint, nostris quoque iudicandam obtulimus ac exposuimus, eósque propter Dominum rogauimus, vt si quid in ea deprehendant, quod æterno verbo Dei non consentiens sit, aut ad veram fidei in Christum ædificationem facere non videatur, quæ est sita in diuini incrementi accessione, eius nos certiores reddant, & ex S. literis cum omni mansuetudine ac lenitate erudiant, pollicentes id nos in optimam partem accepturos, & ea quę intellecturi essemus ad Ecclesię reparationem conducere, propensa voluntate amplexuros, & diligentius facturos, &c. In quo significauimus, nos contentos esse non tantummodo ad differendum propositum nostrum, verumetiam ab eo penitus discedendum, si vel de minimo per verbum Dei possimus edoceri, quod aliquid instituerimus, quod præceptis Dei non sit consonum, aut ad veram fidei in Christum ædificationem non faciat.

Verum vt illud, quod & nos & alij ex vetbo Dei indubitatò agnoscunt, nobis à Deo mandatum & impositum esse, ad vllius hominis siue commune siue priuatum iudicium, longo vel breui tempore differamus, quis Christianus id nobis consulat? Et quid hoc aliud esset, quàm arbitrium ac placitum humanum, mandatis Dei, hominémque Deo anteponere?

Amplius dicunt Authores Antididagmatis, S. Scripturam, vetustiss. concilia, Patrésque veteres longè aliter docere, quàm nos in Præfatione nostra commemorauerimus, ac iam rursus confessi simus. Id longè diuersum esse ab eo quod in nostra præfatione, ex sacra Scriptura, vetustissimis Conciliis, Patribúsque veteribus instructi confessi simus, & nunc rursus confiteamur: Nempe in controuersis religionis nostræ negotiis, vniuersalis Concilij iudicium, atque vbi inferiores, minorésve Ecclesiæ in erroneam fortè opinionem inciderint, causas ad maiores & superiores Ecclesias, ac tandem ad Cathedram Apostolicam & Concilium generale deferendas: nec vllas interea temporis præsumendas nouationes. Neque enim Christum Apostolis suis gratis pręposuisse Petrum, eique principatum seu primatum cuiuslibet Episcopi authoritatem longè exuperantem contulisse.

Ad hęc omnia respondemus, Verbum Dei testatur, Deum dare sui Spiritum sanctum, qui eos inducat in omnem veritatem. Quamobrem negotia religionis apud filios Dei non temerè in controuersiam vocantur. Si verò contingit, vt ex filiis Dei quidam à carne & sanguine, necnon Satana vincantur, & in talibus negotiis in erroneum sensum inducantur, reliqui, quos Dominus adhuc in sano intellectu conseruat, omnem diligentiam adhibent, ac sedulam operam nauant, vt quàm citissimè fieri potest, errantes spiritu mansuetudinis ad verum intellectum

ctum reducant, in eóque nullum Concilium expectant. Et quamuis ij, qui inter filios Dei infirmi sunt in fide, vel alij in negotiis religionis plurimas contentiones ac controuersias excitant: debent tamen ij quos Dominus in veritate sua conseruat, nihilominus in confessione atque obedientia agnitę veritatis indesinenter pergere, in eóque nullum mortalium morari & expectare.

Postulat quidem interdum & operatur fraterna charitas, vt quò melius errantes de veritate instrui & edoceri queant, negotia religionis ad homines magis spirituales & Concilia deferantur, quemadmodum fecerunt Christiani Antiochiæ. Illi enim controuersiam, quæ apud ipsos de Mosaicis ceremoniis suborta erat, ad Apostolos, Presbyteros, & totam Ecclesiam Hierosolymitanam detulerunt. Verùm inde non sequitur, quod interea temporis à prædicatione & doctrina veritatis, ab administratione Sacramentorum iuxta institutionem Christi, ab ędificatione & reparatione Ecclesię Christi ociandum sit ac cessandum. Sicut nec Paulus & Barnabas vel vnius horæ spatium dum controuersia ista tractaretur intermiserunt, quo non veritate de suprà dicto articulo confiterentur ac docerent. Item quando Arrius & alij hęretici controuersias in religione excitarunt, habita quidem concilia sunt, ad eas deponendas, hominésque ex errore eripiendos: verùm nullus pius Episcopus & Ecclesiæ minister idcirco prędicationem veritatis Christi de talibus articulis controuersis distulit.

Cum igitur salua conscientia coram Deo testari possimus, quod in nostra Deliberatione propositóque Christianę reformationis, nihil sciamus contineri, nisi quod nobis à Christo Domino indubitatè prędceptum & impositum est, cúmque nemo hactenus extiterit, qui rem aliter se habere demonstrauerit, nullo modo nos decere potest, debitam obedientiam nostram in eo, in quo de voluntate Domini certè instructi & persuasi sumus, differre, negotiáque iamprimum ad superiores cathedras vel Concilia remittere. Id enim nihil aliud esset, quàm hominũ iudicio arbitrióque commendare, vtrum obedientia Deo prędstanda sit. Omnis pius Christianus hoc facilè intelligit: quod si in omnibus negotiis religionis, de quibus aduersarij & hostes Christi controuersias excitant, semper cessandum esset, donec negotia in Conciliis discuterentur, iamdudum cum vniuerso Euangelio Christi conticescendum fuisset. Nouationes, quemadmodum debemus, libenter euitabimus: & de iis quę in dubiũ vocantur, Ecclesias vberioribus donis dotatas, & Christiana Concilia libenter audiemus. Verùm vbi certa habemus mandata Dei, ibi cessare nõ possumus: sed oportet vt in eis permaneamus ac persistentes, non curantes quis propterea nos oppugnet & impetat. Breuiter, si quis est, qui nobis ex verbo Dei demonstrare potest, aliquid in deliberatione nostra de Reformatione, contineri, quod à Deo nobis certò mandatum non sit, vel etiam à nobis non requiratur, parati sumus ab eo penitus desistere, taceo ad Concilium id differre. Qui verò id non potest, is certè nec à nobis petere debet, vt cum

obedientia nostra Deo præstanda, vel per vnam horam vllum aut hominem aut Concilium expectemus. Cæterum quid istorum negotiorũ dilatione ad Concilia quæratur, id longo hactenus tempore experientia satis declarauit, nempe vt in pristino semper statu res permaneant, omnisque Christiana Reformatio tali prætextu excutiatur.

Quòd authores Antididagmatis hîc annectunt: Formam libri nostri non in morem consultationis, sed præcepti digestam esse: id nimis superstitiosum ac scrupulosum est, vt quiuis Christianus intelligit. Cùm in omnibus rebus, siue ordinationes sint, siue alia negotia, consultationes semper tali forma componi, scriptóque consignari soleant: quemadmodum eiusmodi ordinationes, vel alias causas ad extremum publicare, vel in effectum executionémque deducere optimum iudicatur.

Postremò quò magis sinistram de nostra Consultatione suspicionem excitent, dicunt, Eam (quam ipsi errorem appellant) non à nostra persona (quam optimum virum nominant) sed ab externis, qui Capitulum non fida, nec æqua mente prosequantur, defluere. Quibus perinde sit, qualecúnque dent consilium modo proposito eorum conducat. Quod ipsum vel hinc eliciatur, quod in præmonitione & mandato contra errorem Anabaptistarum, Cæsareæ Maiestatis edictum aduersus Anabaptistas, vt minimum in tribus partibus, non sine magna peruicacia temeritatéque abrogarint.

Quantum ad hoc, quod nos optimum virum nominant, & tamen nihilominus inferre conantur, quod per malos homines patiamur nos in eiusmodi errorem abduci, &c. Ad id iam antè respondimus: & in eadem responsione permanemus, dicentes, Quòd si tanta rerum diuinarum ignorantia laboraremus, vt mali ac perfidi homines tam citò in adeo periculosas pes seducere possent, idonei non essemus ad grauissimum opus Christianæ reformationis in nos recipiendum. Ac si id tantis ignorantiæ tenebris obcæcati in nos reciperemus, nihil minus essemus, quàm in ista vocatione tolerandi. Hinc igitur liquet, quàm egregiam pietatis laudem nostri nobis tribuant, cùm constet eam non humanam taceo Episcopalem pietatem ac probitatem esse, pernicioſos errores ac dissipationem Christianæ religionis nostræ contra verbum Dei & Cæsarea edicta introducere, ex quacunque tandem informatione & instructione id fiat.

Quod authores Antididagmatis dicunt, eos qui nos ita informauerint, nostro nomine in præmonitione cõtra errorem Anabaptistarum, Cæsareæ Maiestatis edictum, & minimum in tribus partibus magna peruicacia & temeritate abrogasse. Primum vbi Præfectum simul cum prædicante ordinent inquisitorem & examinatorem huius, sicut & aliarum hæresum: cùm Cæsareæ Maiestatis edictum inquisitionem huiusmodi spirituali tantum iudici commendet.

Ad hoc respondemus. Spiritualium, & quidem verè spiritualium iudicum inquisitionem in hanc & alias hæreses nostra ordinatione non tolli. Quoniam verò propter penuriam ac defectum sanę doctrinæ, & assiduæ inspectionis verorum Pastorum, plurimi errores hinc inde in

vulgo

vulgo suboriuntur, quo citius tempestiuiúsque illis occurratur, ex authoritate veterum Canonum, Cæsareíque edicti cõstituimus, vt præter Pastores etiam præfecti nostri hac in parte suam conuenientem faciant inspectionem, vt qui & magis metuuntur, & errantes ad ordinariam inquisitionem melius adigere possunt. At quid per hoc Cęsareo edicto derogatum est, quando id ipsum quod præcipit, magis ordinaria via perficitur. Etenim ordinarij spirituales iudices non possunt singulis temporibus in omnibus locis esse. Adhęc non prohibet Cæsareum edictum, quominus per quemlibet pastorem & præfectum, imò quemnis Christianum, quàm citissimè fieri potest, omnis generis erroribus occurratur, emendatióque quęratur. Alterum quod Cęsareo edicto contrarium esse aiunt, est quod in dicta prćmonitione permittatur, Anabaptistas quoslibet sine differentia donare venia: vbi Imperiale edictum mali tanti incensoribus nullum faciat venię locum. Tertium item quod in eadem prćmonitione constitutum sit, pertinaces in errore Anabaptistas relegare aliò vbi exulent, cùm Edictum illud disertis & expressis nominibus vetet, nec ista possunt ad eiusmodi grauem nostri diffamationem citari, quemadmodum nostri libenter facerent. Nostra enim deliberatio nullius venię meminit, sed tantummodo vult vt Anabaptistæ qui tractabiles sunt, & se doceri patiuntur, errores suos coram Inquisitoribus publicè abiurent. Sic etsi relegationis in exilium meminit, his tamen ambobus adiunctum est, iuxta legem Imperij & Imperialem Cõstitutionem de his decretam & editam. Et licet nostra ordinatio erga eos qui ad veritatem se reduci patiuntur, vel alioquin non periculosè admodum errant, ad lenitatem ac mansuetudinem tendat, id tamen non debebat ipsos, spirituales viros tantoperè offendisse, qui in nulla capitali causa sine pollutione ac violatione muneris atque ordinis sui iudicare volunt: præsertim cùm sciant si strenuitatem rigorémque Canonum & legum contra illos exequi oporteret, quàm molestum, quàm intolerabile id ipsis foret.

Ex hoc quilibet veritatis amans & non partialis Christianus facilè animaduertere potest contrariam sententiam eius, quod nobis & Deliberationi nostrę calumniosè ascribitur: seipsum quoque edocere, quod nostra deliberatio non adeò peruicaciter ac temerè: neque contra verbum Dei, vel vllam bonam constitutionem & ordinationem esse compositam. Nam quemadmodum authores isti Antididagmatis in præfatione sua & toto Antididagmate erga nostram Deliberationem se affectos esse declarant, haud dubiè voluerunt in præfatione sua eiusmodi vitia proferre, quę pro notissimis atrocissimísque habuerunt.

Verùm legatur tota Prćmonitio nostra & mandatum contra Anabaptistas, quam in Deliberatione nostra posuimus, & clarè apparebit, eam omnibus modis Christianam, & tã verbo Dei quàm Obseruationi veteris Ecclesię omninò cõsentaneã esse: Cęsareóq; edicto nullo modo

contrariam,sed potius ad Christianam eius executionem vtile. Cùm igitur in istis rebus, in quibus se nos captos tenere existimant, tam calumniosè ac sycophantarum more agere deprehendantur, facilè est cuiuis Christiano coniectare, quid fundamenti eorum accusationes habeant in aliis articulis,in quibus illi ipsi perpenderunt,Deliberationem nostram non posse tali specie reprehendi. Verùm id ex subiecta refutatione nostra clariùs & abundantius animaduertetur.

Hæc verò in genere tantùm ad iniquas eorum accusationes respondere debuimus,propter varias,eásque magni ponderis causas:inprimis verò vt omnis adulterinus falsúsque ornatus, fucus ac prętextus nudetur,& remoueatur:veritas clariùs eluceat,ac conspiciatur,&soli Deo omnis honor ac gloria tribuatur.

Simul etiam Christianis indicare voluimus, quàm longè ab eo absimus,quod nostri admodum calumniosè nobis ascribunt. Item quod in nostro proposito Christianæ Reformationis, inuocatione & constitutione prædicatorum,in institutione & publicatione Deliberationis nostræ,omnibúsque subsequentibus actionibus,quas in hoc negotio, vt semel re ipsa & effectualiter Christianam Reformationem apud nostros introducere auspicaremur, exercuimus, nihil inordinatum, nihil quod nobis à Deo Opt.Max. à magistratu temporali, ex authoritate veterum Ecclesiarum, & Christianorum Imperialium Edictorum, denique Ratisbonensis Recessus, non sit certè mandatum & iniunctum, nec non ad officium nostrum propriè pertinens, instituerimus,aut reipsa peregerimus.

Ad extremum rogamus omnes Christianos,ad quorum manus hæc nostra Apologia perueniet, ne grauentur syncero animo simplicem nostram Deliberationem legere, & cum salutifero verbo Dei fideliter conferre, nec non hanc nostram Apologiam: & post inuocatum Christi spiritum,de nostro proposito,& tota actione in hac causa sententiam pronuntiare. Et haud dubiè agnoscent ac iudicabunt, nos ex officij nostri debito,Domino nostro Iesu Christo, temporali magistratui,quemadmodum omnia Ecclesiastica iura,& Ratisbonensis Recessus postulat,debitam obedientiam,nostrísque piam prospectionem & curam animarum præstare & exhibere paratissimos esse. Dominus Deus qui animum nostrum & intimas cordis nostri cogitationes nouit, cuius opus ac mandatum est totum quod agimus, gratiam auxiliúmque suum ad id largiatur, vt tandem ad gloriam eius & ædificationem populi Christiani vergat, Amen.

Primâ

Prima accusatio aduersariorum.

De Ecclesiæ Catholicæ doctrina, & in quo illa contineatur.

Caput I.

PRIMA Accusatio Aduersariorum est, quòd dogmata quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, habeamus partim conscripta ex doctrina, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio, quodque iis quæ per traditiones ad Ecclesias Christi peruenerunt, non minus habenda sit fides, quàm his quæ in S. Scripturis expressè continentur.

Hanc sententiam suam probare conantur testimoniis S. Patrum, Basilij, Irenæi, Tertulliani, Hieronymi, Augustini &c. Libenter verò Reformationis accusant, quod non modò de huiuscemodi doctrinis ac ceremonijs mentionem non faciat, verumetiam multis modis eisdem repugnet.

Ad Confirmationem verò istorum quæ dicta sunt, primùm omnium ponunt, librum Reformationis docere, quod præter doctrinam in Prophetis & Apostolis comprehensam, nihil certi de voluntate Dei, aut hominum salute, certo testimonio reuelatum aut traditum sit. Et quod Ecclesia ei soli superstructa sit, quod in scripturis reperiatur expressum, nec aliud populo proponi debere. Quodque omne aliud (tanquam purè humanum) incertum sit, inutile ac noxium.

Deinde dicunt Librum contendere, scripturam abundè sufficere ad docendum omnia exactè & consummatè, omnemque errorem denudandum & remouendum.

Tertiò: Toto hoc libro Reformationis multas Catholicas institutiones, obseruationes & consuetudines, à tempore Apostolorum in vniuersa Catholica Ecclesia vsitatis, & traditas, & per Concilia vniuersalia roboratas. Similiter multas particulares, sed salutares ordinationes in Diœcesi Colonienſi à primis eius Episcopis institutas, reiectas esse, permissumque cuiuis pro libidine agere contrarium. Hæc prima est accusatio libri Reformationis.

Defensio Libri Reformationis ex Verbo Dei desumpta.

IAm quò clariùs perspiciatur, vnde hæc Accusatio orta sit, quóq; fundamento nitatur, ponendum imprimis est, quod de institutionibus traditionibus & doctrinis, quæ cùm in verbo Dei expresse non sint, tamen in Ecclesiis obseruari & vsurpari cõsueuerunt: statuendumq; quod id in libro Reformationis non sit prætermissum, sed, quatenus ad gloriã Dei, & fidei ædificationem conducturum sperabatur, fideliter traditum, & claris verbis expressum. Deinde ostendendum erit, quàm imbecillia sint aduersariorum firmamenta, quibus ad oppugnandum librum Reformationis vtuntur.

Primũ igitur & rectè in libro Reformationis positũ sit. Nullũ aliũ extare librũ, in quo certa & indubitata Dei doctrina nobis tradita & reuelata

sit, præter libros veteris & Noui Testamenti: quódque Concionatores omnes conciones suas, omnémque doctrinam ex illis depromere ac confirmare debeant: ex sequenti fundamento scripturæ euinci potest.

D. Paulus ad Timotheum discipulum suum ac filium germanum sic scribit: Mali homines & impostores proficient in peius, dum & in errorem abducunt, & errant ipsi: At tu persistito in his quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quod à puero S. literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinā, ad redargutionē, ad correctionem, ad institutionē, quæ est in iustitia, vt integer sit homo Dei ad omne opus bonū apparatus. 2. Tim. 3.

Hoc est diuinum testimonium à Paulo S. literis perhibitum: in quo etiam docetur, quomodo Timotheus illas à puero didicerit, eo videlicet modo quo tunc temporis comprehensæ erant tantum in lege Mosaica, Prophetis, aliisque sacris voluminibus veteris Testamenti, quæ ἀγιόγραφα dicuntur. Nam tunc libri noui Testamenti nōdum extabāt.

Hoc testimonium omnes Christiani pia mente intueantur, ac diligēter perpendant, quod Spiritus sanctus Timotheum iubet, vt se contra ingruentes falsos doctores & impostores frequenti scripturarū lectione armet; vtque in his quæ didicerit, firmiter persistat, hortatur: testaturque scripturam esse, quæ ipsum eruditum reddere queat ad salutem: quæque vtilis sit ad docendum abundè, quæ bona ac vera sunt: ad redarguendum verò quæ sunt contraria: ad corrigendum quod prauum est: denique ad instituendum rudiores, vt homo Dei sit ἄρτιος id est ad omnia opera bona paratus, & quemadmodum esse debet, omnibus numeris perfectus & absolutus.

Quam quæso doctrinam potest homo Dei exoptare, præter eam, quæ ipsum sapientem, & eruditum ad salutem reddere valet? Cúmque idem homo Dei ex S. Scripturis affatim id quod verum ac bonum est edoceri: & per easdem à contrariis vel præseruari, vel reuocari possit, quid est vt ampliorem doctrinam inquiramus? Ad hæc cùm per S. Scripturam, tanquam instrumentum ad hoc ipsum à Deo comparatum, ad omnimodā iustitiam, & æternam salutem doceri, institui, & apparari possimus, cur tādem hanc faceremus Deo contumeliā, vt non potiùs scripturā ipsius ad id ipsum vsurpare vellemus, quàm quiduis aliud ab hominibus traditum, aut scripto relictum? Quare non obsequeremur mandato spiritus sancti, qui iubet, vt persistamus in scripturis, intráque limites ac sepia eius nos contineamus? Præsertim cùm Christus Dominus ipse, & Apostoli eius id ipsum quàm diligentissimè obseruarint.

Ij enim omnem suam doctrinam, non ex traditionibus, sed ex scripturis confirmarunt: & ex iisdem omnes errores confutarunt. Eodem modo fecerūt & S. Patres, & nemo qui Deum verè cognoscit, & S. eius scripturā vel semel rectè inspexit, aliter facere potest. Si enim vniuersa totius mūdi sapiētia in vnū coëat, nihil tamē fingere aut excogitare poterit, quod ad iustificationē & salutē hominis, vel tātillū cōferre queat, quī id Clemētiss. Deus in scripturis suis clarissimè, abūdātissimè & certissimè nobis

nobis posuerit ob oculos. Quare non immeritò Psalmus canit, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Beati qui custodiunt testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Tunc non confundar, cùm respexero ad omnia mandata tua. *Psal. 119.*

Ex hoc fundamento verbi Dei cuiuis Christiano perspicuum est, in libro Reform. rectè ac piè positum esse: Doctrinam Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, in nullis aliis libris sub cœlo contineri, quàm Prophetarum & Apostolorum: item non aliam esse doctrinam, in qua voluntas Dei de iustitia & salute generis humani, certis testimoniis patefacta sit, propter eam quæ in scriptis Prophetarum & Apostolorum est comprehensa. *Cap. 1. de doctrina.*

Maximoperè igitur necessarium esse, vt omnes concionatores vero timore Dei, ac summa diligentia S. scripturas legant, quò & se & alios ex eis erudire & instituere possint.

Vtque Pastores & Concionatores omnes conciones & doctrinas suas ex S. literis desumant, atque confirment: quandoquidē prēter S. Biblia, nullus extat in mūdo liber, qui de omnibus iis, quæ ad iustitiā & salutē nostram sunt scitu necessaria, nos exactè instruere, ac certos reddere possit. Patres enim ipsi fatentur, multos adhuc in libris suis errores inesse. Vnde factum est, vt in plurimis articulis non per omnia consenserint, imò quod maius est, vt fermè singuli eorum sæpius opiniones suas mutarint & correxerint.

Quid igitur à nobis hac in re peccatum est? Ecquis alium librum poterit nobis demonstrare, in quo diuina & saluifica doctrina contineatur, hoc est, tam purè tam certò tradatur, vt nihil in eo quàm ipsum Dei verbum, idque tam perfectè ac plenè comprehendatur, vt ex eo ad salutem, ad omnimodam perfectionem, ad omnis generis virtutes, denique ad vitam æternam erudiri & instituí possimus?

Verum est, doctrinam Dei in libris S. Patrum esse explicatam, & multas in illis cásque præclaras admonitiones, redargutiones, & consolationes inesse: verùm istæ omnes ex S. Bibliis desumptæ sunt. Quinimò nullus vnquam S. Patrum de se prædicauit, quod in vllo suo libro doctrina Dei plenè perfectéque contineatur.

Dissolutio Obiectionis, desumpta ex verbo Dei.

QVod verò Aduersarij D. Paulum, multósque Patrum, de traditionibus & obseruationibus non scriptis adducunt, de eo sic se habet veritas Christiana.

Certum est quod Apostoli diuersas obseruationes ore tradiderunt Ecclesiis, quas Domino plantarunt ac collegerunt, quę in eorū scriptis, qua Dominus Deus singulari benignitate ad nos vsque conseruauit, nō reperiuntur manifestis verbis expressæ. Ac fieri quidem potest, D. Paulum de huiuscemodi traditionibus locutum esse, cùm ita scripsit Corinthiis: Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi. Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Item 2. Thessa. 2. Nos autem debemus gratias agere

Deo semper de vobis fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus ab initio in salutem per sanctificationem spiritus, ac fidem veritatis, ad quod vocauit vos per Euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Itaque fratres state & tenete institutiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

In his locutionibus verisimile quidem est, D. Paulum per vocabulum παραδόσεις eas institutiones intellexisse, quas sermone tantum absque scripto Ecclesiis illis tradiderat.

Veruntamen Christianus præcedentia quoque verba diligenter intueatur, nempe, Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi. Et, Elegit vos Deus in salutem ab initio, per sanctificationem spiritus, ac fidem veritatis. Et, vocauit vos ad acquisitionem glorię Domini nostri Iesu Christi. Item, Itaque fratres state, & tenete institutiones, quas didicistis, &c. His verbis clarè ostendit Apostolus, se nihil aliud ore & sermone Corinthiis ac Thessalonicensibus tradidisse, quàm per quod promoueri potuerint, tum ad plenius obtemperandum Domino, tam ad pergendum, ac proficiendum in sanctificatione, in fide veritatis, & acquisitione gloriæ Christi.

Eiusmodi institutiones nihil de benedictione salis & aquæ: nihil de cereis, nihil de peculiari & inusitato habitu, nihil de Salue regina, nihil denique de aliis id genus nugis docuerunt: sed quo pacto Ecclesiæ Christi per publicas ac pias electiones, per diligentes examinationes, idoneos ministros ordinare & instituere debeant: ac vicissim quomodo Ministri suo ministerio ritè perfungi: tum qua ratione totæ Ecclesiæ, & singuli in eis homines, in Christiana modestia & disciplina ædificationem sint promouendi: quomodo sacri cætus cogendi sint ac celebrandi, singulíque teneantur in eis comparere: quomodo sacramenta administranda, & percipienda: quomodo potestas clauium, & disciplina Ecclesiastica exercenda: & quæ sunt his similia.

Has itaque traditiones libenter Apostolicas agnoscimus, videlicet Ordinationem baptizandi infantes, & vt inter baptizandum homines diabolo & mundo renuncient, suámque fidem confiteantur. Item communionem, & Apostolicam traditionem, quam vocant symbolum duodecim articulorum fidei: Consuetudinem in Ecclesia Christi signo impositionis manuum confirmandi eos, qui in infantia baptizati, fidem suam & Christianam obedientiam nunc in Ecclesia profitentur: Rationem eligendi, examinandi & ordinandi ministros Ecclesiæ, quæ postea multis Canonibus Patrum comprehensa est, ac fusius explicata: Ordinationem iudicij Ecclesiastici, & potestatis clauium.

Morem sanctificandi diem Dominicum, & alia pia festa: Institutionē & obseruationem piorum ieiuniorum, lectionum, Psalmorum, precum, & oblationum in publicis cœtibus, pro sustentatione pauperum, & quando ministratur, S. cœna, atque illa in frequenti Ecclesia, & ante alios cibos administretur & præcipiatur.

Has atque id genus alias institutiones tradiderunt Apostoli, Eccle-

siis

siis Christi ore id quod vel ex eo colligi potest, quod Lucas Act. 14. cõmemorat de Barnaba & Paulo, quomodo Ecclesias, quas Christo Domino lucrifecerant, visitauerint, eisque de idoneis ministris diligenter prospexerint. Ex eo quoque quod D. Paulus Timotheum ac Titum de Ordinatione Ministrorum docet. Item quod 1. Timoth. 2. scribit de modo quo debeant in Ecclesia fieri deprecationes, obsecrationes, interpellationes, & gratiarum actiones Domino pro omnibus hominibus, & quod cùm viri, tum mulieres in talibus congregationibus honestè ac decenter debeant se gerere. Inde etiam quod D. Paulus 1. Cor. 11. rationem ac modum præscribit Corinthiis, sacram Domini Cœnam piè celebrandi. Tum ex eo quod 1. Cor. 14. vsum peregrinarum linguarum, si absit interpretatio, vetat: quódque Prophetias ordine, & ad ædificationẽ totius Ecclesiæ fieri iubet: nempe vt alter alteri cedat, vtq; Prophetiæ à tota Ecclesia diiudicentur, quò simul & omnis confusio discordiáque vitetur, & omnia ordine ac decenter in Ecclesia Christi peragantur.

Cùm igitur de Traditionibus Ecclesiasticis disputatur, quænam Ecclesiis Christi adscribendæ sint, atque idcirco obseruandæ: quæ minus, diligenter inspicienda sunt Christiano & ponderanda, quæ Spiritus S. hoc loco de ordinationibus & exercitiis Ecclesiæ scribit. Admodum propriè enim & euidenter docet finem, naturam, ac verum modum omnium doctrinarum, traditionum, institutionum & consuetudinum, quæ etsi in S. Literis nominatim non continentur, nihilominus tamen possunt ac debent Ecclesiis Christi proponi & institui, in eo tempore quod vult, vt in Ecclesia Christi omnia intelligenter, decenter, & ordine ad ædificationem fidei in Christum & omnis pietatis prouectum peragantur, intelligantur, recipiantur & obseruentur.

Eodem enim loco postquam prohibuit, ne precationes, cantiones, & Prophetiæ in Ecclesia Christi fiant aliena lingua, hanc rationem subiungit, quòd Ecclesia hoc modo non ædificetur, hoc est, neque doceatur, neque excitetur, vt peccata sua, & misericordiam Dei in Christo Domino plenius agnoscat, à peccatis sese conuertat, veráque ac solida fide in obedientiam Christi sese dedat. Ad hæc quando vult, vt ij qui ad intellectum & ædificationem Ecclesiæ prophetant, ordine hoc ipsum agant, vt vnus aut alter soli, idque per vices, causam eius adiungit, quod Deus non sit author confusionis, sed pacis. Item cùm mulieres prohibet in Ecclesia verba facere, subnectit, id non esse decorum, neque in aliis Ecclesiis vsitatum, sicut nec Sacris Scripturis consentaneum, vt mulieres in cœtibus virorum loquantur aut doceant.

Ex hac doctrina Spiritus S. diiudicandæ sunt omnes Ecclesiarum traditiones, ac diligenter videndum, quænam efficaciter conducant ad id, vt omnia ea quæ vnicus Seruator noster Christus nobis instituit, meliùs intelligamus, plenius credamus, studiosiùs acceptemus, & diligentiùs exerceamus. Ipse enim Christus finis legis est, vt inquit Paulus, Rom. 10. Debet igitur & omnium quæ Christianæ

plebi traduntur & instituuntur, scopus esse ac finis. Etenim omnis ordinatio Ecclesiastica idcirco à Domino instituta est, & tradita Ecclesiis, vt faciat ad ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia, vt hoc modo per omnia adolescamus in ipsum Christum, qui caput est, Ephes. 4. Quamobrem oportet, vt omnes doctrinæ, omnes traditiones in Ecclesiis, quæ quidem piæ sunt & à Spiritu S. profectæ, conducant eò, vt id ipsum quod Dominus docuit, & instituit, tam verbo quàm Sacramentis, magni ab hominibus fiat, attentè audiatur, plenè intelligatur, altéque infigatur mentibus: quò & Seruatoris Christi auxilium ad hanc rem attentiùs implorent, gratias agant pro beneficiis acceptis, & ad obedientiam diuinis mandatis magis excitentur, & inflāmentur.

Iam constat omnes traditiones Apostolorum, quæ de peculiaribus quibusdam obseruationibus in vita agunt, spectare eò, vt quiuis Christianus, cuiuscunque ordinis & conditionis sit, siue subditus, siue maritus, siue vxor, siue parentes, siue liberi, siue dominus, siue seruus, quemadmodum id à Paulo describitur Ephes. 5. & 6. Coloss. 3. & 4. 1. Tim. 5. & 6. 1. Pet. 2. & 3. Sic quæcunque de disciplina, & potestate clauium, Apostoli tradiderunt, eò respexerunt omnia vt ij qui in grauiora peccata prolapsi essent, ad veram pœnitentiam peccatorum, ac vitæ emēdationem permouerentur, & in tota Ecclesia magis ac magis abominanda & detestanda redderentur. Id quod manifestè colligitur ex eo, quod Paulus hac de re scribit 1. Cor. 5. & 2. Cor. 7. & 2. Coloss. 3. quibus in locis expressām mentionem facit suarum institutionum, quas ore tantum, sine scripto Ecclesiis tradiderat. Quare cùm de traditionibus Apostolorum non scriptis disputatur, hic quoque locus diligenter inspiciendus & perpendendus est, qui sic habet.

Præcipimus autem vobis fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem, quam accepit à nobis, κατὰ παράδοσιν ἣν παρέλαβεν παρ' ἡμῶν. Nam ipsi scitis quomodo oporteat imitari nos, quoniam non inordinatè gessimus nos inter vos, neque gratis panem accepimus à quoque, sed cum labore ac sudore, nocte diéque facientes opus ad hoc, ne cui vestrūm oneri essemus: non quòd nobis id non liceat, sed vt nosmetipsos formam exhiberemus vobis ad imitandū nos. Etenim cùm essemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis, vt si quis nollet operari, is nec ederet &c.

Ex hoc loco manifestum est, in quem finem Apostoli omnes ordinationes suas, de peculiaribus vitæ rationibus & conditionibus instituerint, videlicet, vt vnusquisque in suo statu pacificè, tranquillè, & ad commodum non ad detrimentum omnium hominum viuat; adeò vt neque manducet, neque in cœtu Christianorum toleretur, qui non vtilem aliquam negociationem exercet, quod Apostolus hoc loco per nomen Domini nostri Iesu Christi mandat, & antea sermone tradidit.

Hæc loca quæ ex Apostolicis scriptis de ordinationibus & institutis Apostolorum adduximus, summa diligentia piis mentibus inspicienda sunt & perpendenda: ita enim perspicient, nullas consuetudines, nullas obseruationes

obseruationes Ecclesiæ posse Apostolicis traditionibus in veritate adscribi, nisi eas tantummodo quæ in hunc finem efficaciter tendunt, & adhibentur, quo maiori studio, doctrina, sacramenta & mandata Domini ab hominibus percipiantur, plenius credantur, diligentius exerceantur, & in tota vita obseruentur. Quæcunque verò ordinationes vel publicè vel priuatim Christianis institutæ, ad hunc finem non tendunt, inutiles sunt ac infirmæ, puréque humanæ: ad nihil aliud conducentes, quàm vt seruile grauamen, iugúmque Iudaicum hominibus imponatur: modò hoc absit, vt aliquam spem de remissione peccatorum, & misericordia Dei promouenda, in his ponant. Si enim hoc quoque accesserit, tunc istæ traditiones in meram idololatriam, & horrendam Dei abominationem conuertuntur.

Porrò vt aduersariorum rationibus quoque respondeamus, sciunt omnes, quotquot Librum Reformationis legerunt, ipsum falsò & immeritò ab Aduersariis accusari. Nihil enim omnino de Traditionibus Apostolorum non scriptis in eo docetur, quod cum Christianis obseruationibus & consuetudinibus pugnet: id quod ipsi multipliciter in hoc libro fieri falsò criminantur: nec vnica talis traditio in eo aboletur, cùm ipsi innumeras reiici & repudiari asseuerent. Plurimæ enim institutiones in eo libro ponuntur, & obseruari iubentur, quæ non scripto, sed ore tantum fuerunt ab Apostolis traditæ & institutę, cuiusmodi sunt: Consuetudo in S. cœtibus aliquem locum scripturæ legendi & explicandi: precandi item, ieiunandi, & offerendi pro pauperibus: quæ traditiones sub propriis titulis nominatim sunt in hoc libro expressę. Eodem modo se res habet de legitimo vsu Exorcismi apud Baptismum: de vera administratione & perceptione S. Baptismatis, & quod omnes infantes debeant baptizari: de Christiana confirmatione, de Sacra Cœna domini: de disciplina Ecclesiæ & potestate clauium: de institutione & ordinatione Pastorum, &c. denique de omnibus verè Apostolicis exercitiis, id quod videre est in omnibus titulis, quæ de his rebus expresse ponuntur.

Item qui sint veri libri veteris & noui Testamenti, quæ summa est ac principalis Apostolorum, & Apostolicorum Patrum ac doctorum traditio: qui sit genuinus & Apostolicus sacrarum literarum intellectus: nec non de essentia diuina, & tribus personis in diuinitate: ad extremum de Incarnatione verbi, & duabus in Christo naturis, ac vna tantum diuina persona. Quas traditiones Liber Reformationis proponit sub titulo, De essentia diuina ac tribus personis, & de schola Theologica. Hinc cuiuis Christiano perspicuum est, Librum Reformationis non modò non reiicere veras & Apostolicas traditiones, verum etiam nihil omnino docere, quod illis aliqua ratione repugnet. Eodem modo nunquam poterunt vel vnam aliquam vtilem & salutarem ordinationem, ab Episcopis Colonien. institutam, in medium proferre, quæ per Librum Reformationis abolita sit & abrogata. Patet igitur Aduersarios eidem libro fictum ac falsum crimen intendere.

Atque ô vtinam Aduersarij verè Apostolicas traditiones pristinæ suæ authoritati ac pio vsui restituerent: tum enim Liber Reformationis ab

oppugnationibus & criminationibus eorum satis tutus foret. Nempe vt curarent, ne quid aliud in S. conuentibus prælegeretur, quàm S. scriptura, ex eáque sola conciones & cantiones desumerentur: vt Pastores soli Animarum curæ, soli doctrinæ & institutioni plebis inuigilarent, omnésque mundanas occupationes, nec non rudem istam nimísque nudam legendi & canendi consuetudinem abiicerent: vt sanctè & inculpatè viuerent, vel si secus facerent, in hoc ministerio non tolerarentur: vt omnes lectiones, precationes & ceremonias, quas in Ecclesia coram multitudine exercent, ita temperarent, vt omnia quæ ibi geruntur, tota Ecclesia intelligere, atque per ea in fide Domini nostri Iesu ædificari & prouehi posset. Vt S. Cœna Domini semper vna tantùm in vno populo celebraretur, & sub vtrisque signis omnibus ex æquo distribueretur. Tales traditiones aliæque id genus quàmplurimæ, de quibus dubium non est, quin ab Apostolis sint protectæ, id quod Aduersarij ipsi fatentur, iamdudum in Ecclesiis eorum in desuetudinem abierunt. Hanc manifestam deprauationem, & pernicioſum verè Apostolicarum traditionum neglectum, hanc euersionem piarum & salutarium ordinationum Aduersarij defendunt, & interim Librum Reform. accusant, quasi traditionibus Apostolicis repugnet: multásque antiquas pias & salubriter institutas ordinationes aboleat: id quod, teste conscientia eorum, nunquam in æternum demonstrare poterunt.

Verum hæc præcipua causa est, propter quam Aduersarij hunc librum Reformationis tam grauiter oppugnant: nempe quòd verè Apostolicas ordinationes in pristinum ac pium vsum restituere conatur. Metuunt enim ne si id fieret, prouentus ac beneficia eorum, quę ab Ecclesiis sumunt, honores quoque & dignitates, quas sibi in Ecclesiis acquisiuerunt, diutius subsistere non possint: id quod luce meridiana clarius est. Cùm tamen liber Reform. adeo leniter agat, vt quilibet suos honores, suáque beneficia facilè retinere possit, dummodo Domino nostro Iesu Christo suum ius, suúmque imperium in Ecclesia eius saluum relinquatur, suámque authoritatem retineant, quæ expressè ab eo mandata sunt & præcepta.

Quid senserit antiqua Ecclesia de Traditionibus.

Cap. II.

ADversarii adducunt plurima loca ex S. Patribus, ad comprobandum, quòd vetus Ecclesia senserit, non omnem doctrinam ex S. literis desumi & confirmari posse: sed esse adhuc pia quædam dogmata & obseruationes, quæ sola traditione & institutione Apostolorum ad nos vsque peruenerint, quarum nihil vspiam in S. literis inueniatur distertis verbis expressum: eas non minorem habeat vim ad pietatem, quàm ea quæ reperiuntur in scriptis Apostolorum expressa. Et si quis aggrederetur eiusmodi consuetudines nullis scriptis,

scriptis præditas, velut non magnam vim habentes, reiicere, eum etiam ipsis principalibus Euangelij partibus iniuriã inferre: imò potius ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contrahere: denique cum tali de religione non esse agendum, quandoquidem non omnis doctrina pietatis ex Scriptura deduci, aut ex ea sola comprobari possit. Et hanc sententiam suam putant se ex Epiphanio, Basilio, aliisque Patribus confirmare posse. Cæterùm quo magis perspicuum fiat, quid in hoc negotio vetus Ecclesia senserit, tria notanda erunt. Vnum est, Quàm multas traditiones veteres instituerint, & quomodo. Alterum, Vnde certiores reddi possimus, quæ sint reuera traditiones Apostolicæ. Tertium, Quomodo dicta Patrum de traditionibus diiudicanda & discernenda.

Primum, de cuiusmodi traditionibus perpetuò loquantur Patres, & quàm multiplices proponant, tũ quas pro verè Apostolicis, hoc est, sine dubio ab ipsis Apostolis traditis agnoscant, quas item excogitatas & confictas ab hominibus. Iam si vetutissimorum Patrum loca, in quibus de doctrinis & obseruationibus non scriptis loquuntur (cuiusmodi est ille locus Irenæi lib. 3. per quatuor priora capita) diligenter intueamur: qualis etiam est ille Tertulliani in libro Præscriptionum, & lib. 3. contra Marcionem: item de Corona militis, apparebit S. Patres alia de doctrina, alia de ritibus ac ceremoniis Ecclesiasticis tradidisse: & in vtroque genere alia vt ad agendum necessaria, alia vt non necessaria proposuisse.

Principalis traditio Ecclesiæ est, quinam sint Canonici libri Veteris & noui Testamenti. Ea in nullo scripturæ loco habetur disertis verbis expressa, sed ex traditionibus veterum ad nos vsque peruenit: quemadmodum nec illa: Scripturam iuxta eum sensum, quem in communi symbolo confitemur, explicandam & intelligendam esse: & quemadmodum idem ille sensus in posterioribus symbolis prolixiùs traditus & fusiùs explicatus est, quem S. Patres semper ex S. scripturis principaliter confirmarunt, quamuis traditiones quoque allegabant. Hæ traditiones ad doctrinam pertinent, & sunt obseruatu necessariæ.

Præter has sunt aliæ traditiones & de Interpretatione Scripturarum, quibus necessarium non est adhibere fidem: cuiusmodi hęc est, quam Epiphanius de Lazaro commemorat, quod 30. annorum fuerit, cùm primò moreretur, (*& quod vixerit 30. post resuscitationem lib. 2. to. 2. pag.* 193.) Item cuius meminit Basilius, quòd Zacharias filius Barachię, quem Christus in Euangelio narrat inter templum & aram à Iudæis interfectum, fuerit pater Ioannis Baptistæ. Item quod Magi ex Oriente iamprimum biennio post natiuitatem Christi Hierosolymam venerint. Hæ traditiones, neque id genus aliæ, etiamsi à quibusdam veteribus adducuntur, non tamen apud omnes sunt in eadem authoritate, nec vnquam quisquam alterum propterea

Irenæus lib. 2. cap. 30. 40. refert ex traditione Ioannis Apostoli Chrũ stum prætergressum annum quadragesimũ nondum attigisse annum quinquagesimum, hæc opinio plurimum discrepat ab ecclesia recepta opinione asserit quod Christus non solum vno anno prædicauit.

condemnauit. Non enim erant traditæ ab ipsis Apostolis, sed opiniones antiquę, quibus obseruandis ac tenendis nemo esset adstrictus.

Aug. Epist. 107. p. 23. & de peccatorũ meritis cap. 20. refert traditiõnẽ dandi infantibus Eucharistiam.

Sic & inter ritus ecclesiasticos alij sunt vniuersales, & necessarij ad obseruandum, alij verò non item. Vt quod fideles celebrant pios conuentus: quod in iis sacras Scripturas legunt & interpretantur: quod sacramenta solenniter administrant: quod diabolo & mundo renunciant, & profitentur fidem suam: quod infantes baptizantur, alięque id genus ordinationes. Hæ omnes necessariæ sunt, & debent ab omnibus obseruari. Quod verò Tertullianus commemorat in lib. de Corona militis, Baptizatos olim consueuisse post perceptum Baptismum lac & mel comedere. Frontem ad omnia quæ quiuis agit & exercet, signo crucis munire: diebus Mercurij & Veneris ieiunare: has & similes obseruationes nemo iudicabit vniuersales & necessarias.

Epiphan. lib. 3. tom. 2. pa. 326. dicit quod Apostoli tradiderunt Dei mandatũ esse feria 4. pro sabbatho vsque ad horã nonam, & quod cõmuniones ordinatæ sunt ab eisdem quarta & pro sabbatho dominicæ, ibi habet multas traditiones Ecclesiæ. Sed vide historiã tripartitam lib. 9. cap. 38. de huiusmodi traditionib. à quibus authoribus fluxerint. Rom 10.

Est & hoc in traditionibus diligenter notandum: Nullum esse certum librum, in quo expresse ponantur omnes, sed ex scriptis patrum vndique colligendas esse. Eas verò diuersimodè proponunt, nec eandem omnibus authoritatem attribuunt. Quamobrem quantumuis multæ traditiones proferantur, omnes tamen primum omnium ad normam S. literarum exigendæ sunt, ac diligenter videndum, num illis consentiant: num ad pietatis prouectum, quem scriptura requirit, conferant, an verò minus. Si enim sint reuera ab Apostolis profectæ, certissimum est eas in sacra Scriptura fundatas esse, poteritque quiuis Christianus facilè videre, quod ad veritatem pietatem aliquid habeant momenti ac ponderis. Contra quę deprehendentur ad pietatem esse inutiles, illæ poterunt per sacras Scripturas confutari ac reiici, vt quæ veram pietatem magis impediant quàm promoueant.

Sed hæc per exempla declaremus. Apostolica traditio est, quòd fideles diabolo renunciant, ac fidem suam propria persona in Ecclesia profitentur. Hic consideretur, quàm certum & firmum fundamentum habeat hæc Ordinatio in scripturis, & quàm perspicuum sit, eam ad fidei ædificationem conducere. Disertè enim in sacris literis expressum est, vnumquemque debere propriam suam fidem profiteri, idque summa cum religione. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Ex quo sua sponte secutum est, vt publica quędam confessionis forma constitueretur, in qua fideles & diabolo renunciarent, & fidem suam verbis scripturę consentaneis confiterentur. Scriptura enim hoc quoque expresse docet, vt omnia quę ad Deum pertinent, summa grauitate, summóque ordine pertractentur. Ad eundem modum prępcipit, vt sacra Domini Cœna in memoriam eius celebretur, & annunciationem mortis ipsius. Vnde Spiritus sanctus non in Apostolis tantùm, sed in quolibet Christiano colligere potuit, lectiones sacrę Scripturę, Psalmos & precationes ad administrationem S. Cœnæ summa cum religione ac celebritate adhiberi debere, quò ineffabilis

miseri-

misericordia Dei melius in memoriam reuocari, altiúsque mentibus infigi possit.

Docet etiam sacras Scripturas, vt in sacris cœtibus cum timore & tremore compareamus, ac diligenter curemus, quo in illis omnia summa religione ac deuotione animi peragantur. Quod Paulus ordinauit in Ecclesiis Christi, antequam de eo scripsit Corinthiis, vt ipse testatur 1. Corinth. 14. Nempe vt mulieres in Ecclesiis taceant, vt omnia ad intellectum & ædificationem eorum qui adsunt & dicantur, & agantur. Quandoqui dem præcipuum mandatum in lege postulat, vt proximos nostros dili gamus, sicut nos ipsos: eadémque præstemus ipsis, quæ nobis ab ipsis præstari desideramus. Ex quo præcepto facilè erat cuiuis Christiano concludere, ordinandum esse vt inter Christianos quiuis aliquod vtile laboret, propriúmque panem manducet, & nemini sit oneri ac graua mini: alioquin indignus qui habeatur in numero fratrum: quod Paulus in Thessalonicensium ecclesia ordinauit, antequam id scripto illis præciperet, 1. Thessalon. 3. & 2. cap. 3.

Huiusmodi ordinationes, quæ fundamentum suum habent in Scripturis, & ex eis necessaria consequentia deduci possunt, per se quoque ad pietatem conducunt, verè Apostolicæ sunt, quæ vt pio vsui & obseruationi restituantur, summoperè annitendum est, id quod liber Reformationis conatur efficere. Contrà faciunt Aduersarij: hi enim de signis ac variis obseruationibus, quæ aliam in se significationem habent, acerrimè depugnant, quæ iamdudum in horrendam idololatriam, ac manifestum contemptum conuersæ sunt, & adhuc hodie in maximo abusu versantur. Verùm de his infrà suo loco dicetur.

Alterum quod circa Traditiones notandum est, quod solummodo per sacras Scripturas certiores reddi possumus, quænam traditiones sint verè Apostolicæ, omnibúsque Christianis obseruatu necessarię. Quando enim contingit, vt alij Patres vnam eandémque traditionem proponant vt necessariam, alij verò vt non necessariam, id quod non rarò vsu venit, ibi certo iudicio opus est. Id autem vnde petetur? Nunquid ex verbo Dei contento in sacris literis? Maximè quidem. Constat enim apud antiquos quoque multos errores viguisse: de quo & D. Augustinus conqueritur, quòd suo tempore omnia iam essent præsumptionibus humanis referta. Ita enim appellat eas consuetudines, quæ in Ecclesiis sine verbo Dei exortę fuerant.

Ad hæc potest quoque ex Biblicis libris cognosci, quęnam traditiones debeant parem cum illis authoritatem habere: id quod S. Patres, Irenæus, Tertullianus, & alij contra Marcionitas & Manichęos ex sacris libris euidentissimè demonstrarunt: & ipse quoque Augustinus tandem agnouit. Quemadmodum enim verbum Dei nemo agnoscere potest, nisi per donum Spiritus sancti, ita quibus Dominus Deus verbum suum largitus est, donúmque spiritus S. hi per verbum sacris Bibliis

contentum, & virtutem Spiritus S. in quemcunque librum inciderint, agnoscere possunt continuò, eum esse librum Dei, in eóque verbum Dei contineri. Omnia enim quæ vera & recta sunt, sibi ipsis per omnia sunt similia & consentanea. Ioan. 8. dicit Dominus Iudæis, Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Quo dicto Dominus certam notam tradit, qua cognosci possint qui ex Deo nati sunt: nempe quod sermones suos agnoscunt, idque ex spiritu Dei, qui in ipsis est, & docet eos omnia, & quæcunque à Domino audierunt, reuocat ipsis in memoriam. Iohan. 14.

Quamobrem ab initio cùm Dominus sacras Scripturas veteris Testamenti ore populo suo traderet, ipsi verò in eis perseuerarent, facilè potuerunt per eas & virtutem spiritus Sancti discernere inter scripta, quæ sub nominibus Apostolorum diuulgabantur, an essent reuera ab Apostolis profecta, an verò minus. Quod iudicium primarum Ecclesiarum, etsi meritò plurimum authoritatis & momenti habuit apud posteros, tamen præcipuum huius cognitionis seu diiudicationis fundamentum in sequentibus Ecclesiis, non in præiudiciis ac traditionibus primarum Ecclesiarum positum erat, sed in conscripto verbo Dei & interea doctrina Spiritus sancti. Ex quo verbo & spiritu posteriores Ecclesiæ iudicarunt, eiusmodi scripta esse verè Apostolica, & à Spiritu sancto profecta: non minus quàm idipsum primitiua Ecclesia ex præscripto verbo cognouit, & suggestione Spiritus sancti.

Tertium in Traditionibus obseruandum est, Quòd etsi patres interdum honorificè de externis obseruationibus & consuetudinibus non scriptis loquuntur, & plurimùm illis attribuunt: eas tamen nihilominus ad canonem sacrarum literarum examinandas esse. De talibus enim locis, si quando occurrunt, quemadmodum de reliquis omnibus scriptis ac doctrinis S. Patrum, non aliter sentire debemus, quàm ipsi de illis, imò de propriis personis senserunt, ac testati sunt. Nempe, omnium S. Patrum, quantumuis antiqui, quantumuis sancti & docti fuerint, doctrinas & traditiones non ideò vt veras ac certas acceptandas esse, quod à tam sanctis, tam vetustis, in doctis patribus traditæ fuerint ac conscriptæ: sed quod vel ex S. literis, vel aliis rationalibus causis comprobari ac confirmari possint. Notandum est etiam, inueniri in scriptis S. Patrum nonnullos errores, neque enim vt supra dictum est, omnes vbique inter se consentiunt, imò quod grauius est, vnus & interdum sibi ipsi repugnat. Qui errores, saluo tamen honore, qui Patribus debetur, arguendi ac refellendi sunt. Solis enim Biblicis scriptis hic honos tribuendus est, quod ea quæ in ipsis comprehenduntur, propter certitudinem eorum, non debeant in dubium, & controuersiam vocari. Quare cùm S. Patres ipsi prohibeant fidem scriptis suis adhiberi, nisi dogmata sua, vel ex verbo Dei, vel ex euidentibus rationibus, quæ omne dubium ex animo lectoris queant auferre, demonstrent, sanè nec ij, qui librum Reform. oppugnant, nec vlli alij aduersarij poterunt probare, quòd vel aliquid in scriptis Patrum pro certo & indubitato

tato recipi debeat, quandiu non est certo aliquo & primo Scripturæ testimonio confirmatum.

Quod si quid verum ac bonum siue in doctrina, siue in ceremoniis Christianæ religionis nostræ, non planè posset ex sacris literis apud omnes, qui vere Deum timent, doceri ac comprobari: vel aliquid contrarium ex eisdem manifestè confutari ac condemnari, sequeretur spiritum S. de scriptura sua verè testatum non esse, cùm affirmat eam esse vtilem ad docendum quæ vera ac bona sunt: ad redarguendum & corrigendum quę contraria: idque tam clarè, támque firmiter, vt homo Dei omnino integer sit, & ad omne opus bonum apparatus, 2. Timoth. 3. Et qua ratione fieri posset, vt Magister & Doctor omnis veritatis Spiritus sanctus, omnem salutis doctrinam, & præmunitionem contra falsa dogmata, non lõgè plenius & efficaciùs in scriptis suis proposuisset, quàm in vllis aliis libris ac scriptis fieri potest, quæ non tota, vt S. Bibliorum libri, sunt à spiritu S. scripta atque composita? Ipse enim est, qui solus hominibus omnem veritatis ac pietatis intellectum largitur, & dat, vt eum in aliis quoque transfundere queant. Quod cùm ita sit, nemo est qui inficiari queat, scripta S. Patrum, omniáque id genus alia, ad normam verbi Dei reuocanda & examinanda esse, neque minus ea, quæ de Traditionibus scripta reliquerunt.

Conciliatio eorum quæ ab Aduersariis adducta sunt ex S. Patribus, quasi pugnantia cum doctrina libri Reformationis.

ADuersarij, quo altiùs traditiones non scriptas extollant, plurimos Patres adducunt, nempe Basilium, Augustinum, Epiphanium, Dionysium, Irenęum, Tertullianum. In prima verò acie Basilium collocant, vt qui aliquantò sublimiùs de Traditionibus scripserit, videlicet quòd ad pietatem eandem habeant vim, quam habent sacræ Scripturę: item quod nemo eis contradicat, qui vel modicam saltem ecclesiasticorum iurium experientiam habuerit: tum quod si aggrederemur consuetudines nullis scriptis reiicere, ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus, denique quòd cum eiusmodi hominibus, qui traditiones reiiciunt, de doctrina Dei agi nec debeat, nec possit.

Ad hanc citationem S. Patrum hæc est generalis responsio. S. Patres fuerunt Christiani Doctores, habuerúntque prędara & excellentia dona. Et quantum ad necessaria religionis nostræ dogmata pertinet, extra dubium est, eos nulla ex parte libro Reformationis repugnare, dummodo eorum scripta ritè intelligantur, nec contra suam ipsorum sententiam & fidem torqueantur.

Omnia loca quæ Aduersarij adduxerunt in genere testantur, Apostolos præter ea quæ scriptis consignarunt, alia adhuc dogmata,

alias ordinationes in Ecclesiis Christi instituisse, quæ in eorum scriptis non disertè reperiuntur expressæ. Huic consentit Reformationis, simúlque præcipuas doctrinas & traditiones, quæ certè ab Apostolis institutæ sunt, in medium profert, pióque vsui restituere conatur. De hoc igitur nulla controuersia.

Cæterum quænam sint istæ traditiones & obseruationes, quas Apostoli ordinarunt in Ecclesiis Christi: & quænam earum habeant eandem vim ad pietatem quam habent eæ, quas in scriptis suis consignatas nobis reliquerunt, de eo controuertitur.

D. Basilius inter cæteras traditiones & obseruationes, quas Ecclesiæ ex sermonibus Apostolorum, sine scripto acceperant, has quoque recenset: Munire se signo: Baptizandos ter in aquam mergere: toto tempore quod est inter Pascha & Pentecosten, in Ecclesia stando precari: Item verba inuocationis, quando panis gratiarum actionis, & calix benedictionis ostenditur. At certum est Basilium nunquam sensisse, quod eiusmodi obseruationes eandem vim habeant ad pietatem, quam habet Baptismus.

Oratio, dicta & facta Domini in S. Cœna, quæ omnia sunt in Scripturis expressa: nec arbitror aduersarios facilè dicturos, Basilium in ea fuisse sententia: quemadmodum nec id, quod Basilius condemnet eos qui hos ritus contemnunt, ac si principalibus Euangelij partibus iniuriam intulissent. Non sanè facient: alioquin seipsos quoque cogerentur damnare, quandoquidem infantes baptizandos non ter immergunt in aquam: item à festo Paschatis vsque ad Pentecosten non minùs flexis genibus orant quàm aliis temporibus, quamuis hæc consuetudo temporibus Tertulliani fuerit obseruata, Conciliumque Nicenum quasdam ordinationes instituerit de eo, quod toto hoc tempore debeant stando preces fundi. Ad hæc nulla inuocatione vtuntur, cùm panis & calix benedictionis monstrantur: imò ne quidem sciunt, cuiusmodi fuerint hæc verba, quorum meminit Basilius.

Quamobrem res ipsa testatur, nec Basilium, nec quemuis alium S. Patrum in ea fuisse opinione, quod omnes veteres traditiones veterum eandem vim habeant ad pietatem, nam ne quidem Apostolicas omnes receperunt. Quare videndum initio est, vt suprà quoque memini, quænam traditiones verè Apostolicæ sint, quæ non: & inter Apostolicas quænam sint obseruatu necessariæ, quæ non sint. Vt ij qui se tradunt in obedientiam Christi, diabolo & omnibus eius Angelis renuncient, fidem suam confiteantur, idque secundum verba Baptismi, nempe quòd credant in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Vt ad administrationem Cœnę S. Scripturæ legantur, Psalmi canantur, fundantur preces, & non solum Domini verba recitentur. Hæc tria quę à Basilio in supradicto loco inter traditiones non scriptas ponuntur, longè aliam vim habent ad pietatem, quàm quatuor illa quę paulò antè commemorata sunt: quorum obseruatio necessaria non est, horum verò Christianæ

ſtianis vt neceſſaria eſt coniuncta.

Sit igitur hoc generale reſponſum ad omnia ea quæ hoc loco ex Patribus adduxerunt. Certum eſt pias quaſdam ordinationes fuiſſe Eccleſiis Chriſti ab Apoſtolis inſtitutas, quas ſumma diligentia Chriſtiani tenentur obſeruare, negligere verò & intermittere non poſſunt, niſi cum pietatis detrimento & offenſione. Hæ verò eiuſmodi ſunt, quales iam ſunt commemoratæ, vt de religioſa publicarum precum obſeruatione, de S. Lectionibus, de adminiſtratione Sacramentorum, & ſolemni exercitio Chriſtianæ diſciplinæ.

Quæ traditiones omnes fundatæ ſunt in verbo Dei, & ex eodem deſumptæ, veréque & efficaciter conducunt ad pietatem. Et harum nulla eſt in Libro Reformationis prætermiſſa.

Vtebantur quoque antiquitus Eccleſiæ variis ſignis, quæ vtrum ab Apoſtolis traditæ fuerint, certò affirmari non poteſt, etiamſi continuò poſt eorum tempora cœperint in Eccleſiis vſurpari. Quorum ſignorum, quoniam in verbo Dei fundata non ſunt, ſicut ſuperiores ordinationes, nec eandem habent ad pietatem vim, alia iam dudum in deſuetudinem abierunt, alia noſtro adhuc ſeculo in externo exercitio verſantur, idque non ſine horrenda ſuperſtitione. Quare poteſtatem habent Eccleſiæ Chriſti huiuſmodi ſigna mutandi, & corrigendi, quemadmodum omnia exercitia, de quibus non habetur expreſſum mandatum Domini. De his ſignis & actionibus ſignificantibus non pronunciauit Baſilius, quòd eandem vim habeant ad pietatem, quàm ea quæ in S. Scripturis reperiuntur expreſsè mandata & præcepta. Hanc reſponſionem datam ad locum Baſilij ſi aduerſarij receperint (nemo enim modo ratione & communi ſenſu præditus ſit, eam reiicere poteſt) euicimus id, de quo certabatur, nempe, quòd omnia ea loca quæ adduxerunt ex Patribus, libro Reformationis nullo modo repugnent. Quòd ſi illi acquieſcere noluerint, audiant aliud, Nullam ſententiam Patrum nos ligare ſine verbo Dei. Et quis iudicaret verum eſſe miniſterium Eccleſiæ, qui contenderet conſuetudinem muniendi ſe ſigno crucis: baptiſatos ter repetitis vicibus in aquam immergendi: ad S. Cœnę adminiſtrationem verba quędam recitandi, quæ nullibi reperiuntur à Domino præſcripta: ſtando vel genibus flexis orandi, quæ omnia ſine fundamento S. literarum exorta ſunt, eandem debere authoritatem habere, quàm ritus concionandi, fides Crucifixi, Baptiſmus, S. Cœna, & Oratio quæ ſunt in S. literis diſertè expreſſa. Verùm ita non ſenſerunt Baſilius & Dionyſius, ſed dubium non eſt, quin eadem ratione, qua nos inter Traditiones & ordinationes diſtinxerint. Et hactenus peculiariter ad citationem Baſilij reſponſum ſit.

Dionyſij locus nihil aliud habet, quàm primos quoque Eccleſiarum antiſtites quędam ordinaſſe & inſtituiſſe, quę non habeantur aliquo ſcripto conſignata. Quod & Liber Reformationis affirmat, & iam antea declaratum eſt.

Loca Irenęi, Tertulliani, & partim Auguſtini, quę ab Aduerſariis

adducta sunt, scripta sunt contra Marcionitas & Manichæos, alioſque hæreticos, qui aliquos libros S. Scripturæ reiiciebant, & contradicebant præcipuis articulis Christianæ fidei noſtræ. Epiphanij locus nihil aliud vult, quàm Apoſtolos dogmata quædam Eccleſiis ſine ſcripto tradidiſſe. Et nos hoc idem aſſerimus. Quódque ad intelligendas S. Scripturas, & alia pia dogmata, eas quoque doctrinas & alia pia dogmata, vſurpare oporteat, quæ ore tantùm ab Apoſtolis traditę ſunt, nullóque ſcripto conſignatæ. Non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſe. Verùm hoc dicit de tradito S. ſcripturarum intellectu (quam traditionem hac etiam in parte pro Apoſtolica agnoſcimus) ſine quo certè non per omnia ſufficeret S. Scriptura, vt antea dictum eſt. Ille tamen nihilominus in verbo Dei fundandus eſt, quemadmodum eodem in loco ipſe Epiphanius facit. Quicunque donum habet Spiritus Sancti, is verum Scripturarum ſenſum facilè ex ipſis Scripturis diſcere poteſt. Et qui ſpiritualis eſt, is adiumento Spiritus Sancti, & S. Scripturarum nullo negotio inter doctrinas traditas, ac verum S. Literarum intellectum, qui Eccleſiis ab Apoſtolis traditus eſt, diſcernere valet. Rectè igitur Epiphanius eiuſmodi traditionibus vſus eſt contra errores hæreticorum.

Docebant enim Angelos creaſſe mundum, & hominem integritati ſuæ reſtituiſſe, negabant & diuinam & humanam naturam Chriſti: contemnebant mortem & reſurrectionem eius: & multos alios horrendos errores inducebant contra præcipuos articulos Chriſtianæ fidei noſtræ. Et quoniam multos libros S. Bibliorum negabant, reiiciebant item ea quæ quilibet Chriſtianus confitetur in Baptiſmo, erantque omnibus temporibus iuxta ordinationem Apoſtolorum in Eccleſiis obſeruata, percommodè vſi ſunt. Patres authoritate traditionum & ordinationum Eccleſiarum Chriſti, quas ab ipſis Apoſtolis acceperant, & adhuc integras & inuiolatas obſeruabant: maximè verò earum Eccleſiarum, quę ab Apoſtolis ipſis erant conſtitutę, vt Romana, Epheſina, aliiſque quæ tunc temporis dogmata ab Apoſtolis accepta, fideliter & incorruptè adhuc tenebant.

Cæterùm hoc loco duo obſeruanda ſunt: Vnum eſt, Cuiuſmodi ſint hæ res, in quibus S. Patres Apoſtolicarum traditionum authoritate vtuntur: Alterum eſt à quibus Eccleſiis earum teſtimonium petant. S. Patres non de re quapiam externa, aut in ſignificando tantum poſita cum hęreticis depugnabunt, ſed de eo, quòd libri Biblici verè ſint libri diuini: quod communis noſtra fides de Deo Patre & Chriſto Domino, quemadmodum eam confitemur, vnicus ſit, ac verus ſcripturarum intellectus, traditus ab ipſis Apoſtoſtolis. Nec in quibuſuis Eccleſiis quærendas cenſuerunt Apoſtololum traditiones, ſed in iis tantum, quæ verè eſſent Apoſtolicæ. Neque etiam in illis ſolum, quę aliquando traditiones Apoſtolorum habuiſſent,

ſent,

sent, sed quę eas habebant tunc temporis, & integrè atque inuiolatè obseruabant. Synceram Apostolorum doctrinam certis locis, in quibus semper inueniri posset, non alligarun (sicut nonnulli doctrinam Christi ad sedem Romanam astringunt) sed in eo dona Dei respiciebant, quę Dominus tunc temporis Ecclesiis istis fuerat largitus. Si enim nullæ scripturæ extarent (quemadmodum hæretici isti nonnullas penitus reiecerunt) vnde posset de doctrina Apostolorum certius iudicium sumi, quàm ex iis Ecclesiis, quæ doctrinam eorum fideliter ac synceriter tenerent? Horum omniū quænam vel minima vestigia nostro seculo relicta sunt Hierosolymis, Ephesi, Corinthi, aliisque in locis, in quibus Ecclesiæ ab ipsis Apostolis fuerunt plantatæ & constitutæ? Quid item Romæ reliquum sit, nimis proh dolor! manifestum est.

Tertullianus in libro de Præscriptionibus inquit, Veritas disciplinæ, ac fidei Christi, eadem est & veritas scripturæ Sanctæ, & omnium Christianarum traditionum. Constat igitur adducta S. Patrum loca non id velle, quòd à quibusvis Ecclesiis, etiam his quæ ab Apostolis initio fuerunt cōstitutæ, testimonium de verè Apostolicis dogmatibus & traditionibus petendū sit, & earum potiùs quàm in S. literarum authoritate nitendum: sed veritatem Christi in iis locis quærendam esse, vbi re ipsa tunc temporis extabat. Eius verò confirmationem & certificationem voluerunt Patres semper ex scripturis potiùs desumi, quàm vllis aliis Ecclesiis quę sunt in mundo. Eodem modo si dona Dei quærimus, recurrendum erit eò, non vbi aliquando fuerunt, nunc autem singularis Dei maledictio viget, sed vbi iam reperiri possunt. Vbi enim tribuli sunt & spinæ, inde profectò ficus & vuę non colligētur, etiamsi in his locis, cùm adhuc vitibus & ficis consitę essent, multæ bonæ ficus & vuę fuerūt collectę. Ioannes testatur, omnem qui peccat (siue is Romę sit, siue Constantinopoli) Deum non videre nec agnoscere. *Carnalis enim est, atque idcirco quæ sunt spiritualia intelligere non potest.* Rom. 8. & 1. Cor. 3. Quicunque igitur iis in locis, vbi manifesta viget deprauatio diuinorum dogmatum, vbi omnia scelera & flagitia impunè grassantur, traditiones Apostolicas quærit, is certè non aliud agit, ac si vuas de tribulis, & ficus de spinis conetur colligere.

Tertullianus ibidē dicit vbi apparuerit esse veritatē disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum & expositionum: & omnium traditionum. Ref. pag. 10.

Verùm testimonia S. doctrinę, ac piarum obseruationum inde desumere, vbi indubitata fides habetur omnibus his, quę & ore fuerunt ab Apostolis tradita, & scripto consignata, eáque externa quoque vitę conseruatione exprimuntur, id liber Reformationis non prohibet, quamuis præcipuè velit S. scripturam inspici, & ex ea voluntatem Dei agnosci, id quod omnes quoque S. Patres docuerunt, & re ipsa præstiterunt. Certa enim incertis semper anteponenda sunt: Et quoniam omnia quę aliquam vim habent ad pietatem quàm optimè sunt in S. literis comprehensa, cúmque Apostoli omnes necessarias & vtiles scripturarum interpretationes: omnia item dogmata & obser-

uationes quæ ad pietatem conducunt, fidelissimè ac plenissimè sint complexi, nulli vnquam inter Patres fuerunt, qui per traditiones supra commemoratas vel solas, vel præcipuè aliquid voluerint confirmare, sed firmiorem ac certiorem semper iudicarunt eam, quæ ex S. literis sumeretur, rerum omnium confirmationem.

Basilius in loco citato, vbi vsum vocabuli (Cum) contra Arrianos defendit, in eo quod dicimus, Gloria Patri, & Filio, Cum spiritu Sancto: quam vocem ideò reiiciebant, quòd non esset in scripturis vsurpata: multa de eo scribit, quod Ecclesiæ omnis generis vocabula, nec non exercitia vsurpent, quæ ab Apostolis, & posteris eorum sine scripto acceperint. Multos etiam Patres adducit, qui hoc vocabulo Cum vsi sint, ad confirmandum, eius vocis vsum iamdudum comprobatum & receptum fuisse. His tamen omnibus nullo modo contentus est, sed insuper pollicetur, se ex Scripturis quoque vsum vocabuli Cum, vt legitimum demonstraturum, quod & facit, idque euidentibus argumentis sumptis ex ipsis verbis Baptismi, & Pauli 1. Cor. 5. Idem fecerunt & reliqui Patres Irenæus, Tertullianus, & Augustinus, quando contra Marcionitas & Manichæos disputabant, etiamsi authoritate traditionum, & piarum ordinationum, quæ in Ecclesiis erant vsu receptæ, efficaciter, vt dictum est, ac rectè vti poterant, propterea quòd hæretici isti alios quidem S. Bibliorum libros penitus reiiciebant: alios verò quos recipiebant in contrario sensu, ac prorsus deprauato proponebant: habebántque verarum Ecclesiarum consensum, quæ nõ in iis tantùm articulis, de quibus controuersia erat, sed & in reliquis omnibus, veram Apostolorum doctrinam, tam scripto, quàm sine scripto ab ipsis erat tradita, bona fide adhuc obseruabant, operibúsque exprimebant.

Adhuc vnam sententiam citant ex Augustino, nempe omnes Ecclesiarum Consuetudines, tam particulares quàm vniuersales, si ad fidei & charitatis ædificationem conducant, obseruandas esse: contrà verò penitus è medio tollendas, quæ eidem magis obesse quàm prodesse videntur. Sicut & istas, quæ etsi fidei non manifestè repugnant, ad eius tamen & charitatis profectum vim nullam habent: modò id fieri possit sine grauiore aliqua fidelium offensione: propterea quòd non aliò spectant, quàm ad seruile grauamen populi Christiani, iugúmque Iudaicum. Hæc sententia non est contraria libro Reformationis. Neque enim Aduersarij, neque alij quicunque poterunt demonstrare quòd vlla consuetudo Ecclesiæ vtilis ad propagationem fidei & charitatis, sit per librum Reformationis abolita: aut rursus vlla alia instituta, quæ eidem obstet atque officiat. Quin potius omnes labores, qui in libro Reform. impensi sunt, in eum solum finem tetenderunt, vt vtiles ac salutares consuetudines omnes in Ecclesiis restituerentur: ea verò abolerentur, quæ fidei & charitati, ac proinde Christianæ libertati contraria sunt & aduersa.

Conclusio

Concluſio ad primam accuſationem.

QVamobrem cùm de Apoſtolica Eccleſia, quæ & doctrina & vſu Sacramentorum, & externa vitæ conuerſatione in omnibus iis, quæ ab Apoſtolis tradita accepit, parum admodum aut nihil ſciamus: id quod nemo negauerit: cumque Auguſtini temporibus iam omnia præſumptionibus humanis eſſent repleta (ita enim appellat eas cõſuetudines & obſeruationes Eccleſiarũ, quæ ab hominibus extra verbũ Dei fuerãt excogitatæ) quæ ad noſtra vſque tẽpora in immenſũ creuerunt, adeò vt quæ traditiones verè Apoſtolicæ ſint, atque obſeruatu neceſſariæ, quæ minus, nulla alia ratione diiudicare poſſimus, quàm medio ſcriptorum Apoſtolicorum, quis eſt qui reprehendere meritò poſſit id quod liber Reformationis Paſtores & concionatores ad S. Scripturam potius quàm ad quæuis alia ſcripta hortatur? Neque vllum alium librum habemus, in quo verè Apoſtolicæ traditiones certò contineantur, quàm libros S. Scripturæ. Huc accedit, quòd antiquæ ordinationes & obſeruationes, quas nonnulli affirmant Eccleſias ab Apoſtolis accepiſſe, non eodem modo ab omnibus Patribus deſcribũtur, plurimæque quę temporibus Patrum in celeberrimis vſu verſabantur, iam dudum in vſu eſſe deſierunt.

Cùm igitur conſtet, nos de doctrinis, conſuetudinibus, & obſeruationibus, Eccleſiarum tam Apoſtolicis quàm non Apoſtolicis, quales ſingulæ ſint, non aliter quàm ex verbo Dei cognoſcere & diiudicare poſſe, tum S. Scripturam abundè quæ bona ſunt & ad ſalutem neceſſaria docere, concludatur: Omnes Chriſtianos Concionatores teneri, vt omnes conciones, omnia dogmata ſua, ex hoc Sancto libro depromant, ex eoque omnes Eccleſiarum inſtitutiones & obſeruationes confirment, ſiquidem fideles ac vtiles miniſtros Eccleſiæ Chriſti ſe præbere voluerint. Et hoc ex certiſſimo Dei verbo probari poteſt, cùm ex innumeris aliis Scripturæ locis, tum præcipuè ex his ſuis & Apoſtolorum ſuorum verbis: *Scrutamini ſcripturas, quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtificantur de me, nec vultis venire ad me, vt vitam habeatis*, Ioan. 5. *Perſiſtito in his quæ didiciſti.* 2. Timoth. 3.

Quod verò reprehendunt id quod Liber Reformationis poteſtatem dat Concionatoribus inter omnes doctrinas & traditiones non ſcriptas diſcernendi: eáſque diiudicandi, ad hoc reſpondetur, librum Reformationis non plus authoritatis Concionatoribus tribuere, quàm tribuit Spiritus S. his verbis: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*, 1. Theſſ. 5. Et, *Probate Spiritus, num ex Deo ſint* 1. Io. 3. Neque etiam plus quàm D. Auguſtinus, & omnes S. Patres Chriſtianis doctoribus attribuunt. Debent enim fideles Chriſti miniſtri & diſpenſatores Dei, nihil aliud quàm certiſſima Dei myſteria diſpenſare. Quare oportet, vt ea ex certo iudicio ſpiritus S. talia eſſe firmiſſimè ſciant. Eouſque poſſunt ac debent omnia quæ in negotio religionis ab hominibus proponuntur, probare & diiudicare: idque non ex ſua ſapientia

aut verbo, sed ex verbo & spiritu Dei.

Postremò quòd obiiciũt, Multas particulares, sed salutares ordinationes in Archiepiscopali Diœcesi Colonienſi per Librum Reformationis reiectas esse, ad hoc dicitur, ipsos iniuriam inferre Libro. Qua responsione contenti sumus, donec vel vnam aliquam salutarem ordinationem producant, quæ sit in libro Reformationis abolita: quod sanè non facient.

Hactenus igitur ad primam accusationem responsum sit: contra quam aliquanto prolixiùs agendum fuit, & in singulis controuersiis diutiùs inhærendum fuit: propterea quòd Aduersarij dum antiquas traditiones, dogmata & obseruationes Ecclesiarum tantoperè extollunt, summum adiumentum contra doctrinas & ordinationes Christi, quæ in libro Reformationis proponuntur, quærunt. Multi enim iique boni viri decipiuntur, cùm audiunt aliquid ordinari & institui, quod pugnet cum his quæ S. Martyres & Patres, vt ab Apostolis ipsis tradita tanta veneratione obseruarunt & coluerunt. Quare docendi erunt homines, hanc esse vanam iactationem, librúmque Reformationis ne minima quidem ex parte vlli dogmati, aut ordinationi repugnare, quæ sit ab Apostolis tradita Ecclesiæ, vel omnibus aliis quæ traditionibus Apostolicis æquiparari possint.

De vero intellectu Sacræ Scripturæ.

Caput III.

HOc loco ponunt Aduersarij, primùm, quod verbum Dei clarissimè docent, verum intellectum Sacrę Scripturæ in sola Catholica Ecclesia quęrendum esse. Deinde ad confirmationem suę sententię, adducunt & Scripturarum & S. Patrum testimonia. Tertiò reprehendunt librum Reformationis, quod doceat, ad solam seu nudam Scripturam esse recurrendum, eique soli fidem adhibendam. Et quòd prędicatores idcircò nihil omnino humanę opinionis suę doctrinę debeant immiscere, cùm omnis homo sit mendax. Nihilominus autem Pastoribus & Prędicantibus faciat potestatẽ Scripturas declarandi, & interpretandi, & hoc per solam etymologiam vocabulorum & collationem locorum obscuriorum ad clariora. Dissimulet verò & taceat de intellectu Catholicę Ecclesię.

Responsio ad hanc Accusationem.

QVo dilucidius ad hanc obiectionem respondeatur, primum omnium refellenda erit hęc Aduersariorum positio, vt quæ non modò non sit fundata in S. literis, verum etiam illis & omni veritati ex diametro repugnet. Deinde ostendendum erit, Testimonia quę ex Patribus adduxerunt, positionem suam nullo modo confirmare. Tertiò, Quod Librum Reform. falsò & temerè accusent.

Defensio

Defensio libri Reformationis desumpta ex S. literis.

PRimùm omnium ponunt Aduersarij, quòd verbum Dei clarissimè doceat, verum S. literarum intellectum in sola Catholica Ecclesia quærendum esse: id quod non tantùm cum verbo Dei, sed etiam cum omni ratione ac possibilitate pugnat. Constat enim verbum Dei clarissimè docere, quod verus S. scripturarum intellectus apud Deum ipsum, & in scripturis eius quærendus sit: idque per pias preces, & assiduam lectionem ac meditationem S. scripturæ.

Per pias preces. Nam docet verbum Dei, diuinam doctrinam non nisi per Spiritum Domini percipi & intelligi posse 1. Cor. 2. Hunc autem Dominus vult precibus à se obtineri, Luc. 11. Hinc est quod Paulus tantis votis Ecclesiis Christi optauit spiritum sapientiæ ac reuelationis à Domino, ad sciendum quæ sit spes vocationis Christi, quæ longitudo & latitudo, profunditas & sublimitas ad probandum quæ sunt præstantia, & ad cognoscendam voluntatem eius, &c. Ephes. 1. & 3. Philip. 1. Coloss. 1. *Sicut & Dauid erat, Reuela oculos meos, vt conspiciam mirabilia in lege tua.* Psal. 119.

Quod verò ad id vt verum S. scripturarum intellectum quis consequatur, præter orationem diligens quoque & assidua requiratur lectio & meditatio S. literarum, id præter ea quæ in fine præcedentis articuli adducta sunt, alia innumera loca, ex his quoque sequentibus intelligi potest. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Ne neglexeris quod in te est donum, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum, authoritate sacerdotij. Hæc exerce &c.* 1. Timoth. 4. Hoc loco præcipit Paulus Timotheo vt lectioni scripturarum attendat, hoc est, vt diligenter ac sedulò Scripturas legat, & continuè de eis meditetur. Non iubet vt S. scripturarum intellectum in Catholica Ecclesia quærat: poterat enim per se scripturam, quæ omnia bona docet, frequenter & assiduè legere.

Laudat quoque Spiritus S. Thessalonicenses, quòd postquàm doctrinam Apostolorum audierant, & acceperant, Scripturas scrutabantur, an ea quę ab Apostolis audierant, ita se haberent Act. 17. Quod facientes, prędicationem & doctrinam ab Apostolis auditam, per firmiorem sermonem propheticum sibi ipsis magis confirmabant. Quod testatur Petrus, cùm inquit, *Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco recte facitis, donec dies illucescat.* Hoc dictum Petri diligenter est annotandum. Premisit enim ante hęc verba, Apostolos cùm prędicarent virtutem & aduentum Domini nostri Iesu Christi, non arte compositas fabulas secutos esse, sed quod viderunt & audierunt annunciasse. Quibus statim subiungit: *Habemus firmiorem sermonem &c.* Quibus verbis clarè testatur, conscriptum Dei verbum firmius esse, quàm doctrina quæ viua voce ab ipsis fiebat, non quidem in natura sua: vnum enim & idem verbum Dei erat vtrunque:

sed respectu Apostolorum, qui adhuc in terra agebant. A quibus idcircò alienum non erat, vel aliquid interdum verbo Dei ex suo addere, vel ab eodem auferre, ac diminuere. Id quod ipsi Petro legimus Antiochiæ contigisse. Cùm è contrà propheticus sermo scripturis comprehensus, syncerum ac perpetuum Dei verbum permaneat.

Notandum præterea est in his verbis, quod Apostolus iubet attendere verbo Dei seu lucernæ apparenti in obscuro loco. Quibus verbis docet, per scriptum Dei verbum cætera omnia, vt obscura & densis tenebris circumfusa illuminanda & illustranda esse: vt qui S. scripturas pia diligentia legant, & scrutantur, non modò verum earum intellectū ex ipsis ad salutem hauriant, sed etiam omnia dogmata ex eisdem probare, dijudicare, sibíque confirmare queant.

Hinc est quòd Dominus ipse, & Apostoli omnem suam doctrinam ex S. scriptura, vt certissimo firmissimóque testimonio, vtpote Dei ipsius ore prolato, comprobarunt. Oportet enim vt id per quod omnia diuina dogmata demonstrantur, certissimum sit ac notissimum. Per notiora enim & certiora probantur, quæ minus nota & certa sunt.

Benignissimus Deus proposuit nobis omnibus Scripturam suam, vt quæ possit ac debeat nos doctos efficere ad æternam salutem, & omnia bona opera, quod testatur Paulus 2. Timoth. 3. Ad hæc spiritus S. omnis scriptor est, & optimus magister, qui plenissimè clarissiméque omnem voluntatem Dei tradere potest. Cùm igitur talis sit, quî fieri possit, vt scripturam suam tam obscurè proponere: tantis tenebrarum nebulis inuoluere voluisset, vt eam filij Dei, qui voluntatem Patris sui, ad pleniùs ipsi fidendum, & in omni pietate & sanctimonia seruiendū, ex eo cognoscere vellent, eam tamen intelligere non possent, nisi priùs verum ipsius intellectum in Catholica Ecclesia quærant, hoc est, apud omnes fideles, quotquot ab initio mundi fuerunt, & quibuscúnque in locis extiterunt, & adhuc sunt nostro seculo?

Quis obsecro fidelis pater, si de talibus rebus filiis suis scribere proposuisset, in quibus vniuersa eorum salus, ac summa felicitas versaretur, quamuis id melius posset, vellet tamen id tam obscurè tam intricatè & impeditè facere, vt filij voluntatē & consiliū patris ex suo ipsius scripto percipere ac diuinare non possent: sed cogerentur sententiam Patris sui ab omnibus aliis fratribus & sororibus inquirere? Quomodo igitur ascriberemus Deo, qui æterna sapientia est & summa bonitas: quíque scripturam suam ad nos, tāquam Epistolam Creatoris ad suam creaturam (vt loquitur D. Gregorius) misit, quod eam tam obscurè & ambiguè proposuerit, vt dilecti filij eius, quibus vnigenitum filium suum Doctorem & Redemptorem donauit, eam ad plenam perfectámque salutem suam intelligere non possint, nisi priùs vniuersam omnium filiorum Dei, quotquot vnquam fuerunt, & adhuc sunt, congregationem in consilium adhibeant. Id enim est Catholica Ecclesia Christi.

At hoc verum non est. Lex Dei perfecta est, exhilarans animam. Testimonium Domini fideliter sapientem reddens simplicem. *Mandata Domini*

Domini recta sunt, lætificantia cor. Præceptum Domini purum est, illuminans oculos, Psal. 19. Ex his igitur firmissime colligitur, illam positionem aduersariorum, qua dicunt, Verum S. scripturæ intellectum in sola Catholica Ecclesia quærendum esse: non tantum in verbo Dei fundatum non esse, sed eidem aperte & ex diametro repugnare.

Neminem verò perturbet, id quod S. scripturarum hostes hoc loco obiiciunt, dicentes, Si S. scriptura tam manifesta, tam certa est, támque ad docendum omnia bona, & redarguendum contraria sufficiens, quî fit igitur vt tam antiqui quàm recentiores scripturarum interpretes tam variè ac diuersimodè eam intelligant & exponant, quódque præcipui inter eos non semper vnum & eundem sensum ex illis eliciunt? Ad hæc, si Scriptura adeò clara est, & facilis ad intelligendum, quid opus est quotidiana & iugi eius interpretatione, quæ assiduè fit tam viua voce quàm libris conscriptis?

Ad priorem huius obiectionis partem dicimus, quòd omnes veri filij Dei, qui Patrem pro bono eius spiritu, per Dominum nostrum Iesum Christum vera & solida fide vnquam inuocarunt, ij ex S. scriptura quæcunque sunt ad salutem necessaria omnibus temporibus satis & abundè perceperunt, summóque cum consensu tradiderunt. Cæterum in multis scripturæ locis, quorum intellectus ad salutem necessarius non est, & ignoratio pietati non obstat, vult Dominus suos veri & genuini sensus inuestigatione exercere, eósque hoc modo suæ infirmitatis & imperitiæ in rebus diuinis commonefacere. Hinc est, quòd Ecclesiastici doctores in eiusmodi locis explicandis non omnes, imò ne multi quidem ex ipsis semper per omnia sibi mutuò consentiunt: taceo quòd vnus & idem non semper sibi ipsi consentit, sed sæpenumero contraria docet.

Ad alteram partem respondendum est. Quod etsi S. scriptura tam clarè tam dilucidè ac plenè omnia bona docet, & ab omnibus contrariis preseruat, vt quicunque ex animo desiderat doceri à Domino, & facere voluntatem Patris, orátque eum per Dominum nostrum Iesum Christum firma fide pro bono eius spiritu, possit ex ea quæcunque ad salutem eius vtilia sunt, ac necessaria, plenissimè ac certissimè addiscere: tamen quò vera dilectio & omnium donorum communicatio magis ac magis exerceatur, & augeatur, in dies, vult Dominus omnium membrorum suorum ministerio vti ad ædificationem vniuersi corporis sui, hoc est Ecclesiæ. Vt primò ministri, deinde reliqui Christiani, omnibus condiscipulis ac commembris suis in corpore, cuius caput est caput, ad ampliorem ædificationem, instructionem, denique plenam salutem inseruiant, sicut in cæteris rebus omnibus actionibus & cõditionibus hominum copiosissimè ac penitus inexhaustè comprehensa est. Et id breuiter, pro more & consuetudine sua, vt nihilominus piam diligentiam, ac spiritualem attentionem requirat.

Quòd si cui hoc charitatis officium, neque à publico Ecclesiæ ministerio, neque ab aliis Christianis contingere potest, is nihilominus ex S. literis, siquidem eas pia mente legit, omnia bona cognoscet, & à con-

trariis custodietur. Spiritus enim S. non potuit falsum de scriptura sua ferre testimonium. Testatur verò, vt iam antea dictum est, eam docere omnia tam plenè, tàmque absolutè, vt hominem Dei ad omne opus bonum paratum & instructum reddere possit. 2. Tim. 3. Quamobrem si quis in diuinis scriptis errat & impingit, aut doctrinam Dei ex illis ad salutem suam non percipit, illum ipsum perditionis suę causam esse oportet. Et hoc propterea fit, vel quod S. scripturas non piè legit, h. e. non vera animi humilitate, propriæque rationis & sapientiæ abnegatione: non ardenti desiderio voluntatem Dei agnoscendi, eique summa obedientia ac subiectione sui ipsius obtemperandi: non religiosa ac fideli precatione ad Dominum pro bono eius spiritu pręeunte, denique non sine ministerij Ecclesiastici, & omnium quos Dominus ad nos mittit, quemadmodum ad Æthiopem illum mittebat Philippum, Act. 8. vt S. scripturam nobis exponant, fastidio & contemptu. Quicunque enim ministros Domini contemnit, Dominum ipsum spernit, suáque superbia & fastu, veritate ac doctrina salutari, quæ in S. scriptura continetur, semetipsum indignum reddit.

Impossibile est verum scriptura intellectum in Catholica Ecclesia quærere.

Quod verò eorum positio infirma sit ac debilis, id inde concludi potest. Catholica Ecclesia Christi est congregatio omnium verè credentium Christo, quotquot vnquam fuerunt ab initio mundi. At vbi possūt isti omnes simul congregati inueniri? Quo scripto continetur publica eorum doctrina, & communis in ea consensus, vnde Concionatores possint verum S. scripturæ intellectum, velut ex penu depromere? Si ad Patres nos mittant Aduersarij, & dicant eos coram Catholica Ecclesia sacrarum literarum intellectum tradidisse, quis certos nos reddet, quòd omnes vel saltem quidam ex ipsis verum S. scripturę sensum & intellectum, quem Catholica Ecclesia docet, tradant: præsertim cùm eorum nullus vel cum alio semper, vel secum ipse, quod minus est, consentiat atque concordet.

Si verò ad Ecclesiam, quæ nunc per totum orbem dispersa est, & ad eius obseruationes nos mittant, omnia iamdudum in Ecclesiis sunt humanis præsumptionibus, & horrendis abusibus referta, vt verissimè D. Augustinus testatur. Adhęc Ecclesię quę nostro tempore supersunt, cum iis quę floruerunt tempore Patrum, pessimè concordant: imò obseruationes ac ritus nostrarum Ecclesiarum in multis iisque grauissimis rebus antiquę Apostolorum Ecclesię, omnino repugnant. Neque igitur Ecclesiæ, quę nostro seculo existunt, certos nos reddere possunt, quis sit in singulis religionis nostrę dogmatibus & ordinationibus verus S. scripturæ intellectus. Quòd si Romani, vt nonnulli faciunt, S. Petri gratia nos mittāt, quis spondebit nobis, eos homines, qui nostro tempore Romę tenent imperium, habere spiritum & fidem S. Petri? A fructibus docet Dominus arbores ipsas cognoscere. Vbicunque igitur mani festa flagitia & scelera liberè & impunè grassantur, ibi Diabolum patrem mendacij: qui etsi aliquando veritatem dicit, in ea tamen non stetit, regnare necesse est. Quapropter velle ab eiusmodi hominibus verum S. scripturæ intellectum perdiscere, Deum tentare est. Testantur S. literæ,

quemad-

quemadmodum & Patres, Non omnes Sanctorum successores & imitatores esse qui tenent loca eorum, sed qui spiritum & fidem eorum habent. Dist. 40. Cap. Non nos, cum seq. & 11. q. 7. Non om nes.

Decretũ ita habet. Non sanctorum filij sunt, qui tenẽt loca sanctorũ, sed qui exercent opera eorum.

Cùm igitur in vniuerso mundo nullus vel liber vel homo existat, qui de vero & quem Catholica tenet Ecclesia, S. scripturarum intellectu, certos nos reddere, ac locuples testimonium ferre queat, nisi sola per se scriptura sancta, manifestum est, Aduersarios, dum in sola Catholica ecclesia verum S. scripturæ intellectum quærendum esse affirmant, nos ad impossibilia mittere: imò à clarissimo diuinæ doctrinæ lumine, quam Dominus in scriptura sua nobis & ob oculos ponit, & in manus tendit, ad tenebras humanorum scriptorum ac dogmatum abducere.

Quod S. Patres ipsi testantur, & tantò quilibet eorum vehementiùs, quantò maiori polluit S. literarum peritia & cognitione: nempe quòd eorum vel personis vel scriptis omnino nitendum non sit, nisi ea quæ tradunt, scripto & indubitato Dei verbo confirment.

Rectè igitur ac piè à Libro Reformationis fit, quòd Pastores & Concionatores ante omnia ad S. scripturarum lectionem hortatur, vt in superiore articulo commemoratum est.

Dissolutio Obiectionis, sumpta ex verbo Dei.

POrrò quod Scripturarum testimonia, quæ Aduersarij adduxerunt, positionem eorum nullo modo confirment, restat demonstrandum. Ac primùm ad dictum Pauli 1. Timoth. 3. non negamus Ecclesiam esse columnam & firmamentum omnis veritatis. Quamobrem id verò? Certè non aliam ob causam, quàm quòd fundamento verbi Dei superædificata est, & in his quæ in S. scriptura certissimè reperiuntur, firma & immota persistit. Præterea dedit Dominus Ecclesiæ suæ Apostolos, Euangelistas, Prophetas, Pastores & Doctores, vt testatur Apostolus Ephes. 4. vt Ecclesiam suam in certa & concordi fide atque cognitione Christi ędificent. Cæterùm quonam medio & quasi instrumento debent isti omnes vti ad ædificationem corporis Christi perficiendam?

Sanè non alio, quàm verbo Dei in sacris literis apertissimè comprehenso. Vnde & Dominus ipse, cùm discipulos suos ad ministerium suum ordinaret, reuelauit illis verum S. scripturarum intellectum, oculósque ac mentes eorum aperuit, vt scripturas rectè intelligere possent, Luc. vlt. Quid igitur in vtroque dicto Pauli inest, ex quo consequatur, Verum & genuinum S. scripturę intellectum in sola Catholica Ecclesia esse quęrendum. Cùm Ecclesia ipsa eum in S. literis, ad quas Christus & Apostoli pręcipuè nos mittunt, quęrat?

Ad locum Petri, in quo dicit, esse in Epistolis Pauli quædam loca intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauent, iam antea quoque responsum est. Non dicit Liber, S. scripturam quibusuis claram ac manifestam esse, sed duntaxat iis, qui ardentibus votis bonum spiritum à Domino precantur, ac pia sedulitate se in S. literis exercent. Neque etiam hoc dicit, quòd S. scriptura in omnibus locis peręquè clara & intellectu facilis sit, sed in tam multis, qui sufficiunt ad veram Dei doctrinam cognoscendam omnibus qui eam ex animo quęrunt.

Solutio eorum quæ sunt ex Patribus obiecta.

QVod S. Patres authoritate ac testimoniis Catholicę Ecclesiæ contra hereticos vsi sint, suprà dictum est, ac simul indicatum, in quibus cõtrouersiis id fecerint: cuiusmodi Ecclesiæ fuerint, quarum testimonio se suáque defenderunt: denique qua ratione, quóque proposito Ecclesiæ authoritatẽ pro se allegauerint. Manichæi reiiciebant totum vetus Testamentũ, nec nõ bonã partẽ librorũ noui Testamenti, quasi ex spiritu Dei scripti ac traditi nõ essent. Abiiciebãt quoque catholicum scripturarũ intellectũ de diuina omnium rerum huius mundi creatione & gubernatione: de diuinitate, de incarnatione, de redemptione & resurrectione Christi ex mortuis. Cùm igitur de eo controuersia esset cũ istis hęreticis, Quęnam essent verè diuina scripta: qua de re nullum extat testimonium scripto comprehensum. Item, Quid sit verus S. scripturarum intellectus, S. Patres & de his & aliis generalib. ac pręcipuis articulis, de quib. Christiani tũc tẽporis, sicut & adhuc hodie, satis luculenta testimonia habebant ex Catholicis symbolis, vt fideles in Christiana veritate, contra hæreticos munirent ac confirmarent, rectè ac piè obseruationes ac dogmata Ecclesiarũ adduxerũt, quę integrè adhuc & inuiolatè ab Apostolorũ vsque tẽporib. in Apostolicis Ecclesiis agnoscere cogerentur. Attamen S. Patres traditiones & obseruationes istas, quantumuis vetustissimas, & simul cũ Ecclesia ab initio exortas, nullo modo S. literis prætulerũt, neque solis illis innixi sunt, vt nostri Aduersarij fingunt. Sed ante omnia sacrę Scripturę authoritatem ac testimonia vsurparunt, eíque soli summè atque extremè innixi sunt. Hęreticos vero grauissimè accusarunt, qui nullam fidem scripturis habebant, eorúmque libros vel penitus reiiciebant, vel contra genuinum ipsorum sensum torquebant.

Hæc diligenter considerent Christiani, videbunt enim quàm longè diuersa ratione veteres S. Patres authoritate ac testimonio Catholicæ Ecclesiæ vtantur, quã nostri Aduersarij S. Patres allegabant authoritatẽ earum Ecclesiarũ, quas omnes Christiani vt veras Christi Ecclesias agnoscebant, fructúsque, qui in eis conspiciebantur, demonstrabant. Et hoc faciebant præcipuè contra hæreticos, qui S. scripturam reiiciebãt: & sicut ab Apostolis traditus erat, integrè & incorruptè habebatur: denique non faciebant id sine S. literarum testimonio ac fundamẽto. Aduersarij verò conantur eos qui ad S. scripturas appellant, earúmque authoritate nituntur, ad Ecclesiarum testimonia abducere: quarũ opera & fructus nihil minus testantur, quàm quòd veræ sint Ecclesię Christi, & in quibus nihil rarius est, quàm verarum veteris Apostolicę Ecclesiæ traditionum obseruatio. Deinde hoc faciunt erga eos qui S. scripturis per omnia libenter acquiescunt, in eísque summum refugium habent. Postremò in talibus rebus, de quibus certa & indubitata doctrina in S. literis extat; multi verò manifesti ac pernicioſi abusus in earum obseruationibus, vt ab Ecclesijs (quas vocant) obseruantur, insunt.

Introducunt porrò Aduersarij 19. caput noni libri Tripartitæ historiæ,

riæ,ex eóque, quamuis falsò affirmant, communem fuisse veterũ Conciliorũ consuetudinem, vt si quando inter Catholicos & hęreticos concertatio de vero intellectu S. scripturæ fuisset oborta,in omnibus semper Conciliis ad eum consequẽdum,sursum diligenter inuestigaretur, quid patres retrò præcedentes ad tempora Apostolorũ vsque senserint.

At meritò quis audaciam & temeritatem eorum miretur.In eo enim loco quem citant,ne verbo quidẽ eiusmodi consuetudinis mẽtio fit:sed commemoratur,Sicinium quendam Nouarianæ hæreseos sectatorẽ,lectorem Agellij,eius sectæ tunc temporis Episcopi,tale consiliũ dedisse, vt ex Arrianis hęreticis quęreretur, vtrum Ecclesiasticos doctores, qui ante eorum sectam extitissent,recipere,eorúmque authoritati acquiescere vellent. Quod consilium non plus ad concordiam profuit, quàm disputatio ipsa.Vnde Imperator publica lege sancita Arrianis proprias habere ecclesias,publicéque de fide docere,interdixit,nonnullos omnino è ciuitatibus eiecit,&c. Legatur totum hoc caput vsque ad finem.

Praxes quoque & veterũ Conciliorũ Acta contrarium euincunt. Antiqui enim Patres in Conciliis veritatem fidei semper ex Prophetarũ,& Apostolorũ scriptis confirmarunt, & aduersus hęreticos defenderunt. Legatur de Magno Concilio Nicæno, quomodo pius Imperator Constantinus Patres hortatus sit,& quomodo hoc ipsum summa diligentia ac fide præstiterint,lib.2.Trip.hist.cap.5.

Cùm de diuinis (inquit Imperator) rebus tractetis, Euangelici libri sunt,& Apostoli,antiquorúmque Prophetarũ sanctiores, quę nos erudiunt,quod de sacra lege sapiamus.Et hoc consilium D.Imp. omnia antiqua concilia diligentissimè secuta sunt;id quod eorũ Acta testantur.

Verum est quòd S.Patres superiorũ Conciliorũ acta,& decreta,testimonia superiorũ Patrum,denique & ordinationes Ecclesiarũ, quas veras ac legitimas iudicabãt,simul quoque introduxerint:id tamẽ semper fecerunt post adducta scripturarũ testimonia.In his enim semper firma ac valida fundamẽta iecerunt,quibus & in Conciliis, & extra Concilia Christianã veritatẽ cõtra quẽcũque errorẽ defenderũt ac propugnarũt.

Citat quoque Augustinũ Aduersarij,eique præeminentiã authoritatis Ecclesiæ impudenter assignant:de qua nihil in omnibus suis scriptis licet inuenire.Omnes enim nouerunt,qui volumina ac scripta eius aliquando legerunt,quòd sacram scripturã omnibus Ecclesiarũ traditionibus, ac Conciliorum decretis, quantumuis antiqua sint, anteponit. Scribit in disputatione quadam Adhortatoria, in qua benè adhuc affectos,& nondum omnino obstinatos Manichęos in errore suo confundere,& ad amplectendam veritatem Christi permouere tentabat, lib. contra Epistolam fundamenti c.5.in hunc modũ,Euangelio non crederem, nisi me ad hoc Ecclesię authoritas cõmoueret. Cùm enim D. Augustino Euangelium nomine totius Ecclesię, vt fides & doctrina eius annunciaretur,fidem sanè illi adhibere nõ potuit, nisi & Ecclesiæ à qua Euangelium illi prædicabatur,fidem haberet.

Responsio ad dictum Augustini,Euangelio non crederem, &c.

Atque hoc modo necesse erat, vt authoritas Ecclesię, quę est etiam Sp.sancti,eum nonnihil permoueret.Veruntamen plurimis in locis te-

statur, fidem suam de Euangelio, non in Ecclesiis, sed in diuina authoritate esse fundatã, & quod S. scriptura præcipuè, vel potius omnino eũ ad hanc fidem impulerit: quamuis ad hãc rem spiritus S. Ecclesiæ quoque authoritate, tã quã instrumẽto fuisset vsus. Hinc est, quod dicit, Cõmoueret, h. e. simul, nõ primaria ratione, aut omnino moueret. Legatur 5. c. 6. lib. vlt. 7. lib. & 12. lib. 8. Confess. D. August. & apparebit, quo pacto primũ omniũ ad Christianã fidẽ amplectendá fuerit permotus: ac deinde cui fundamento innixus, in eo promouerit, donec ad extremum omnino conuerteretur. Principiũ salutis suæ fuit, quod ab Ambrosio didicerat, Legis ac Prophetarũ scripta non amplius reiicere, quemadmodũ fuerat à Manichæis edoctus. Progrediebatur in fide, cũ lectioni scripturarũ, imprimis Epistolarũ Pauli diligentiùs attenderet. Tota perficiebatur cõuersio, cũ cantũ puerorũ, Tolle, lege sequeretur. Horũ capitũ diligens lectio plurimũ ad pietatis ædificationẽ confert. Quin & lib. citato contra Manichæos, c. 4. enumerat aliquot causas, quæ ipsum mouerunt, vt in corpore Catholicæ Ecclesiæ permaneret. Nempe, multitudo credentiũ, & idem atque vnanimis populorũ consensus. Tũ authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, & vetustate firmata. Post ordinaria sacerdotũ successio, quæ vt ipse ait, à B. Petro, vsque ad præsentẽ diẽ habetur in Catholica Ecclesia. Denique nomẽ (Catholicæ) His tamẽ omnib. inquit, demonstrata veritas, hoc est, quæ per S. scripturam ita demonstratur, vt de ea dubitari non possit, præferenda est.

Quapropter cũ Christianũ doctorem ac præconẽ verbi Dei instituit, in quatuor libris, quos de doctrina Christiana inscripsit, nullibi eum ad authoritatem Ecclesiæ mittit, nec iubet, vt verum S. scripturæ intellectum in sola Catholica Ecclesia quærat, sed in scripturis ipsis.

Ac primo quidẽ libro docet, summa ac præcipua S. literarum capita probè apprehendenda esse, videlicet charitatẽ Dei & proximorũ; Quod soli Deo ipsius tantũ causa, adhærescere, in eóque omne solatium, omne perfectum gaudiũ, quærere debeamus: deinde proximũ nostrũ propter Deum summo amore prosequi: omnibus itẽ rebus & creaturis sic vti, vt per eas geminã hãc charitatẽ & in nobis & in aliis promouere queamus. In secũdo libro docet, Quantum vtilitatis adferat ad S. scripturas plenè intelligendas, earũ linguarũ cognitio, in quib. S. literæ ab initio conscriptæ fuerũt, quid itẽ eò conferat diligens interpretationum collatio, ac mediocris scientia bonarum artium & disciplinarũ: inprimis verò animus syncera pietate, humilitate, ac spontanea obedientia veritati adhærescens, & in charitate Dei ac proximorum firmiter fundatus.

In tertio docet magnam diligentiam & cautionem esse adhibendam, vt singula verba, singulæ locutiones rectè discernantur, videlicet quæ propriæ sint, quæ trãslatitiæ, aut alia quadã ratione mutare. Tradit quoque alias quasdã regulas eò pertinentes, vt sensus scripturæ in omnibus locis propriè deprehendi ac intelligi possit. In quarũ numero posita nõ est ea quã Aduersarij tradunt, nempe, vt ante omnia quæratur, quomodo Catholica Ecclesia quemlibet locum scripturæ intellexerit. Sed hoc potius docet cũ libro Reformationis, vt obscuriora scripturæ loca cum

clarioribus

clarioribus conferantur,& ex his genuinus illorum intellectus discatur. Quandoquidem (vt verè inquit) Deus omnia quæ ad credendum & faciẽdum nobis sunt in hac vita necessaria,ab eóque præcepta, in claris ac manifestis scripturæ locis abũdè proposuit. Sacrosancta enim scriptura ait,ita cõtemperauit doctrinã suã,vt in planioribus locis cibũ nobis offerat:in obscurioribus verò &nonnihil tectioribus nauseam ac fastidium propellat. Sic igitur propositum fuit, D.Augustino in trib. hisce libris declarare, quomodo concionator & doctor Ecclesiæ verum & genuinũ diuinarum scripturarum intellectum sibi acquirere possit. In quarto demum libro rationem ac methodum docet,hunc intellectum aliis hominibus ordine ac dilucidè proponendi. Ad eundem propemodum & alij S.Patres ministros Ecclesiæ, ac verbi præcones de vero S. literarum intellectu comparando informant.

Postremò adducunt quoque Epiphanium contra nos, qui ita scribit contra hæreses lib.2.tomo 1. Scripturæ speculatione quidem indigent & sensu, ad cognoscendum vniuscuiusque propositi argumenti vim & facultatem. Sed & oportet traditione vti. Non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Cæterùm hoc dictum Epiphanij nulla ex parte cum libro Reformationis pugnat. Nam & ipse piam diligentiam,& spiritualem sensum requirit:traditionum quoque, quæ etsi scriptæ non sunt, suum tamen in S. scriptura fundamentum habent, interpretationem admittit. Quam certè Spiritus S. à nemine Christiano abscondet, qui eam vera ac solida fide fuerit à Domino precatus, etiamsi solas scripturas haberet,& neminem præterea mortalium,qui vel minimum verbum ex traditionibus Ecclesiasticis ei recitare &commemorare posset. Vnde rursus manifestum est, positionem Aduersariorum, quæ verum S. scripturæ intellectum in sola Catholica Ecclesia quærendum esse affirmant,sicut cum verbo Dei, ita & cum doctrina S. Patrũ ex diametro pugnare,tantũ abest,vt vel vno Patrũ testimonio ei patrocinari queant.

Defensio libri Reformationis.

PRæter hæc omnia manifesta faciunt Aduersarij Libro Reformationis iniuriam, cùm dicunt, eum facere potestatem Pastoribus & prædicantibus scripturas declarandi, & interpretandi, & hoc per solam etymologiam & collationem locorum obscuriorum ad clariora. Dissimulet verò & taceat de intellectu Catholicæ Ecclesiæ.

Legatur primum caput Libri de doctrina,& officio Concionatorum, & inuenietur, eum nullo modo potestatem explicandi scripturas sacerdotibus,vt propriè & peculiariter ad eos pertinentem,attribuere, quin potius docere & hortari omnes, vt verum scripturæ intellectũ ardẽtib⁹ precib⁹ à Domino petãt,ac diligenti scrutatione in S.literis quærant,Et hoc tantùm per Etymologiam,&collationẽ locorũ,sed notationẽ quoq; præcipuorum articulorum Christianę doctrinę,comitante simul ardenti & fideli oratione,piáque ac sedula lectione S. scripturarum, denique abstractione sui ipsius ab omnibus mundanis & carnalibus negotiis, &c. Vbi verò mentio fiat de intellectu Catholicæ Ecclesiæ, id superiori proximo articulo demonstratum est. Eum enim liber Re-

formationis non dissimulauit nec tacuit, vt Aduersarij falsò criminantur.

Conclusio ad secundam hanc Accusationem.

HActenus ad alterum crimen, quod Aduersarij Libro Reformationis intendunt, responsum est. De quo fusiùs aliquātò fuit agendū, propterea quòd Aduersarij in hoc secundo articulo arma sua ac verè, aut saltem polire tentarunt, quò facilius splendore ac fulgore eorum simplices à certo & salutari S. literarum lumine abducere, & in perniciosas humanorum inuentorum tenebras, sub prætextu antiquarum traditionum & authoritatis Ecclesiæ, denuò seducere ac præcipitare possent. Equidem coram Deo omnibúsque piis Christianis comprobari ac declarari potest, nullam neque traditionem neque ordinationē in libro Reformationis inesse, quæ aut verè Apostolicis traditionibus, aut vllis Catholicæ Ecclesiæ Christi ordinationibus vel minima ex parte repugnet. Imò nullam esse verè Apostolicam & ab initio in Ecclesiis Christi vsurpatam atque ab Apostolis ipsis traditam obseruationem, quæ in hoc libro Reformationis non modò adducta sit, sed etiam summa diligentia ac fide, cum pio & Christiano eius vsu, in quo temporibus Apostolorum versabatur, proposita, in eóque quantū quidem à nobis fieri potuit promota: è contrà manifestum est ac notum omnibus, Aduersarios easdem traditiones Apostolicas, vnà cum Ecclesia ab ipsa origine natas, & ad pietatis prouectum maximè vtiles ac necessarias, non tantum reiecisse penitus, sed etiam refugere atque abominari: adeo vt totam hanc controuersiam contra librum & Acta Reformationis non alia de causa excitarint, quàm quod omnes labores in eos in hunc finem diriguntur, vt verè Apostolicæ traditiones & consuetudines, vna cum syncera prædicatione Euangelij, pristinæ suæ dignitati, pióque vsui & obseruationi restituerentur.

Cuiusmodi sunt: Vt in Ecclesiis omnes lectiones, doctrinæ, cantiones, sacramentorum administrationes ex S. literis desumerentur, & ad totius congregationis intellectum & ædificationem prælegerentur, canerentur & exponerentur.

Vt omnia Ecclesiæ ministeria in vera & efficaci animarum cura, Sacramentorum administratione, & disciplina Ecclesiæ summa diligentia ac fide præstarentur: idque ab iis tantum personis, quæ ab hominibus mundanis & carnalibus negotiis se contineat, & huic ministerio soli inuigilant pia & inculpabili vita. Denique vt singuli parochi singulis parochiis præessent, nisi aliarum Ecclesiarum necessitas, quę propriis ministris adhuc destitutæ sunt, aliud exposceret, &c.

His ac similibus Apostolicis traditionibus, quas omnes S. Patres ab initio Ecclesiæ summa religione & obseruarūt ipsi, & vt ab aliis quoque obseruarentur curarunt, sicut Aduersarij probè sciunt, si se homines submittere vellent, eásque non tam graues & intolerabiles iudicarent, dubium non est, quin ista controuersiæ breui tempore componeretur, ac salutaris exitij isti negotio inueniretur. Det Dominus Deus,

Deus, vt ipsum verè agnoscere possimus. Amen.

De summa prædicationis Euangelicæ.

ADuersarij docent, Christum Dominum doctrinę & prædicationis suæ, summam tribus capitibus complexum esse: prędicationem scil. pœnitentiæ, remissionis peccatorum, & doctrina seruandi omnia quæ commendauit. Cum hac forma dicunt librum Reformationis propè nulla in parte concordare, sed exigere, vt omnes prædicationes in Ecclesiis, nam ad populum fidelem, & iam baptizatum, ad hæc tantum duo capita reducantur, ad prædicationem videlicet pœnitentiæ & remissionis peccatorum: tertiam verò partem dissimulanter prætereat.

Responsio.

PRimum: Non constat Christum Dominum formam hanc eodē ordine, iisdē verbis vllo in loco tradidisse, quibus ab Aduersariis proponitur. Quod verò liber Reformationis docet Prædicationem noui Testamenti consistere in prædicatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum, id est à Domino ipso traditum. Luc. vlt. aliisque locis noui Testamenti, quæ in libro Reformationis adducta sunt in eo titulo qui est de prædicatione nouo Testamento propria, manifestis testimoniis confirmatum. Et Math. vlt. *mandauit Dominus Apostolis suis, vt faciant sibi discipulos omnes gentes, & baptizent eas, &c.* Si Aduersarij de hac ordinatione & forma loquuntur, clarissimum est omnibus qui librum Reformationis legerunt, quòd ei faciunt iniuriam scribendo.

Quod cum hac forma non per omnia concordet: imò taceat eam ac dissimulanter prætereat. Est enim in libro statim à principio posita, & deinceps in titulo de remissione peccatorum. Quo in loco cum regenerationis proprietatem declarat, copiosè ostendit, quomodo hæc obedientia, qua studemus seruare quæcunque præcepit Dominus, veram fidem quæ apprehendit remissionem peccatorum, sequi debeat, sempérque sequatur ex virtute & efficacia spiritus Sancti.

Multa igitur adducit loca, quæ de tali obedientia agunt. Videatur locus ipse. In his quoque articulis, de bonis operibus: de Cruce & afflictionibus: de Oratione: de Ieiunio: de S. oblationibus: de Ordinatione & constitutione Pastorum, cum postrema interrogatione susceptorum & Compatrum apud Baptismum: de Confirmatione & S. Eucharistia, aliisque compluribus locis huius libri, tam fideliter & copiosè de generatione ac noua vita, omniúmque quę mandauit Dominus obseruatione, agitur, vt nimis horrendum sit, quod non dubitant affirmare, Librum Reformationis cum isto mandato Domini, non per omnia concordare, imò eam silentio prętterire, exigeréque vt omnes prędicationes ad duo tantum reducantur, prędicationem scilicet pœnitentię & remissione peccatorum.

Quemadmodum Dominus ipse prędicationem Euangelij sui duobus capitibus comprehendit, nempe pœnitētia & remissione peccatorum, ita & in libro Reformationis proponitur. At Dominus Lucę vlt.

sibi ipsi contrarius non est, nec Math. vlt. vbi iubet baptizatos docere omnia quæ præcepisset. Doctrina igitur libri mandato huic non est contraria, Particulam (Tantum) Aduersarij in libro Reformationis non legerunt, sed de suo confinxerunt, nulla alia causa impulsi, quàm insatiabili cupiditate cuncta quæ in hoc libro continentur, peruertendi ac deprauandi.

Porrò quod ex sexto cap. Epistolæ ad Hebræos adducunt, ad probandum, quòd prædicatio pœnitentię impiis potius & inchoantibus in fide fieri debeat, quàm fidelibus, cuiuis Christiano perspicuum est, quàm infirmum id sit, & omni carens fundamento. Eo enim in loco fides & resurrectio primæ doctrinæ annumerantur. At quinam fidelium tam profecti sunt, vt amplius necesse non habeant, fidem & expectationem resurrectionis in animis eorum confirmari? Cùm igitur non possimus in noua vita promouere, nisi præteritæ nos pœniteat, neque vt docuit nos Dominus, quotidianarum offensarum remissionem petere, nisi nos earum ex animo pœniteat, quis non videt, pœnitentiam omnium eorum quæ Deo in nobis displicent, in fidelibus & vrgendam & confirmandam esse? In quem verò id finem? Vt tantò maiori studio in obedientiam Christi se tradant, ad viuendum ipsi, vt vicissim viuat in eis, doceátque eos seruare omnia quæ præcepit.

Postremò dictum Ambrosij in cap. 12. Rom. sc. Per bonam vitam certam fidei nostrę spem obtineri, in lingua sua obtinuerunt, Nos per bonam vitam spem fidei assequi & comparare posse. Obtinere enim hoc loco non est assequi & comparare, sed tenere & conseruare. Spem fidei consequimur, sicut & fidem ipsam per virtutem spiritus Sancti, non per bonam vitam, quam ex fide & spe fidei profluere ac promanare necesse est. Quando autem fructus fidei sequuntur, pia sc. vita, & spiritus operans in cordibus nostris, tunc obtinemus spem, eámque in nobis confirmamus, quemadmodum docet Petrus, cùm inquit, *Date operam fratres, vt vocationem & electionem vestram firmam efficiatis. Vbi enim contra conscientiam peccatur, ibi fidem ac spem concidere necesse est.*

De Reliquiis Peccati Originalis.

Cap. V.

HOc loco reprehendunt Aduersarij, quod in libro Reformationis docetur, innatam ad peccatum inclinationem reuera peccatum esse, & preuaricationem legis diuinę. Cùm Originalis Concupiscentiæ fomes (vt ipsi docent) propriè peccatum non sit, sed infirmitas quædam, ac potius boni causa quàm mali.

Responsio.

IN hac disputatione primum omnium veritatis fundamentum ponendum est: deinde ad loca scripturę ab Aduersariis adducta, aliáque argumenta respondendum.

Funda-

Fundamentum S. Scripturæ, demonstrans reliquam in nobis rebellionem contra legem diuinam, meritò peccatum & dicendum & iudicandum esse.

INsitam à natura, & post Baptismum relictam rebellionem contra Deum, quam omnes Sancti, dum adhuc carne ista circundati sunt, & in mundo versantur, experiũtur atque deplorant: qua non bonum quod volunt, sed malum quod nolunt, faciunt, Rom. 7. hanc inquam auersionem à Deo, & rebellionem contra bonam ipsius voluntatem Spiritus S. sæpenumero per Paulum peccati nomine appellat, idque simpliciter nulla conditione adiuncta, ac prohibet ne concupiscentiis illius locum demus, vocans eam legem in membris, repugnantem legi mentis, & captiuos reddentem sanctos legi peccati, hoc est, sibi ipsi. Vnde & D. Paulus cùm de hoc peccato quæritur, exclamat, *Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio?* Et Rom. 8. Galat. 6. Ephes. 4. Col. 3. *præcipit Spiritus Sanctus, vt hunc morbum in nobis crucifigamus, mortificemus, & exuamus*, cùm ita scribit, *Quod si Spiritu facta corporis mortificetis, viuetis. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt vnà cum affectibus & concupiscentiis suis.* Item, *Deponere oportet iuxta priorem conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris. Mortificate membra vestra terrestria, stuprum, immunditiem, molliciem, &c. Exuite veterem hominem cum factis suis.*

Hęc omnia conqueritur Sp. S. de Originali, & post Baptismam relicta ad malum propensione, & auersione à Deo, rebellionéque contra voluntatem Dei, quę in nobis inhæret, quandiu viuimus in hoc mundo. Quæcunque igitur deponenda, crucifigenda & mortificanda sunt, siquidem viuere, nõ autem in morte ac summa miseria permanere velimus, quid illa aliud sunt, quàm peccatum & iniustitia? Peccatum enim est, quicquid in nobis legi diuinæ repugnat. At manifestum est, hoc malum, vt testatur Apostolus, aduersari legi diuinę. *Non concupisces, hominēque sibi ipsi captiuum reddere ad peccatum.* Hæ causę cùm Spiritui S. satis graues visę sint, propter quas hoc malum peccati nomine appellaret, meritò debuerunt, etiam libro Reformationis sufficere, vt vnà cum Spiritu S. istam contra Deum rebellionem cum omnibus inordinatis ac vitiosis affectibus suis peccatum, ac veram legis diuinæ transgressionem vocaret, doceretque insuper, hoc peccatum non paruipendēdum, vt & redemptio facta per mortem Christi maiori in precio habeatur, & studiosius ardentiúsque ab hominibus suscipiatur. Qui morte ac passione sua misericordiam & dilectionem Dei nobis recuperauit, & S. Baptismate donat, vt hoc pecatum, siquidem affectibus & concupiscentiis eius non consentiamus ac locum demus, condemnare nullo modo nos possit. Tum vt homines tantò diligentius corpus peccati, ac veterem hominem crucifigant, & exuant: nouum verò quotidie induant, magisque ac magis sibi confirment.

Solutio contrariorum argumentorum.

HAnc doctrinam conãtur Aduersarij probare non esse piam, sed merito Christi, & S. Baptismati contumeliosam, hominum verò saluti pernicioſam & noxiam. Quapropter multa & Patrum & sacrosanctæ scripturæ loca adducunt, quasi cum hac nostra doctrina pugnent. Ad hæc igitur non nihil respondendum est.

Locorum S. Scripturæ quæ citant primus est. Ephes. 5. vbi dicitur: *Christum Dominum baptizatos sanctificare, & mundare per lauacrum aquæ in verbo vitæ, vt exhibeat ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, &c.* Hunc locum non bona fide allegant Aduersarij, sic enim se habet: Christus mundauit Ecclesiam suam lauacro aquæ per verbum, vt adhiberet eam sibi ipsi glorioſam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut quicquam eiusmodi, sed vt esset sancta & irreprehensibilis. Vt adhiberet, inquit, Apostolos, non exhiberet continuò. Vniuersam enim baptizatorum sanctificationem operatur Dominus in suis, quandiu in hoc mundo viuunt: perficit verò tum demum, cùm eos ex hac vita vocat ad vitam cælestem. Ibi enim iam primum fit Ecclesia Christi tota glorioſa, & absterguntur ab ea omnes maculæ & rugæ. In eandem sententiam interpretantur hunc locum D. Augustinus, & alij Patres.

Ioan. 13. Eodem modo intelligenda sunt, & verba Domini, *Vos mundi estis.*
1. Cor. 6. Item Apostoli, *Abluti estis, sanctificati estis*, &c. Quæ & ipsa ab Aduersariis citata sunt. Dominus enim ipse quamuis de discipulis suis affirmabat quod mundi essent, pedum tamen lotionem adhuc ab eis requirebat. Sicut Paulus quotidianam mundationem, & sanctificationem spiritus, quam nos perficere iubet. 2. Cor. 7. Ad quam hortatur vbique.

Porrò cùm Aduersarij D. Augustinum, & alios S. Patres adducunt, docentes, istam naturę nostrę infirmitatem, & rebellionem contra Deum in baptizatis non amplius esse peccatum, sat sciunt, quo sensu istam naturę prauitatem ac peruersionem in Sanctis Peccatum vel non peccatum dicant. Si enim per peccatum intelligamus, Hominem contra legem diuinam ad reatum condemnationis libera voluntate proprijs vel cogitationibus, vel dictis & factis peccare: certè hoc modo morbus atque infirmitas nostræ naturæ peccatum non est: neque enim propria est ac libera transgressio, admissa propriis cogitationibus, dictis aut factis, sed insita quædam à natura peruersitas. Ad hæc reatus istius mali condonatur in S. Baptismate per misericordiam Dei, iustitiáque Christi, qua in S. Lauacro induimur, obtegimur, sicut & ipsum quoque malum debilitatur.

Si verò per peccatum intelligamus, quicquid in nobis legis diuinæ repugnat, iámque Dei in nos prouocat, denique & diuina societate nos priuandi virtutem in se habet, nisi Christus Dominus pro nobis intercederet, ac demum hoc morbo penitus nos liberaret, in qua significatione Spiritus Sanctus hac voce vtitur Rom. 6. & 7. negari certè non potest, hanc naturę peruersitatem, ac fomitem mali, qui

inde-

indesinenter in nobis diuinæ voluntati repugnat, rectè ac propriè peccatum dici, sed tale quod ab ipsa origine vnà cum natura concipitur; non autem Actuale, cuius, vt Dauid & Paulus fecerunt, perpetuam pœnitentiæ agere, idque deplorare per totam vitam debemus, clamantes cum Paulo, Miseri nos, quis liberabit nos de corpore mortis? Quandiu enim hic Morbus nobis adhæret, tamdiu horrenda laboramus ignorantia, incredulitate ac segnicie ad omne bonum, labimur perpetuò, & multis ac variis modis transgredimur legem Dei, caróque nostra & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt. De hoc igitur meritò dolere, & cum omnibus sanctis atque doctis ingemiscere debemus, summisque votis desiderare, vt semel hac miseria liberati, ac veteri Adamo exuti, Christo Domino induamur, nouáque regeneratio, in S. Baptismate inchoata, in nobis tandem penitus perficiatur. Iã igitur videant omnes pij, an aliquid in hac doctrina insit, quod vel cũ scripturis, vel cum Christianismo minus consentiat? In quo discrepat à nobis D. Augustinus, in quo & alij quoque Patres.

Quod verò D. Augustinus interdum dicit, Morbum hunc non esse peccatum, vt contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 1. cap. 3. ipse statim explicat, quomodo vocabulum peccati vsurpet, nempe pro eo quod secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fit, dicitur, aut cogitatur. Qua ratione hic morbus peccatum non est. Cum hac expositione concordat & liber Reformationis. Sic contra Iulianum lib. 2. scribit, *morbum hunc non ideo peccatum appellari, quòd reos nos constituat, sed quòd ex reatu primi hominis ad nos perueniat, conetúrque nos per rebellionem reos efficere.* Et lib. 5. contra eundem cap. 1. scribit, *Concupiscentiam carnis aduersus quam bonus spiritus concupiscit, peccatum esse, quia illi inest obedientia contra dominatum mentis.* At dicunt Aduersarij: Augustinus non dicit inobedientiam hanc esse peccatum, sed potius exercitium & incitamentum ad bonum. Sed dicit morbum hunc esse peccatum propter inobedientiam: inobedientiam verò cum D. Ambrosio fatetur esse iniquitatem, contra Iul. lib. 2. Porrò peccatum, vt inquit Ioannes, iniquitas est: sicut & è contra iniquitas peccatum. Quamuis interdum Dominus dat, vt prauis inclinationibus & affectibus istis tam benè vtamur, vt ex illis alacriores ac magis excitati reddamur ad precandum, humiliandámque & subigendam carnem nostram.

Ex his igitur perspicuum est, librum Reformationis quò ad hanc materiam, nihil docere, quod cum D. Augustino, aliisque sanctis Patribus pugnet. Aliud enim est Mali fomes ac deprauatio morbúsque naturæ, quem Dominus in S. Baptismate curandum suscepit, nondum verò ad plenam ac perfectam sanitatem perduxit.

Aliud sunt prauæ & inordinatæ cupiditates, quæ ex naturæ corruptione, etiam contra hominis voluntatem nascuntur, ac pullulant. De quibus Apostolus Paulus loquitur, cùm inquit, se facere malum, quod non vult. Aliud item est mala cogitare, dicere, vel reipsa proficere. Ea enim tum demum sequuntur, cùm homo prauis innatæ peruersita-

tis motibus & affectionibus locum dat, non autem summis viribus reluctatur. Per hanc doctrinam, quæ ipsius Domini est, nihil nec merito eius, nec S. Baptismati, in quo meritum illud nobis donatur & applicatur, adimitur, imò potius meritum Domini nostri Iesu Christi, & sacer Baptismus magis commendantur & celebrantur, cùm agnoscimus, summam istam contra Deum rebellionem propter meritum Domini nostri Iesu Christi, in S. Baptismate nobis communicatum, in reatum atque communionem nobis non imputari.

Verba Aduersariorum.

" Porrò quòd scribunt Aduersarij: Quo tandem ista eorum doctrina, " qui librum Reformationis composuerunt, aliò poterit spectare, aut " pertinere, quàm vt homines securi & negligentes reddantur? Enimuerò cùm audiunt, manere in ipsis peccatum post Baptismum tam verè " quàm antè: Item quod propter illud ipsum aduersus decalogum præ- " ceptorum inceſſanter peccent, etiamsi non accedat ei voluntas, quid " poterunt secum cogitare aliud, quàm perinde esse, obtemperent concupiscentiæ vel non, &c. Hæc ex cæco quodam affectu potius, quàm vero aliquo S. scripturæ fundamento, aut saltem rationabili causa scripta esse, quis non videt? Quomodo enim quis ægrotum securum ac valetudinis suæ negligentem, reddat, vt nec de medico, nec de sanitate recuperanda curet, si quanto in periculo versetur, quámque debilitatum atque corruptum sit totum eius corpus, ipsi exponat: adeò vt nisi Medico per omnia obtemperet, eámque quam illi præscribit, diætam ac victus rationem sequatur, denique cupiditatibus morbi fortiter resistat, fieri non possit, vt pristinam valetudinem recuperet, vel vllam naturalem actionem deinceps liberè ac sine impedimento obire commodè possit. Contrà si Medici consiliis obtemperet, fore vt quàm citissimè insignem morbi relaxationem sensurus sit, ac multas tolerabiles naturæ actiones, experturus, denique pristinam valetudinem plenissimè recuperaturus?

Iam quòd ad eam infirmitatem attinet, quæ in pia vita sentitur, liber Reformationis eadem docet. Ostendit enim hominibus, quàm corrupta & deprauata sit eorum natura, quàm nihil omnino inhabitet in carne eorum boni, quàm indesinenter omnes rerum cogitationes ad æternam eorum perniciem Deo repugnent. Eos verò qui verum animarum medicum Christum dominum, qui ipsos curandos in S. Baptismate suscepit, vera fide amplectantur, eique obtemperant, ac morbidæ suæ naturæ concupiscentiis fortiter resistunt, in inchoata sanitate magis magisque confirmatum iri, donec tandem ab omnibus infirmitatibus & morbis soluti, plenam sanitatem, hoc est, cœlestem vitam, in quam nulla talis cadit infirmitas, consequantur. Quid aliud hæc doctrina potest, quàm homines ad Christum magis ac magis impellere, studiúmque in Christo Domino permanendi, & prauis cupiditatibus fortiùs resistendi, accendere & inflammare? Excogitet humana sapientia, si potest, aliam aliquam causam, propter quam hæc doctrina magis incitare possit homines eò vt in Christiana conuersatione negligentiores fiant, & perinde esse existiment, siue locum

dent

dent prauis cupiditatibus: siue eisdem reluctentur. Et tamen audent Aduersarij scribere, hanc doctrinam non aliò spectare, quàm vt homines securi & negligentes reddantur. At quid pernicioſius fingere aut excogitare potuissent, quàm perinde esse obsecundes concupiscentiæ; vel non? An non est bonum malum, & malum bonum, tenebras lucem, & tenebras facere?

Aduersarij docent, Non necessariò requiri, vt lex Dei diliges Dominum Deum tuum, &c. Item, Non concupisces, in hac vita perfectissimè adimpleatur. Et quamuis experiamur, in nobis magnam infirmitatem, & auersionem à Deo, quæ multas prauas cupiditates ac libidines excitat in cordibus nostris, eas tamen peccatum non esse, quamdiu illis non obsecundemus, ac cedamus locum. Annon hæc doctrina multò magis securos ac negligentes reddit, ad veterem Adamum in se ipsis mortificandum, ad prauis concupiscentiis incessanter resistendum, hoc est, ad crucifigendam carnem vnà cum cupiditatibus suis, quãdo audiunt; hos morbos, ac prauas inclinationes coram Deo peccatum non esse, dummodo illis non consentiant? Ad quam negligentiam augendam facit & hoc, quòd D. Augustinum cap. 36. lib. de spiritu & litera, & aliis compluribus locis docentem adducunt. Nostro tempore præceptum non esse, vt Deum ex toto corde diligamus, &c. aut, Non concupiscamus, &c. Verum hoc loco idem designant in D. Augustinũ, quod antea quoque in Paulum, quem adduxerant, quasi affirmaret, Christũ Dominum exhibere sibi in S. Baptismo Ecclesiam suam gloriosam, & omni macula ac ruga carentem. D. Augustinus cùm ostendere vult, quantum detrimentum natura nostra ex Originali peccato acceperit, contra magnum auxilium atq; solatiũ, quod Christus Dominus nobis impetrauit, & exhibet, dicere solet, Hæc duo mandata, Diliges Dominum Deum ex toto corde, & proximum sicut te ipsum, &c. Non cõcupisces, à nobis in hoc mũdo non impleri, sed primũ in futura vita adimpletũ iri. Christũ verò nobis impetrasse, vt imperfectio illa obediẽtiæ legis diuinæ nobis nõ imputetur. At nõ dicit, Deũ nõ perinde nobis hæc duo mãdata præcepisse, vt alia: aut nos non debere ex illis grauissimũ lapsum, ac horrendã naturæ nostræ corruptionẽ cognoscere & deplorare, tantoq; ardentiùs Christo Domino totos nos dedere, quẽadmodũ Liber Reformationis ex verbo Dei, ac D. Augustino docet. Enim verò Deus mãdata ista de perfecta charitate, tanquã præcipua omniũ mãdatorũ capita tradidit, testatusq; est, totã legẽ ac Prophetas ab illis pendere. *Cõcupiscentiã nõ nouisse*, inquit Paulus, *nisi lex dixisset, Nõ concupisces.* Quo dicto testatur, hoc præceptũ nostro seculo in eum finẽ esse datũ, vt nobis ostẽdat peccatũ esse, omne id, quod etiã sola cõcupiscẽtia admittitur. Quamuis hoc Dominus nobis imputare non vult ad condẽnationem, & omnibus, qui in Christo Iesu viuunt, & non secundum carnẽ, sed iuxta spiritũ ambulant. Rom. 8.

Sic igitur apparet, Librum Reformationis nihil aliud de reliquis adhuc in Baptizatis prauis concupiscentiis docere, quàm quod ipse Spiritus S. per Apostolum Paulum, & in aliis scriptis docuit, ac post ipsum verę Apostolicæ Ecclesiæ D. Augustinus.

In hac enim doctrina summa huius negotij continetur: Primùm quòd Deus naturâ hominis à principio crearit perfectam & integrâ. Deinde quòd natura nostra per Originale peccatum miserè corrupta sit, & in horribilem auersionem à Deo prolapsa. Tertiò quod Christus Dominus nos liberauerit ab ista miseria per regenerationem, quam in S. Baptismate nobis communicat, & inchoat in cordibus nostris. Quartò, quod Dominus in S. Baptismo ita nos ab omnibus peccatis mundet, vt nolit ea nobis ad reatum & condemnationem imputare. Quintò, Nihilominus peccatum, vt Apostolus appellat, malarum inclinationum, & rebellionis contra Deum in nobis manere, sed tamen per Spiritum Christi debilitatum & infirmatum esse. Sextò. Hoc peccatum, dum in Christo manemus, & non secundum cupiditates carnis, sed iuxta spiritum ambulamus, propter meritum Domini nostri Iesu Christi ad condemnationem nobis non imputari. Septimò, Omnes qui Christi sunt, debere huic peccato incessanter repugnare, magisque ac magis id crucifigere ac mortificare, atque ita veterem Adamum exuere, cum omnibus factis suis, nouum verò, qui est Christus induere: ad quod Christo Domino in Baptismate incorporati sumus, atque cum eo in mortem ipsius consepulti.

Cùm igitur hoc modo Liber Reformationis innatam, & post Baptismum relictam infirmitatem & inobedientiam aggrauet, & acuat in hominum animis, nostrámque rebellionem contra legem diuinam, quæ ex illo fomite mali promanat, manifestè ponat ob oculos, isque omnino iuxta verbum Dei, dici sanè cum veritate non potest, quòd vel diuinæ creationi, vel merito redemptionis facta per Dominum nostrum Iesum Christum, vel S. Baptismati, & acceptæ in eo gratiæ, vel aliquid detrahat ac deroget: aut quod homines securos reddat, & in pugna contra prauas libidines & cupiditates, negligentiores. Quin potius docet rectè inspicere egregium opus diuinæ creationis in nobis, & pretiosæ redẽptionis factæ per sanguinẽ Saluatoris nostri Iesu Christi. Ad quod homines magis impellit, ac incitat, vt acceptam in Baptismo gratiam rectè suscipiant, & in pugna contra carnem in dies fortius pergant, denique ad plenam victoriam confidentiùs contendant.

Cùm impossibile sit, propter corruptionem ac cæcitatem nostræ naturæ, vt homines vel imaginem diuinam, ad quam ab initio creati fuerunt: vel gratiam ac meritum Christi, qui morte ac resurrectione sua ad hanc diuinam imaginem nos regenerauit, ac in dies magis instaurat: vel virtutem S. Baptismatis, in quo regenerationem ac spiritum istius nouæ regenerationis accepimus, vel denique necessitatẽ in Christo manendi, ac contra carnem & peccatum quod in ea inhabitat, indesinenter pugnandi, cognoscere ac intelligere possint, nisi optimè cognitum habeant, ac diligentissimè perpendant, quàm grauiter per Originale peccatum, omnes potentiæ nostræ vulneratæ sint, & quàm potenter adhuc in nobis inhabitet peccatum, denique quàm longè absimus, à perfecta obedientia, & mandatorum Dei adimpletione.

De

De discrimine Veteris & noui Testamenti.

Accusatio quinta.

Cap. VI.

QVINTA reprehensio Libri Reformationis est, Vetus ac nouum Testamentum in eo non rectè discerni, quòd vetus litera, nouum verò Spiritus esse dicitur: propterea quòd veteri Testamento remissionem peccatorum & communicationem spiritus S. attribuat, perinde atque nouo. Item quod dicat, Nouum Testamentum nihil requirere externi: Denique Librum hunc nihil aliud agere, & quærere, quàm vt omnes externæ cæremoniæ & vsitata in sancta Ecclesia consuetudo abrogetur. Rursus eum non ita æstimare opera exteriora & institutiones veteris Testamenti, quasi fuerint tempore illo quidam cultus Dei, &c.

Responsio.

AD hanc obiectionem nihil aliud erat opus respondere, quàm rogare omnes qui inter librum Reformationis & Aduersarios dijudicare volunt, vt Articulum de discrimine veteris & noui Testamenti in libro propositum diligenter legerent, & postea cum illo Aduersariorum scripto conferrent. Sic enim perspicuè visuri sunt, hanc Aduersariorum reprehensionem falsam esse vt summo studio conquisitam, quæ nullum habet fundamentum in S. scriptura, sibique ipsi repugnat.

Primùm enim quicquid ex Hierem. 31. & 2. Cor. 3. & Heb. 8. adducunt, id omne in libro Reformationis quoque citatum est, & explicatum, quod vetus Testamentum hoc loco nihil aliud sit, quàm litera occidēs, quam Deus per Mosen tradiderit, quæque sine fide Messiæ accepta fuerit & vsurpata; nouum verò esse saluificam adoptionem filiorum Dei in Christo Domino, si per Spiritum Sanctum cordibus nostris inscribatur, veráque ac solida fide apprehendatur.

Interim verò legimus quomodo Deus cum Abrahamo, ac veteri suo populo fœdus inierit, vt cùm dicit Abrahamo, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi: faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi.* Genes. 12. & alibi dicit ei Dominus, *Noli timere Abram, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Item, quando fœdus cum eo pangit, sic dicit ei, *Semini tuo dabo terram hanc, &c. Credidítque Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, & alio loco: *Erigam fœdus meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te*, &c. Genes. 17. Sic cùm iterum ei pollicetur, *se multiplicaturum semen eius, & benedicturum illi, ac daturum, vt in semine eius benedicantur omnes gentes terræ.* Genes. 22. Denique quando fœdus hoc Dominus cum Isaaco & Iacobo renouauit, Gen. 26. & 28.

In his locis omnibus legimus de fœdere, quod Dominus non cum omnibus populis terræ, sed cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo, ac semi-

ne eorum post eos iniit, promisitque se protectorem eorum, mercedem magnam ac Deum fore, quemadmodum & semini eorum post eos, daturúmque illis semen illud benedictum in quo benedicendæ erant omnes familię terrę.

Quis est qui non videt, Deum in hoc suo fœdere sempiternam gratiam suam ac benedictum Messiam, & in eo perpetuam salutem polliceri, quam S. Patriarchæ vnà cum fideli semine suo reuera acceperunt? Huic doctrinæ nullus vnquam Christianus doctor contradixit. Hoc sanè fœdus respectu temporis antiquum est, imò antiquissimum omnium, quę post fœdus cum primis parentibus, & cum Noah percussum, facta sunt. Quod cùm ita sit, necessariò consequitur, scripturam de vetusto quodam fœdere loqui, quod Dominus cum antiquis, ac primis fidelibus suis percussit, quódque non tantùm in externa & occidente litera positum fuerit, verumetiam in spiritu & fide, habuerítque in se remissionem peccatorum, & plenum Dei fauorem, imò Deum ipsum mercedem magnam. Nihil aliud docet liber Reformationis.

Cęterùm de eo fœdere, quod Dominus cum vniuerso veteri populo iniit in monte Sina, sic dicit Dominus ipse. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Exod. 19. Et postea commemoratur, quid vlterius cum illis in monte locutus sit, ac quomodo legem suam tradiderit, *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.*

Iam quicunque mortuam solummodo & occidentem legis literam accipiunt & obseruant, illi non obtemperant voci Christi, qui ante omnia & in omnibus præceptis ac mandatis suis veram fidem & dilectionẽ requirit: neque etiam sacerdotale regnum Dei sunt, nec gens sancta: sed hypocritæ, filij alienigenæ ac hostes verorum filiorum Dei, vt testatur Paulus Galat. 4. & Deus vtique in omnibus Prophetis conqueritur.

Quapropter cùm Deus in monte Sina eiusmodi cum populo suo fœdus inire voluerit, quemadmodum ipse eo in loco clarè testatur, ipse Deus eorum esset, & æternus saluator: ipsi verò sacerdotium eius, & gens sancta, quæ voci ipsius obtemperaret, & iuxta verbum ipsius viueret, quis non videt, Antiquum hoc fœdus, quod Dominus cum populo suo erecturus erat, pactum fuisse æterni fauoris ac gratiæ Dei, quod remissionem peccatorum, & omnimodam benedictionem diuinam in Christo Domino æterno mediatore in se comprehẽdat? Hoc idem fœdus, & nullum aliud renouauit Deus cum populo isto, Exod. 34. & declarauit per totum Deuteronomium: vbi requirit fidem, timorem & charitatem ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus. Legatur 4. 5. & 6. cap. Deuter. & in decimo inquit Moses: *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te? nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius: & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima,* &c. Et *Circuncidite igitur præputium cordis vestri,* &c. Ad eundem modum in plurimis locis nominatim promisit Remissionem peccatorum.

Sic

Sic loquitur Dominus ipse de fœdere, quod cum populo suo per Mosen inerat. Ad hæc Christus ipse testatus est, vniuersam legem ac Prophetas ab his duobus mandatis pendere, videlicet Charitate Dei & proximi, quam certè nemo sine fide & remissione peccatorum habere potest.

Ex his perspicuum est, fœdus quod Dominus Deus cum veteri populo per Mosen erexit, non tantum fuisse traditionem mortuæ & occidentis literæ, sed etiam promissionem Christi, & omnis benedictionis eius, remissionis peccatorum, omníque boni, quæ omnia veram ac solidam fidem, cum ardenti dilectione coniunctam requisiuerunt. Postquam verò multi ex veteri populo non semper in hoc fœdere manserunt, sed illud, vt Dominus Hierem. 31. & vbique in Prophetis conqueritur, *fregerunt, ac sola externa litera ac ceremoniis confidere voluerunt*, illi omnes Vetus testamentum, pactúmque gratiæ sibi ipsis peruerterunt, & in mortuã atque occidentẽ literã, ministeriũ mortis cõmutarunt. Quin & serui quoque sunt, & hostes verorũ filiorũ Dei non filij fœderis: semen alienũ, Cananæi, Ammonithæ, Hethitæ non Israëlitas, Psal. 54. Gal. 4. & Ezec. 16.

Iam cùm Pseudoapostoli legem Mosaicam contra Christum vrgerent, totúmque nouum Testamentum à Mose separarent & excluderent, Paulus ac cæteri Apostoli cum ipsis, tum Christianis, quibus suam Legis doctrinam obtendere volebant, declararunt ac posuerunt ob oculos, quid operetur tota lex ac testamentum Mosis, vbi quis sine Christo id obseruare vult, meritóque testati sunt, quod tum cùm vera fides, ac propriũ opus Christi seiungũtur, omnia quæcũque Moses tradidit, nihil aliud esse possint, quàm inanis vmbra, misera, egena, caduca, atq; obsoleta pædagogia: denique mortua & occidens litera, ac ministerium mortis.

Hæc omnia Liber Reformationis summa fide & proponit & explicat, quò concionatores de iis & loquantur & sentiant, quemadmodum Dominus ipse in scripturis suis docuit: insuper gratiam ac beneficentiam Dei, tam veteri quàm nouo populo exhibitam, rectè discernana, vtrámque bona fide populo proponant, & neutri quicquam derogent. Quid in his omnibus inest, quod non tam verbis quàm ex S. scripturis depromptum sit, & cum S. Patribus quoque concordet, imò cum Aduersariis ipsis? Fatentur. n. quod apud antiquos, qui soli verus Dei populus fuerunt, & in fœdere eius permanserunt, eundem spiritum fidei, quem nos Cor. 4. Quod cùm ita sit, fatendum certè est, fœdus, quod Dominus cum veteri populo percussit, non tantum in nuda litera situm fuisse, sed & Spiritum sanctum & remissionem peccatorum in se habuisse: quod eo omnes S. Patres confessi sunt. Quando verò de locis Apostoli 2. Cor. 4. & Gal. 4. & Heb. 5. & locuti sunt, tunc vnà cum Apostolis de veteri Testamento dixerunt, quatenus eo confidebant Iudæi extra & aduersus Christum: Qua ratione Deus fœdus suum cum nullo vnquam mortalium erexit: sed Abrahamo, ac semini eius, & vniuerso populo Israëlitico, quotiescunque fœdus suum cum eo renouauit, & stabiliuit, semper pollicitus est, se fore Deum ipsorũ: in quo promissio de venturo Christo, de remissione peccatorum, & omni benedictione includitur: sicut in supra citatis scripturæ locis, in omnibus Prophetis,

in verbis Christi & Apostolorum clarum est videre. Meritò igitur Aduersarij huic suæ Reprehensioni supersedissent.

Porrò Liber Reformationis ex manifesto verbo Dei tria discrimina posuit, non veteris & noui Testamenti, vt ea de re loquitur Paulus 2. Cor. 4. & Gal. 4. Heb. 7. & 8. sed fœderis gratiæ, sicut Deus illud à principio per Mosen cum veteri suo populo, & deinceps per Euangelium cum omnibus omnium populorum totius orbis erexit. Quorum primũ quod cogerat, quod cognitio gratiæ ac beneuolentiæ diuinæ per Christum veteri populo obscurius atque inuolutius, nouo autem clarius ac manifestius reuelata sit. Alterum, quod vetus testamentum cum solo Abraham, nouum verò cum omnibus gentibus per vniuersum orbem erectum sit. Tertium, quod Veteri Testamento externi ritus quàmplurimi, nouo verò pauciſſimi sunt adiuncti.

Quod & ipsum Aduersarij reprehendunt, quamuis & Prophetarum omnium & Domini ipsius atque Apostolorum testimonia, tam abundè ac clarè testentur. Cognitionem gratię diuinę post exaltationem Christi electis filiis Dei tanto potentius ac plenius reuelatam esse, vt multi reges & Prophetę desiderauerint videre, quę Apostoli & alij discipuli domini viderunt, videre autem illis datum non sit: neque Principatibus ac potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam nota fiat vehementer varia sapientia Dei, quę in prioribus ętatibus non innotuit filiis hominum, Math. 13. Ephes. 3.

Porrò quòd Dominus tempore noui Testamenti omnibus nationibus idem præstiterit, quod populo Iudaico, reuelando si ceremonias & statuta sua, cùm prędicari iussit Euangelium suum omnibus creaturis, & hoc quoque manifestum est, atque ab ipsis Aduersariis confessum.

Quod verò Dominus veteri populo multos externos ritus ordinauerit, nouo verò paucos, ac non per se clarum ac perspicuum est? Annon Augustinus hac de re sic scribit lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. Hoc verò tempore posteaquam resurrectione Domini nostri manifestiſs. indicium nostrę libertatis illuxit, ne eorum quidem signorum, quę tam intelligimus, operatione graui onerati sumus, sed quędam pauca pro multis, eadémque factu facilima, & intellectu augustiſſima, & obseruatione castiſſima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi sacramentum, & Celebratio corporis & sanguinis Christi.

Verùm tales se exhibent Aduersarij, & in hoc & in aliis compluribus articulis quos oppugnant perinde, ac si proprium eorum officium & munus arbitrentur reprehendere ac peruertere omnia quę Clementiſſimus Dominus noster ad Christianam reformationem instituendam proposuit, etiam vbi non tantum clara ac manifesta extat Dei & S. Patrum doctrina, sed etiam ipsi eadem sentiunt & docent. Hinc est, quòd vbi Liber Reformationis dicit, nouum Testamentum requirere paucos ritus externos & ordinationes, ipsi dicunt, Eum ponere quod nouum Testamentum nihil requirat externi, quod faciat ad fidei offensionem. At ita ex (Paucas) faciunt (Nullas vel nihil omnino) Annon hoc est tenere verba libri peruertere?

Postea

Postea subiungunt, Authoribus libri Reformationis nihil aliud actũ & quęsitum est, quàm vt externas omnes ceremonias, & vsitatam in Ecclesia sancta consuetudinem abrogarent: cùm tamen in libro ab initio huius articuli manifestis verbis expressum sit, diligenter notandũ esse verum discrimen veteris ac noui Testamenti & populi, vt eorũ caueatur error, qui quoniam non satis intelligunt quędam dicta D. Pauli, omnia quæ Deus egit cum Patribus, corporalia & terrena esse affirmant, atque idcirco præclara dona Dei, vt magistratus externos, & constitutiones salutares apud Christianos, vt ad nouũ Testamentũ, & spirituale Christi regnũ, nihil quicquã pertinentes, omnino reiiciunt, aut saltẽ nõ sic in precio habent, sicut postulat verbum Dei. Hęc sunt verba libri.

Iam iudicetur, quàm honesti & integri viri sint Aduersarij, qui eius erroris crimen Libro Reformationis audent intendere, quem expresse condemnat, ac summo studio auertere conatur.

Similis calumnia est, quod scribunt librum Reformationis docere, quòd Deus per nouũ Testamentũ liberauerit credentes ab omnib. humanis præceptis seu traditionibus, permiserítque eos liberè spiritus S. directioni regendos, ita vt non sint amplius obligati ad humanas institutiones obseruandas, nisi quantum voluerint se talibus ex corde & spiritu libero, sponte non coacti ad ædificationem proximi submittere.

Nam in libro Reformationis sic habetur, Deum liberasse quidẽ Christianos à Mosaicis ritibus, & elementis mundi, atque liberę spiritus S. directioni regendos permisisse, sed ita vt se omni humanę ordinationi subiiciant, omnibúsque omnia fiant. Sed totum hoc spontanea mente, & spiritu libero, & tantum ad placitum Domini, & vtilitatem proximi.

Hæc sunt verba libri, qui nihil amplius dicit, quàm Deum suos fideles ab externa disciplina Mosaica, & omnibus elementis mundi liberos reddidisse. Aduersarij verò dicunt Librum affirmare, quod nouum Testamentum liberauerit credentes ab omnibus humanis institutionibus, &c. Ex (Mosaicis) faciunt (omnibus humanis.)

Sic vbi in libro positum est, Christianos debere omnibus humanis constitutionibus & præceptis sese submittere, & omnibus omnia fieri libero ac spontaneo spiritu, &c. ibi scribũt librum ponere, Christianos non amplius esse obligatos ad humanas institutiones obseruandas, nisi quantũ voluerint se talibus ex corde & spiritu libero submittere, &c. Liber Reformationis iuxta doctrinam Petri ac Pauli subiicit Christianos omnibus humanis pręceptis, & constitutionibus, quatenus id ad gloriam Dei, & ędificationem salutis proximorũ conducit. Aduersarij verò dicũt, quod eas tantũ traditiones humanas obseruare iubeat, quibus se sua sponte subiiciunt. Nunquid hæc est improba & calumniosa peruersio eorum quę in libro Reformationis rectè ac piè posita sunt?

Simile est & hoc, Liber Reformationis docet verum ac genuinum intellectum vsúmque mandatorum Dei, ac deinde subiungit, Ministris ecclesię dandam esse operam, vt in omnibus suis concionibus hunc verum ac salutarem omnium præceptorum Dei sensum proponãt, populum tamen omnibus his rebus grauare & onerare caueant, à quibus per

Christum est liberatus, cuiusmodi sunt omnia mandata Mosis, quæ ad externam pędagogiam propriè pertinent, quibus debeat vetus populus suo tantũ tempore vsque ad Christum in fide ac timore Dei contineri, quę nunc Christianis ad salutem nihil conducunt, vt sunt circumcisio, ceremoniæ veteris tabernaculi & templi, corporales purificationes, discrimina ciborum, &c. Hęc sunt verba libri. Ex quibus manifestum est, Librum Reformationis docere Concionatores, vt iis tantùm reb. Christianos non onerent, à quibus per Christum liberati sunt. Eiusmodi verò res dicat esse omnia ea, quæ ad pædagogiã Mosaicã pertinent, quę tãtũmodo vsque ad Christũ durare debebat, nunc verò ad pietatẽ inutilis est. Vt est Circũcisio, Ceremonię veteris templi, Discrimen Mosaicum ciborũ, & similia. Aduersarij verò nõ dubitãt libro adscribere, quod doceat, prædicatores nullis reb. ad pædagogiã pertinentibus debere homines onerare: & omittunt hęc verba (quibus à Christo liberati sunt) & (Mosaicam) quæ verba in libro tam diligenter expressa sunt.

Sic & enumerationem harum rerũ deprauant. Vbi enim liber expressè ponit Circũcisio, ceremoniæ veteris tabernaculi, tẽpli ac sacerdotij, &c. ipsi ponũt librũ dicere, Omnes præceptiones de ceremoniis, oblationibus & festis, traditiones corporaliũ purificationũ, delectus ciborũ, omnésque institutiones & formæ externorũ iudiciorũ & politiarũ: omittunt autẽ (& reliquæ ceremonię ac ritus veteris tabernaculi, & tẽpli & sacerdotũ ministeria) quę omnia continentur in libro Reformationis disertè expressa. Annon hęc impudens est ac temeraria peruersio. Verum hoc modo falsę accusationi suę fuco quidem patrocinari voluerunt, vt eos qui librũ Reformationis composuerunt, apertè, sed prętер veritatem, insimularent, vt qui omnes externas ordinationes ac obseruationes Ecclesię auferre vellent.

Non minor calumnia & hæc est, quod scribunt librũ Reformationis non ita æstimare opera exteriora & institutiones Testamenti veteris, quasi fuerint tempore illo cultus quidam Dei: cuius tamen Liber ne verbo quidem meminit, quin potius contrarium docet. Affirmat enim Deum externas huiusmodi ordinationes & ceremonias à veteri populo requisiuisse. At quicquid Deus ab hominibus exigit, iisque mandat, si id faciant ex vera fide, gratissimum Deo cultum præstant. Hæc est doctrina Libri in Articulo de Bonis operibus.

Prętерea reprehendunt librũ Reformationis in eo quoque, quod dicunt, Eum hoc dictum Pauli, Lex Pædagogus noster fuit in Christum, torquere ad fideles, quasi præcipua legis functio sit, credentes tanquam eorum pędagogus quidã adducere Christo: id quod pugnare existimant cum doctrina D. Pauli, qui scribit *legem fuisse pædagogum nostrum in Christum, priusquam veniret fides. At vbi venit fides, iam non amplius esse nos sub pædagogo.* Gal. 3. Huic subiũgunt, librum Reformationis planè obliuisci vtilitatis eius quã lex pro officio suo debeat propriè fidelibus subministrare ac porrigere. Quod non sit, vt fideles per legẽ primũ cognoscãt peccata sua, quibus iam mortui sunt, aut vt irã operetur, à qua sunt per Christũ liberati, nec denique vt sit eis pędagogus iamprimũ ad Christum,

ſtum, quem oportebat habitare modò in cordibus eorũ per fidẽ. Cęterũ proprium & erga fideles deſtinatũ legis officiũ eſſe, vt ſit eis in ſpeculũ quoddã in quo ſeſe contemplentur, & quouſque iam viuẽdi ratione in charitate profecerint, ac rurſus, *vt ſit eis lumen & via recta, in qua ambulare ſempérque progredi debeant.* Ad hoc citant Pſal. 19. & 119. qui de lege teſtantur, quod ſapientiam det paruulis, lætificet corda, & illuminet oculos, &c.

Hoc loco rurſum animaduertas Chriſtiane Lector, quomodo Contentiones ac rixas ſine omni cauſa quærant. Scribunt propriũ legis officium ac miniſterium eſſe, vt ſit quoddam quaſi ſpeculum, in quo nos ipſos contemplemur, & quouſque in pia vita progreſſi ſimus, cognoſcamus. Et quòd lex ſit lumen, ac via recta, in qua ambulare ſempérq; progredi debeamus, quod verum eſt. Cęterum omnes fideles in hoc ſeculo multas adhuc infirmitates, peccata & lapſus in ſeipſis deprehendunt. Quid? Annon lex ipſis eò deſeruire debet, vt ea in ſe vitia melius agnoſcant, quando ſe in ipſa, tanquã in ſpeculo contemplantur? Mortui ſunt peccato, inquiunt Aduerſarij: Verum: ſed in Chriſto Domino. In ſeipſis verò dum in hac carne viuunt, nunquam ſe peccato vacuos inueniunt, vt teſtatur Ioannes, & neceſſe habent, vt illis in dies magis ac magis moriantur.

Nemo igitur in terra tam fidelis eſt, tã regeneratione innouatus, quẽ non lex Dei, ſi ea rectè vtatur, ad maiorem peccatorũ ſuorũ agnitionẽ ac pœnitentiã adducat, iręque diuinę ac iudicij aduerſus peccata ita admoneat, vt eum hac ratione vehementiùs ad Chriſtũ, qui ſolus iudiciũ & indignationẽ Patris ſui cœleſtis à nobis aufert, impellat, ac inſtar pædagogi ad fortiter pergendũ in omnibus mandatis Dei inſtiget, in quo etiam ſola lex ſapientes reddit ſimplices, & illuminat oculos hominũ, éſtque lucerna pedum eorum, vt Pſalmi canunt 19. & 119.

Antequam fides reuelati Euangelij veniret, Filij Dei huic pædagogo ſubiecti fuerunt, vt eos magis impelleret, maiorémque timorem & anxietatem illis incuteret, quàm poſteaquam hanc fidem ſunt aſſecuti. Quemadmodum verò nemo vnquam ſub hoc pædagogo contineri ſe paſſus eſt, niſi aliquam quoque fidem, erga Deum habuerit. Ita tam firma fide nemo in hoc mundo prędituſ eſt, vt non aliquo modo hac legis pędagogia adhuc indigeat. Etſi enim Chriſtus Dominus legem diuinam fidelium mentibus inſcripſit, quinetiam ille ipſe in eis vixit, & habitat, id tamen adhuc omnino perfectum non eſt, ſed vetus Adam ibi adhuc quoque habitat. Quapropter nemo in Chriſtianiſmo tam longè progreſſus eſt, quin opus ei ſit lege, quæ perpetuò peccatorum ſuorum memoriam & agnitionem ei renouet, iræque & vltionis diuinæ aduerſus peccata terrorem incubat, quò ad Chriſtum magis magíſque impellatur, & ad verè piam vitam erudiatur & incitetur.

Ex his iudicet quiuis Chriſtianus, vtrum liber Reformationis proprij miniſterij & officij legis oblitus ſit: & an aliquod ſit legis proprium ac peculiare opus, quod non operetur in omnibus fidelibus, qui ea rectè vtuntur.

Est & hæc Calumnia, quòd dicunt, Librum Reformationis docere, quòd Pædagogia, hoc est institutio & incitatio ad piam vitam sit summum ac præcipuum opus legis. Principale atque vniuersum legis opus est, vt voluntatem Dei nobis reuelet, & ex ea peccata nostra, iramque Dei aduersus peccata ostendat ac testetur, & hoc pacto nos ad Christū impellat, simulque, instituat, & inflammet, ad viuendum iuxta omnem voluntatem Domini. Hoc legis officium omnes Sancti in seipsis experiuntur, & testantur omnes verè Christiani Doctores.

Ad extremum suggillant & hoc Aduersarij, quod Liber ex dicto Pauli, Omnes eundem spiritualem cibum manducabant, & eundem spiritualem potum bibebant, ita procedat, acsi veteris Testamenti obseruatores, eundem cibum spiritualem quem nos, eundémque potum nobiscum biberint & manducauerint, cùm tamen sciant D. quoque Augustinum eadem verba habere, Tract. 26. In Ioan. Omnes inquit, eandem escam spiritualem manducauerunt: spiritualem vtique eandem, nã corporalem alteram; quia illi manna, nos aliud: sed spiritualem quam nos: sed nostri, non illorum Patres. &c. Et in libro de vtilitate pœnitentiæ adscripto Augustino: Eundem cibum spiritualem manducauerunt. Eundem, inquit, non inuenio quomodo intelligam, nisi eum quẽ manducauimus & nos, &c. Enimuerò fideles omnes ab initio mundi per vnicum mediatorem Christum saluari debuerunt: quare nec nos præstantius quiddam aut melius habere possumus quàm Christum: pleniùs verò longè ac perfectius possumus eum habere quàm veteres. Non igitur dicit liber, quemadmodum ei falsò aduersarij adscribunt, quod veteres in Manna suo tantundem acceperint, quantum nos in Sacrosancto Sacramento corporis & sanguinis Domini. Et tamen verum est, omnes verè credentes eundem Christum tunc temporis percepisse, quẽ nos in nostro Sacramento percipimus; per eumque non minùs quàm nos vitam æternam assecutos esse. Cæteri verò nudum Manna manducarunt, & mortui sunt. Huic neque D. Ambrosius nec Abbas Tuicensis aduersatur. Hactenus ad Reprehensionem Articuli de discrimine veteris ac noui Testamenti satis responsum esto.

Accusatio Sexta.

De Timore Seruili.

Cap. VII.

SExta reprehensio Libri Reformationis est de timore seruili, hoc est metu pœnæ ac vltionis Diuinæ. Dicunt Aduersarij librum negare, quod eiusmodi timor bonus sit, & vtilis ad pietatem: nec etiam concedere, quòd per hoc dictum, Pœnitentiam agite, intelligendus sit.

Responsio.

HOc loco rursus iniuriam faciunt libro. Nam in superiori proximo Articulo, sicut & in aliis compluribus locis, docet. Concionatores debere

debere seuera iudicia & pœnas Dei, quarum scriptura meminit, hominibus summa religione proponere. Testatur quoque, quod etsi ad nouũ Testamentum, nouúmque populum dilectio & libertas Spiritus Sancti propriè pertineat, quemadmodum ad antiquum timor ac seruilis spiritus, nihilominus tamen apud Christianos quoque timorem ac seruitutem Spiritus inueniri, quamuis dilectio & libertas spiritus præcellere debeant. Sic quando Liber dictum Pauli, Lex iram operatur, tractat, manifestè docet, Concionatores debere ex lege ingentem iram Dei, & horrendas pœnas, quas peccatis minatur, diligenter hominibus proponere, eóque terrore intolerabilis iudicij & grauissimarum pœnarum Dei, à peccatis absterrere, & ad pœnitentiam impellere. Sic in aliis quoque locis docet. In quo contrarium omnino & diuersum ab eo docetur, quod Aduersarij præter omnem veritatem Libro Reformationis adscribunt. Seruilem enim timorem, hoc est, metum pœnarum, ad pœnitentiam requirit, atque idcirco bonum, & suo modo ad pietatem conducentem agnoscit. Quod verò propterea salutaris pœnitentia non filialem quoque timorem requirat, hoc est, metum ac solicitudinem, ne quo modo offendatur Dominus, aut quicquam contra eius voluntatem admittatur, qui metus ex vero filiali amore existit, ne ipsi quidem Aduersarij dicent. Etenim vera peccatorum pœnitentia, verè fidelem quoque reuersionem ad Deum postulat: quæ sine horrore, pudore, & anxietate de peccatis fieri non potest, quòd homo Deum charissimum Patrem ac Seruatorem suum contempsit atque deseruit: qui timor filialis dicitur.

Accusatio Septima.

De prædicatione Pœnitentiæ.

Cap. VIII.

ADVERSARII tria reprehendunt in hoc articulo, Primum est, Librum Reformationis nullum statuere discrimen inter Prædicationem pœnitentię, quæ fieri debet iis qui iam primùm ex impietate ad Christianismum vocantur, & illam quæ fit Christianis, quando post baptismum aut iustificationem acceptam denuò lapsi sunt in peccatum. Alterum, quod eam tantum pœnitentiæ Prædicationem doceat, quæ fieri debet infidelibus: eam verò quæ ad fideles quoque fieri debet, tacitè prætermittat. Tertium, quòd nullam doceat Satisfactionem, quæ tamen ad Pœnitentiam fidelium requiratur.

Responsio.

CHristus Dominus det, vt de vera Pœnitentia omni ex parte seriò quæramus, & nulla erit de hoc Articulo controuersia.

Prima pars huius Reprehensionis.

Quotuplex sit Pœnitentia.

CAPVT IX.

PRIMVM dicunt Aduersarij Librum Reformationis nihil discriminis ponere, inter initialem Pœnitentiam, perquam primò peruenitur ad Christum, & eam quæ competit Christianis si post acceptam gratiam Christi, denuò lapsi sunt in peccatum.

Responsio.

HOc loco rursus manifestam iniuriam faciunt libro Reformationis. Nam in Articulo de Conuersione à peccatis, vera pœnitentia, & Christiana Excommunicatione, diserte docet liber de pœnitentia eorũ, qui post acceptam Christi gratiam denuò lapsi sunt in peccatum. Et in titulo de prędicatione pœnitentiæ in genere, docet de vero dolore ac pœnitentia peccatorum, quæ Christianis necessaria est in principio fidei suæ, & quandiu in hoc mundo viuunt, ac necesse habent orare, Pater noster qui es in cœlis, Remitte nobis debita nostra. Estque reuera vna tantum Euangelica prędicatio pœnitentię peccatorum, ante & post baptismũ, quamuis opera & exercitia pœnitentię distincta esse debeant, prout homo in grauia peccata post acceptam Christi gratiã relapsus est.

Verè enim Euangelica Pœnitentia peccatorum, est serius ac vehemens animi dolor de omnibus peccatis & transgressionibus diuinorum mandatorum omnibúsque quę Deo in nobis displicent, cum ardenti desiderio ac petitione gratiæ Dei per Christum Dominum, & interno proposito emendationis. Qui dolor & acerbitas prouenit ex metu ac terrore iudicij diuini, & vehementi desiderio misericordiæ Dei, quibus coniuncta sit fides, & seria precatio ad Deum pro remissione peccatorum, firmumque propositum ac zelus sibi posthac à peccatis summa diligentia cauendi: veterem Adamum mortificandi & exuendi, denique in omnibus præceptis Dei seipsum exercendi, ac Christum Dominum magis magisque induendi.

Quis iam dicat, hanc pœnitentiam, hunc dolorem de peccatis, coniunctum cum fide & oratione pro remissione peccatorum, serióque proposito ac firma voluntate emendandi, non debere perpetuò inter Christianos vigere, tam in principio conuersionis eorum ad Deũ, quàm toto tẽpore quo in hoc mundo versantur? Quandoquidem nunquam nõ in peccata labuntur, & habent peccatum adhuc in ipsis inhabitãs, quod eos perpetuò à bono ad malum abstrahit. At verò si quando Christiani labuntur, & grauioribus se peccatis contaminant, debet & dolor de eiusmodi lapsu ac peccatis, tantò vehementior esse, & oratio pro remissione ardentior: studium quoque prauas cupiditates, & irritamenta ad peccandum extirpandi, veterem Adamum crucifigendi, seq;

in

in omnibus veris pœnitentiæ fructibus exercendi, alacrius ac magis strenuum.

Aduersarij ad ostendendum discrimen eius pœnitentiæ, quam habere oportet, ante acceptam gratiam, & alterius quam post acceptam gratiam, sententiam quandam ex Ambrosio adducunt; in epist. Rom. cap. 11. qui dicit gratiam Dei in baptismate non quærere gemitum aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex animo professionem. Quam verò deceret, vt omnes qui volunt esse doctores Ecclesiæ Christi, ante omnia sacras Scripturas producerent & intuerentur?

Si enim id fieret, dubium non est, aduersarios cum D. Ambrosio in hac expositione verborum Pauli nullo modo consensuros. Si enim hæc Ambrosij verba simpliciter intueri, & quemadmodum sonant, intelligere velimus, scripturis ex diametro repugnant, Gratia enim Baptismi, ab his, qui adulti eum perceperunt, veram requirit peccatorum præteritorum, ac vitæ malè transactæ pœnitentiam, quæ sine gemitu & planctu esse non potest. Lucas Act. 2. scribit de iis, quos Petrus statim post missionem Spiritus S. ad Christum conuertit, quod audito sermone Petri, compuncti fuerint corde, adeò vt Petro, & reliquis Apostolis dicerent, *quid faciemus viri fratres?* Sic quando Petrus illis respondit, μετανοήσατε, hoc est, pœnitentiam agite prioris vitæ vestræ, eiusmodi procul dubio dolorem de peccatis suis ab eis requisiuit qui nec ipse sine gemitu ac planctu esse potuit.

Sic & Marcus Euangelista scribit de his, qui à Ioanne baptizabantur, quòd peccata sua confessi fuerint: quòd certè sine gemitu ac planctu nō fecerunt: quemadmodum omnes quoque, qui vnquam diabolo & operibus eius apud Baptismum ex animo renunciarunt. De quo in libro de vtilitate pœnitentiæ adscripto Augustino sic legitur: Nam neque ad baptismum Christi in quo omnia peccata delentur, quisquam benè accedit, nisi agendo pœnitentiam de vita priſtina, Nemo enim eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet.

Meritò igitur Aduersarij huic dicto Ambrosij supersedissent, ídque hoc loco non adduxissent.

Hoc quidem verum est, cùm vetus disciplina pœnitentialis de qua Cyprianum allegant, adhuc versaretur in vsu (quæ verò proh dolor iamdudum collapsa est, etiā in aduersariorum administratione) requirebatur ab his, qui post baptismum fuerant in grauia peccata prolapsi, diuturnior ac magis serius gemitus & planctus de peccatis, vnà cum aliis fructibus & operibus pœnitentiæ, antequàm tales rursus absoluerentur, & ad communionem Christi admitterentur, quàm requirebatur ab his, qui se primùm Christo in sacro baptismate tradebant. Nihilominus tamen Ecclesia Christi semper ab omnibus his, qui in ætate adulta baptismum perceperunt, veram pœnitentiam de peccatis, atque ideircò talem diaboli ac mundi renunciationem requisiuit, quæ sine gemitu ac planctu de peccatis esse non potuit.

Secunda Pars.

Quænam sit vera prædicatio Pœnitentiæ?

Cap. X.

ALterum, quod Aduersarij in libro Reformationis reprehendunt, est librum Reformationis de ea tantum prædicatione Pœnitentiæ docere, quæ primæ ad Christum conuersioni propria sit: omittere verò eam, quæ ad eos peculiariter pertinet, qui post primam conuersionem denuò sunt in peccatum prolapsi. Quam scribunt resuscitari & restaurari debere commemoratione & exercitatione spiritualis legis vitæ in Christo Iesu, quæ nobis in Baptismo implantata sit, non ministerio legis Mosaicæ. Scripturam item sacram Christianis non Mosen proponere ob oculos, verum potius voce illauti, *memento vnde excideris, & age pœnitentiam, &c.* Apoc. 2. Item, *ô insensati Galatæ, quis vos fascinauit, vt non obediretis veritati? Ante quorum oculos Christus Iesus præscriptus est, & in vobis crucifixus*, Gal. 3. *& quantò maiora merentur supplicia, qui Filium Dei conculcant*, &c. Heb. 10.

Responsio.

IAm qui inter librum Reformationis & Accusatores eius iudicare volet, is legat, quid de prædicatione Pœnitentiæ doceat, & per quid excitari peccatorum pœnitentiam velit. Præcipuum argumentum homines ad pœnitentiam promouendi, docet desumere ex acerbissima morte & passione Domini nostri Iesu Christi, in qua perspicuum est videre, quàm abominanda res sit peccatum in conspectu Dei, quantóque pretio nos ab eo liberati ac redempti simus, videlicet morte ac passione vnigeniti Filij Dei: cuiusmodi item vitam qualia opera à nobis Dominus requirat. Nunquid hoc est docere pœnitentiam Christianis propriam ac peculiarem? Legatur iste articulus libri, & erit abundè, vt magnam istorum hominum propensionem ac procliuitatem, claram Christi doctrinam nullo prætextu, nullâque probabilitatis specie oppugnandi, miremur. Totus enim iste articulus nihil tanoperè vrgendum docet, vt homines ad pœnitentiam inuitentur, quã lud ipsum quod aduersarij commemorant: adeò vt etiam eundem lom ex 10. cap. Heb. adducat, qui ab ipsis citatus est. Sed quoniam Clentiss. Dominus noster hæc tradit, non autem ipsi, mala & impia sint rtet.

mque omnia quæ in lege Mosaica scripta sunt, ad nostram doctri- scripta sint, sitque non Mosis sed Dei lex quam Christus Dominus & Apostoli quoque fidelibus proponunt, quare non debeat liber Christianis hanc legem Dei proponere & inculcare, vt eos hoc pacto ad pœnitentiam peccatorum exsuscitet? Quod si cognitio legis ad veram peccatorum pœnitentiam etiam in Christianis excitandam, non valet, quare tanta adhibetur diligentia, vt tam iuniores

quàm

quàm adultiores decem præcepta discant,&proprium ac genuinum eorum intellectum sibi confirment? Quare etiam homines ex eis edocti fuerunt confiteri?

Moses quidem nihil ad Christianos pertinet, neq; illis cum coactione & condemnatione legis proponi debet, posteaquam Christus Dominus liberum ac spontaneum spiritum ad bonum illis impertiit, & condemnationem legis amouit. Sic etiam liberi sunt à lege Mosaica, quantum ad ceremonias & externas ordinationes veteris tabernaculi ac politiæ attinet. Cæterum quòd de lege Mosaica in duobus mandatis de diligendo Deo & proximo comprehensum est, id diligenter omnes Christiani intueri debent, ex eoque quotidie peccata sua magis discere confiteri, séque ad pœnitentiam excitare, quam ex agnitione peccatorum, & seueri iudicij diuini contra peccata, quæ vtraque lex docet, existere oportet. Ad hanc rem Dominus ipse & Apostoli eius legem vsurparunt. Expendatur quomodo Dominus etiam fidelibus suis legem explicauerit Matth. 5. Item quod D. Apostolus de lege scribit. Rom. 7. Corinth. 10. & multis aliis locis.

Aduersarij dicunt, pœnitentiæ prædicationem quæ fidelibus impenditur, fieri debere commemoratione & excitatione spiritualis legis, vitæ in Christo, hoc est spiritus Christi, per quem in fide ab omnibus peccatis abhorremus, cupimúsque vitam nostram ad omne placitum Dei comparare. Cæterum quo alio modo excitandus erit ille Spiritus in Christianis, nisi commemoratione acerbissimæ mortis ac passionis Christi, ac declaratione legis diuinæ, quemadmodum Liber Reformationis docet.

Postremò docent Aduersarij in hac accusatione, Homines ad pœnitentiam excitari & renouari debere vocibus quas introduxerunt, de reuertendo ad Deum, non autem nuda lege Mosaica. At vbi docet Liber, Salam & nudã legem Mosaicam ad id adhibendam esse? Sed hoc potius docet, totum Euangelium ac commemorationem passionis Christi ad id præcipuè vsurpandam esse. At quis hic morbus est accusandi & reprehendendi, in quo nihil vituperari vitióque verti potest?

Tertia Pars.

De Satisfactione pro peccatis.

Caput XI.

TERTIÒ reprehendunt Librum, quòd non meminerit Satisfactionis, quæ tamen ad Pœnitentiam Christianorum requiratur.

Responsio.

HOc loco rursus manifestam iniuriam faciunt Libro, magisque seipsos quàm Librum damnant. Nam in Articulo de Conuersione à peccatis, ac vera pœnitentia, &c. Satis ac solidè docetur de vera

satisfactione, quæ Christanorum propria est, nempe per quam veram peccatorum suorum pœnitentiam Ecclesiæ demonstrare, & de ea illi satisfacere debent, quemadmodum id D. Augustinus declarat in Enchiridio cap. LXV. Quæ satisfactio præcipuè consistit in vera & efficaci emendatione vitæ.

De constituta strenua pœnitentia & satisfactione, cuius Cyprianus & Augustinus, hoc loco à Patribus citati, meminerunt quâ (vt Augustinus rectè interpretatur) satisfiebat Ecclesiæ de latente corde pœnitentium, nihil in Administratione sua demonstrare poterunt Aduersarij, exceptis quibusdam Pater noster, Rosariis coram imaginibus, vel aliis precibus, redemptionem missarum, Peregrinationibus, & aliis similibus, quæ longo iam tempore in Aduersariorum administratione pœnitentiæ loco hominibus iniungi consueuerunt, & quæ non ante, sed post factam absolutionem imponuntur, nihilque minus sunt quàm Satisfactio illa, de qua sancti Patres loquūntur, quos Aduersarij hoc loco adducunt. Antiqua enim Pœnitentialis disciplina, hoc modo obseruabatur.

Si quis in eorum peccatorum aliquod prolapsus fuisset, de quibus scriptura pronunciat, Qui talia faciunt, regnum Dei hæreditare non possunt: atque eiusmodi peccatum Ecclesiæ indicabatur, vel ille ipse qui id admiserat, confitebatur, tunc tali certum tempus ab Ecclesiæ ministris præfiniebatur, quo se in Pœnitentia continere, suáque peccata publicè confiteri ac lugere debebat, verúmque de eis dolorem demonstrare, non tantum ab omnibus peccatis & vita carnali abstinendo, verùm etiam magis seria deploratione peccatorum suorum, assiduis ieiuniis, continuis precibus, ac largis eleemosynis. Istiusmodi veræ pœnitentiæ de peccatis declaratione, & firmo emendationis proposito, talis Ecclesiæ satisfaciebat, & semetipsum reconciliabat, & in obedientiam Dei rursus statuebat. Qua propter debebant eiusmodi pœnitentes toto tempore pœnitentiæ suæ in separato loco templi consistere, dum predicatio verbi Dei fiebat, & preces fundebantur. Quamprimùm verò Sacramenta tractanda & administranda erant, cogebantur ab Ecclesia secedere, quod illis semper per diaconum præcipiebatur. Et quando tales pœnitētiam suam Ecclesiæ satis demonstrauerant, adeò vt sufficientem peccatorum suorum & confessionem & pœnitentiam feciſſe iudicarentur, tunc primum remissio peccatorum & reconciliatio cū Domino & Ecclesia per impositionē manuum factam ab Episcopo & vniuerso Clero, illis cōmunicabatur. De antiqua hac traditione legatur tertia & octaua primi & 14. & 16. Epistolæ libri tertij Epistolarum Cypriani. Item in Sermone de Lapsis. Item in Epistola Clerici Romani ad Cyprianum, quæ est VII. libri II. Item apud Augustinum in Enchiridio cap. LXV. In Ambrosio, libro de Pœnitentia, & aliis compluribus locis. Et hanc institutionem siue ordinationem testatur Clericus Romanus fuisse apud ipsos obseruatam.

Hæc est Satisfactio illa, de qua Sancti Patres scribunt, & quam Aduersarij hoc loco adducunt: ad quid de ea in tota Aduersariorum administratione

miniſtratione reperitur? Quot paſtores habent, qui vel vnum aliquod verbum de hac antiqua obſeruatione nouerint? Qua igitur frõte audẽt librum Reformationis propter eam reprehendere? Cùm tamen ſubſtantiales huius ordinationis & obſeruationis partes non omiſerit, ſed docuerit, quæ tamen apud ipſos parum vrgentur & expenduntur. Cuiuſmodi ſunt: ſe totum à vitiis auertere: abſolutionem ardentibus votis expetere: omnia ſcandala prius auferre, & ſeriã peccatorum pœnitentiam reipſa demonſtrare: omnes occaſiones peccandi fugere: tempora & loca peccatis accommoda vitare: contra peccatorum irritamenta fortiter dimicare, opémque & auxilium Dei implorare. Hæc omnia clarè ac ſeriò propoſuit Liber, & vult Abſolutionem differri, vbi quis pœnitentiam ſuam ſcandala omnia remouendo, & deinceps in obedientiam & timorem Dei ſemetipſum tradendo, Eccleſiæ cum firmo propoſito, tum ſeria emendationis pollicitatione non demonſtrat, tamdiu donec talis Eccleſiæ in hoc caſu ſatisfaciat.

De ſatisfactione citant Aduerſarij & Paulum 2. Cor. 7. vbi tamen vocabulum Satisfactionis non habetur, ſed ſic legitur. Ecce enim iſtuc ipſum, quod ſecundum Deum contriſtati fuiſtis, quantam in nobis genuit ſollicitudinem, & defenſionem (ἀπολογίαν) imò indignationem, imò timorem, imò deſiderium, imò æmulationem, imò vindictam? Corinthij impunem quendam inter ſe reliquerant, qui nouercam ſuam pro vxore habebat: propter quod Paulus acriter eos reprehendit, ac ſummoperè contriſtauit, & ſollicitos reddidit, 1. Cor. 5. Hoc autem veram de tali eorum peccato & negligentia pœnitentiam apud eos excitauit, fecitque, vt ſe erga D. Paulum reipſa excuſarent, & defenderent, atque ad omne placitum eius ſeſe compararent, per Chriſtianam indignationem, æmulationem & vindictam aduerſus eum, qui grauiſſimum hoc ſcelus admiſerat: per ardens deſiderium aduerſus Paulum, & timorem quem in excommunicatione iſtius peccatoris declarauerant, ἀπολογίαν dicit Paulus, quam vocem vetus tranſlatio Defenſionem, Ambroſius excuſationem vertit, & propriè excuſationem ſeu defenſionem ſignificat.

Eraſmus tranſtulit quidem Satisfactionem, verum non eo ſenſu, quo Aduerſarij hoc vocabulum accipiunt, ſed pro purgatione, ſicut hoc nomine vtuntur Latinè loquentes. Corinthij enim de communicatione turpiſſimi iſtius facinoris, quod admiſerat is qui nouercam ſuam pro vxore ad ſe acceperat, reipſa ſe excuſarunt, purgarunt & defenderunt, in eo quod ſe aduerſus iſtum peccatorem adeò ſtrenuos ac ſeueros in ſumenda pœna, timore verò ac deſiderio erga Paulum ſummo ſtudio ac zelo feruentes demonſtrabant.

In hac ſententia S. quoque Patres has voces vſurparunt, & præſertim Cyprianus, cùm dicit, ſatisfaciendum eſſe Deo fletibus & lamentationibus, ieiuniis & eleemoſynis. In qua locutione neque D. Cyprianus neque alij Patres hoc intellexerunt, quod homines eiuſmodi vel aliis ſuis operibus de peccatis ſuis Deo ſatisfaciãt, quandoquidẽ omnes fatẽtur hominẽ nullo tẽpore ſatisfacere legi diuinæ, deberéque omnem

spem salutis suæ semper in merito Christi collocare.

Sed intelligunt per (Satisfacere Deo) semetipsum rursus Deo in gratiam eius, voluntatem & obedientiam sistere ac tradere. Vnde D. Cyprianus dicit, Satisfacere Deo precibus & operibus ad misericordiam.

Antiqui Patres Latina lingua propriè vsi sunt, in qua Satisfacere alicui, idem est quod se alicui purgare, & rursus approbare. Hoc fit à nobis erga Deum quando de peccatis nostris seriò & ex animo dolemus, eáque confitemur, & id non verbis tantùm, sed seriis quoque lamentationibus, ieiuniis, aliisque humiliationibus & castigationibus carnis: atque hoc modo nos ex animo rursus ad Dominum conuertimus, gratiam eius ardentibus votis precamur, idque diligenti exercitio omnium piorum operum, præcipuè verò eleemosynarum, & propensæ in pauperes beneficentiæ ac liberalitatis. Sic enim faciunt omnes pij filij & subditi erga parentes ac magistratus suos, si quando eos grauiter offenderunt, gratiámque & fauorem eorũ recuperare desiderant. Fatentur offensas suas, idque summo cum dolore, gemitu & plãctu, singularique sui ipsorum humiliatione, adeò vt seipsos abstineant ab omni recreatione & gaudio, idque tam in vestimentis quàm omnibus gestibus, & tota conuersatione, sedulò & per seipsos, & per alios instant precando veniam & reconciliationem, studeant quiduis & facere & pati, quo se parentibus aut superioribus suis offensis gratificaturos, gratiámque & beneuolentiámque eorum recuperaturos sperant. Hoc in lingua Latina propriè dicitur Satisfacere, & se rursus iis quos offendit approbare, & exhibere ad omne obsequium.

Hoc sanè Aduersarij ipsi fatentur, quòd omnia opera pœnitentię solummodo per meritum Christi & fidem Deo grata & accepta esse possint. Quamobrem quod Daniel Nabuchodonosorem iubet peccata sua bonis operibus redimere, & delicta sua benefaciendo pauperibus purgare. Item quod Iesus Syrach scribit, *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum*: & aliæ id genus sententiæ omnes de iis tantum bonis operibus intelligendæ sunt, quæ ex fide Christi proponuntur, & perficiuntur, ad misericordiam Dei exorandam, non autem promerendam. Quibus operibus etiam Deus hanc gratiam largitur, vt pœnam peccatorum vel minuat vel penitus amoueat, si id per talia opem per dilectum filium suum ab eo petatur & oretur. Non quòd hæc opera tantæ apud eum dignitatis sint, & valoris, sed quod clementissimus Deus ex mera bonitate & misericordia sua, & propter dilectum filium suum, vult omnibus iis, qui vera peccatorum pœnitentia se ad ipsum conuertunt, & gratiam eius per Christum huiusmodi sui ipsorum humiliatione ac studio semper faciendi quod illi placeat petunt, tam clementem ac misericordem se exhibere, vt meritus pœnas vel minuere, vel penitus remittere, atque hoc modo flammam iræ suæ in puniendo ipso extinguere, denique cum gratia ac benedictione seipsum ad tales conuertere velit. Hæc mera est gratia Dei, nullis operibus aut meritis nostris debita, quam tantummodo propter seipsum, & propter meritum dilecti filij nobis peccatoribus præstat & exhibet.

Sic

Sic enim ipse testatur Es. 44. *Ego ego ille ipse sum, qui delet transgressiones tuas, idque propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc mihi in memoriam, iudicabimur simul, narrato tu id, cuius causa absolutionem speres. Pater tuus iste primus peccauit, & interpretes tui perfidè egerunt contra me,* &c. Et D. Ioannes scribit, *si quis peccauit, aduocatum habemus ad Patrem Iesum Christum, & ipse propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Ioan. 2.

Ex hoc dicto Esaiæ clarũ ac perspicuũ est Deũ ipsum, & propter se, nõ propter vlla merita aut iustitiam nostrã, peccata nobis condonare, non minus ea in quæ post Baptismum denuò lapsi sumus, quàm quæ antè admisimus. Hæc enim sententia Esaiæ primum omnium ad eos prolata est, qui iam erant populus Dei, & post acceptam gratiam & adoptionem Dei rursus à Deo defecerant, & in grauia peccata prolapsi erant. Estque diligenter notandum, quòd Deus in hoc dicto peccata à primo vsque parente nobis obiicit, quódque coram ipso de nullo bono opere, nulla iustitia nostra gloriari possimus.

Sic habemus & in altero dicto de peccatis post Baptismum admissis, quod Christus verus aduocatus remissionem peccatorum nobis impetret, sitque propiciatio ac satisfactio pro eis.

Cæterùm iis tantummodo vult Deus propter se, & propter dilectum filium suum ignoscere, quos peccatorum pœnitet, & qui solida fide remissionem eorum petunt. Quæ fides ac desiderium gratię diuinæ omnes veros pœnitentiæ fructus & opera profert, vt seriam confessionem ac deplorationem peccatorum, quæ fiat non verbis tantum, sed etiam humilitatione totius vitæ, crucifixione omnium prauarum cupiditatum & affectuum, ardentíque studio sese omnibus bonis operibus Deo approbandi, præcipuè verò eleemosynis, atque omnimoda in pauperes beneficentia ac liberalitate. Sicubi vera ac fidelis est pœnitentia de peccatis, & seria gratiæ Dei remissionísque peccatorum petitio, ibi semper veri quoque existunt veræ pœnitentiæ fructus & opera.

Quo verò ad eiusmodi fidem, & bona opera verę pœnitentiæ nos Dominus inuitet, promittit (sed ex mera bonitate ac misericordia sua, & tantummodo propter se ipsum, & per meritum dilecti filij sui) omnibus hominibus, qui talibus operibus, hoc est vera fide, ac pœnitentia de peccatis suis, seriísque & assiduis precibus in nomine dilecti filij eius: vero etiam studio in omnibus rebus Domino seruiendi, & placendi gratiam eius quærunt, quod gratiam ac benedictionem suam, plenámque misericordiam abundè sint inuenturi, atque hoc modo peccata & transgressiones suas, hoc est, pœnas, quas peccatis & transgressionibus suis promeriti fuerant, per eiusmodi opera redempturi, & extincturi. Hoc est, quod ipse tunc furorem suum contra tales extinguere, meritúmque supplicium clementer fuerant, per eiusmodi opera redempturi, & extincturi. Hoc est, quòd ipse tunc furorem suum contra tales extinguere, meritúmque supplicium clementer remittere velit. Ipse inquam, ipse solus idque mera bonitate ac clementia sua, & propter propiciationem, quæ Christus ipse nobis factus est, quámque impetrauit à Patre.

In his dictis enim per peccata intelliguntur pœnæ peccatis debitæ. Nemo enim vel vnum bonum ac Deo acceptum opus facere potest, nisi iam ante tantam habuerit remissionem peccatorum suorum, sitque in gratiam Dei acceptus, vt spiritum Dei ac veram fidem habeat, ex qua peccata sua deploret ac lugeat.

Hæc est veritas scripturæ de remissione peccatorum, ac veris pœnitentiæ operibus, cui ipsi quoque Aduersarij consentiunt, quatenus ad mediocritatem in quibusdam verbis fatentur. Aliquibus tamen verbis vtuntur, quæ nonnulla declaratione opus habent, ad id cum hac veritate omnino consentiant. Vt cùm scribunt, Quod vnica & sola peccatorum in infidelitate admissorum satisfactio, sit amara illa mors Iesu Christi nostri Saluatoris. Si enim de ea satisfactione loqui velimus, quæ iudicio diuino satisfacit pro peccatis, irámque Dei propria virtute sedat, sola certè & vnica mors Christi satisfactio est pro omnibus peccatis, tam iis quæ post acceptam gratiam & adoptionem Dei commissa sunt, quàm quæ antè. Estque omnibus filiis Dei necessarium, vt veram omnium peccatorum suorum pœnitentiam agant, tam eorum quæ in infidelitate commiserunt, antequàm gratiam Dei rectè cognouerunt & acceperunt, quã in quæ post agnitam & acceptam gratiam denuò prolapsi sunt. Hoc autem solummodo interest, quod quanto peccata & transgressiones, quas Christiani post agnitam & acceptam gratiam admittunt, grauiores sunt iis, quas antè in infidelitate commiserunt, tantò magis seriam peccatorum deplorationem, gemitum ac planctum requirit vera & fidelis pœnitentia, Ecclesia quoque maiorem religionem, maiúsque studium ab eiusmodi pœnitente requirit. Huc tendunt omnes S. Patrum sermones, quos ea de re conscripserunt, nempe quòd post Baptismum grauior peccatorum pœnitentia, magísque seria requiratur, quam antè.

Indiget & hoc quoque bona explicatione, quod Aduersarij ex Cypriano & aliis Patribus adducunt, *Quod quemadmodum semel in Baptismo remissio peccatorum datur assidua & iugis operatio Baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largiatur*: ex eóque inferunt, Baptismi purificationem operibus pœnitentię recuperari & restaurari. Item, *quod Pœnitentia secunda post naufragium tabula sit, qua ex perditione ad salutarem gratiæ portum enatare possimus.* Hęc verba bona indigent declaratione.

D. Cyprianus eo in loco, quemadmodum Aduersarij citant, in sermone de Eleemosyna hortatur ad eleemosynam. Meritò igitur adducit & amplificat omnes eas promissiones, quos Deus huic bono operi, beneficentię ac liberalitatis in egenos in scriptura sua fecit: præcipuè verò quod hoc opus misericordię conducat ad misericordiam Dei exorandam & impetrandam, si quando peccatis & transgressionibus nostris iram Dei in nos concitauimns. Sicut Dominus ipse dicit, Beati misericordes, nam & hi misericordiam consequentur. Et quoniam Deus istis operibus gratiam suam, ac debitorum suppliciorum remissionem promisit, hinc est quod D. Cyprianus & alij Patres ea quantum ad hoc attinet, S.

net, S. Baptismati conferunt, quod per talia opera veniam peccatorum exoremus & consequamur.

Interim verò discrimen Baptismatis & Pœnitentiæ siue conuersionis ad Deum agnoscendum & considerandum est, nempe, quod in S. Baptismo non solùm præteritorum peccatorum ablutionem, verumetiam gratiam & adoptionem Dei, communionémque Christi percipiamus, vt hunc Christum Dominum nostrum habeamus aduocatum & propiciationem pro peccatis apud Patrem, quandiu in hoc mundo versamur: qui etiam veram in nobis pœnitentiam satisfactionem & satisfactionis opera producit, opera verò diaboli destruit: cuius sanguis solum nos mundat ab omnibus peccatis: qui etiamsi peccata nostra confiteamur, adeò fidelis & iustus est, vt ea nobis, nósque mundet ab omni iniquitate, 1. Ioan. 1.

Hoc verò vt antea dictum est, hoc modo in nobis perficit, quod per spiritum suum & fidem, veram in nobis operatur & excitat pœnitentiam peccatorum, seriámque reuersionem ad Deum cum ardenti studio omnium bonorum operum. Quamobrem Pœnitentia, satisfactio & Reuersio ad Deum in eo, S. Baptismati non est dissimilis, quod per eam gratiam Dei, communicationem Christi & mundationem à peccatis per sanguinem Christi in S. Baptismate acceptam, recuperamus & restauramus: quæ satisfactio deinceps peccata extinguit, & remissionem pœnarum assequitur.

Maximum tamen adhuc discrimen est inter Baptismum, vt Sacramentum regenerationis, in quo Christo Domino incorporamur, & cum eo vestimur, ipsúmque propiciatorem, & vnicum Mediatorem inter Deum & hominem nanciscimur, & inter Pœnitentiam, atque opera satisfactionis, per quæ gratiam & dona in S. Baptismate accepta recuperamus, iisque rursum fruimur, atque hoc modo ex perditione peccatorum rursus enatamus. Quod nullo pacto facere possumus tabula nostrorum meritorum & operum, sed tabula, imò arca & naui salutis nostræ, cruce Christi, quamuis per veram pœnitentiam de peccatis, & conuersionem ad Deum, in hanc nauem salutis denuò recipiamur. Doctores Christianæ religionis debent esse ministri Christi, non sua, aut vllorum hominum, sed Domini verba loqui, quæ lucida sunt, & sapientia præstant paruulis, Psal. 19. Quòd si Aduersarij obseruarent, non sanè tanta verborum copia, & tot expositionibus indigeremus. S. Patres in adhortationibus (ad amplificandas res ad quas hortabantur) sæpenumerò hyperbolicis locutionibus vsi sunt, & res verbis altius extulerunt, quàm per se ex tollendę erant, si simpliciter docendum fuisset. Eiusmodi enim hyperbolę aptiores sunt ad exhortandum, quàm ad docendum. Iam verò Aduersarij tales hyperbolas, vt simplices ac moderatas locutiones adducunt, oculisque hominum tenebras offundunt, vt lucem diuinarum scripturarum non amplius clarè possint inspicere. Necesse igitur est, vt quanto tales Patrum sententias citant, Christiani quàmprimum

considerent ac videant, verum Spiritus sanctus quoque in sua scriptura hoc modo loquatur. Quod vbi non inuenerint, non debent eiusmodi locutionibus, vt ab hominibus tantùm profectis perturbari aut pusillanimos reddi.

Postremò quod Aduersarij Augustinum citant in Enchiridio à capite LXV. vsque ad LXXXIII. optandum esset, vt in ea Augustini doctrina seipsis continerent, qui eo in loco de operibus Pœnitentiæ, vt precatione, remittendo iis à quibus sumus offensi, & eleemosyna, nihil aliud dicit, quàm quod per eiusmodi opera pœnitentialia gratiam Dei, & remissionem debitarum pœnarum exorare debeamus & possimus, sed per meritum Christi, quoties ex animo nos ad Dominum conuertimus in vera pœnitentia & fide. Nam D. Augustinus singulari diligentia gratiam Dei ac meritum Christi summoperè extollit & celebrat, & quicquid beneficij ad opera nostra Deus in nos confert, vel debitum peccatis supplicium remittit, id totum meram gratiam, ac donum diuinę misericordiæ agnoscit: cùm omnia nostra opera, magis Dei opera sint in nobis, quàm propria, atque idcirco ex nostra parte semper imperfecta, vt legi diuinę satisfacere non possint. Ideo de hac re sic scribit, libro quarto, de meritis & remissis peccat. cap. XXVIII. *Vniuersa Ecclesia tenet, quæ aduersus omnes prophanas nouitates vigilare debet, Omnem hominem separari quenquam, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo: nec separari quenquam, nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione, per vnam gratiam misericordissimi Saluatoris, per vnam victimam verissimi sacerdotis.* Et ad Sixtum presbyterum: *Sicut enim ab initio fidei misericordiam assecuti sumus, non quia fideles eramus, sed vt essemus. Sic in fine, quod erit in vita æterna, coronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione & misericordia. Non itaque frustra Deo cantatur, Et misericordia eius præueniet me. Et misericordia eius subsequitur.*

Octaua accusatio.

De iustificatione hominis.

Cap. XII.

SI Dominus daret, vt de vera Iustificatione omni ex parte ex animo & serio quæreretur, non autem contentiones & rixę, fieri facilè posset, vt communis in hoc articulo statueretur in Domino consensus.

Aduersarij scribunt, Sacram scripturam docere de triplici hominis iustificatione, Librum verò Reformationis tantum de vnica. Item eandem scripturam docere, quòd summa Iustificatio quatuor essentiales partes in se includat, cùm liber velit eam duas tantùm continere. Tertiò S. scripturam docere Iustificationem operum, quam liber tacitè prætermittat. Quartò Scripturam requirere, vt iuxta fiduciam habendam in iustitia Christi, populus proximè doceatur etiam certitudinem

bonę

bonę conſcientiæ cui contradicat Liber.

Reſponſio ad primum caput huius accuſationis.

Quid & quotuplex ſit Iuſtificatio.

Cap. XIII.

VOCABVLVM Iuſtificari & Iuſtificatio variè in ſcripturis vſurpatur. Aliquando enim ſignificat iuſtum pronunciare, & abſoluere in iudicio, vt *Iudicate pauperi & pupillo, & iuſtificate*, hoc eſt, iudicium facite & pronunciate, afflicto & egeno, Pſal. LXXXII. Hoc ſenſu & intellectu iſtius vocabuli dixerunt Apoſtoli, *Nos iuſtificari à peccatis*, hoc eſt, abſolui, & in gratiam recipi per Chriſtum Dominum ſi verè credamus in eum. Vt Act. 7. Notum igitur ſit vobis vniuerſis, quod per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus (intelligit tranſgreſſionibus ac meritis ſuppliciis) à quibus non potuiſtis per legem Moſis iuſtificari (hoc eſt abſolui, mundari & liberari) *per hunc omnis qui credit iuſtificatur*. Item Roman. 3. *Omnes enim peccauerunt, ac deſtituuntur gloria Dei: iuſtificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu*, &c. hoc eſt conſequuntur remiſſionem peccatorum, & rurſus in gratiam Dei recipiuntur, donantúrque gloria Dei. Item: *Sicut per vnius delictum, propagatum eſt malum in omnes homines ad condemnationem: ita & per vnius iuſtificationem propagatur bonum in omnes homines ad iuſtificationem vitæ*. Rom. 5. Quod iam iuſtificatio vitæ per Chriſti iuſtitiam acquiſiuit, & quæ condemnationi peccatorum opponitur, aliud ſignificabit quàm remiſſionem peccatorum, & gratuitam adoptionem ad vitam æternam ex condemnatione peccatorum, propter iuſtitiam Chriſti? In eodem omnino ſenſu pronunciauit Dominus de Publicano, quod diſceſſerit à templo iuſtificatus magis quàm Phariſæus, hoc eſt abſolutus à peccatis, & denuò in gratiam Dei receptus, ſicut etiam orauerat, Deus propitius eſto mihi peccatori.

Iuſtificamur per Chriſtum quomodo intelligẽdum.

Hæc ſumma Iuſtificatio, quæ eſt remiſſio peccatorum, & acceptatio in gratiam Dei è duabus rationibus nobis obtingit. Primùm, cùm ab initio remiſſionem peccatorum, adoptionem diuinam, & hæreditariam iuſtitiam ad vitam æternam in Baptiſmo percipimus. Deinde, cum remiſſionem peccatorum, in quæ poſt acceptam adoptionem diuinam adhuc proh dolor! quotidie prolabimur, exoramus & impetramus à Domino. Interim tamen Iuſtificatio noſtra coram Deo nihil aliud eſt, quàm remiſſio peccatorum, & grata acceptio in gratiam & adoptionem Dei propter Chriſtum.

Hoc diſcrimen prioris & poſterioris Iuſtificationis, tum à grauioribus peccatis, tum à quotidianis, nullo modo circũiuit, vel tacitè prætermiſit. Nam de Iuſtificatione, quàm poſt Baptiſmum, & acceptam gra-

tiam Christi assequimur, in articulo de Conuersione à peccatis, & pœnitentia satis prolixè dictum est, qui legatur, & apparebit Aduersarios iniuriam facere Libro, in eo quod scribunt, Eum vnicam tantum docere iustificationem, hoc est, quæ ab initio adoptionis diuinæ percipiatur, tacere verò illam, quam quotidie, cùm nos ad gratiam Dei conuertimus, percipimus in Christo.

Vbi enim liber Reformationis ponit, In his duobus capitibus, remissione peccatorum, & donatione iustitię Christi, per fidem acceptæ, vnicam & veram Iustificationem, quæ coràm Deo valet, positam esse, non hoc vult, quasi non etiam post acceptam salutem à peccatis per gratiam Dei iustificemur: sed testatur solùm, veram nostri iustificationem, siue à principio salutis nostræ fiat, siue post acceptam salutem, semper in eo consistere quòd Deus ex gratuita misericordia nobis peccata remittit, & filij sui iustitiam nobis donat & imputat: quàm tum demum percipimus, cùm id firmiter & indubitatè credimus. Et hoc quoque Aduersarij fatentur. Quare quicunque Librum Reformationis, & Aduersariorum accusationem pia mente leget, & inter se conferet, is facilè perspiciet, Aduersarios contentiones & rixas quærere, vbi nullæ illis occasio oblata est.

Alterum caput huius Accusationis.

De essentialibus partibus Iustificationis.

Cap. XIV.

NOn maioris momenti est, & hæc altera huius loci Reprehensio. Dicunt enim Scripturam quatuor capita Iustificationis includere. Primum remissionem & ablutionem peccatorum, per imputationem iustitiæ Christi. Alterum, reconciliationem cum Deo, & assumptionem in filios adoptionis per regenerationem. Tertium, renouationem Spiritus sancti, quam is facit per diffusionem charitatis in corda nostra. Quartum, donationem vitæ æternæ, cuius per iustificationem hęredes efficimur secundum spem.

Responsio.

PRimum, In qua scriptura legitur, primam ac principalem iustificationem has quatuor partes, quas enumerant, in se includere? Quid aliud est remissio & ablutio peccatorum per imputationem iustitiæ Christi, quam Aduersarij primam Iustificationis partem faciunt, quàm reconciliatio cum Deo, quam ponunt alteram.

S. scriptura de Iustificatione docet, quod sit gratuita peccatorum remissio, & in gratiam Dei acceptio, denique communicatio vitę æternæ in Christo Domino, sicut dictum est: cui necessariò adhærent omnes illę partes, quas Aduersarij enumerant, & longè etiam plures. Paulus

Rom.

Rom.8.connectit æternam Dei prędestinationem ad salutem, vocationem, iustificationem & glorificationem, cùm dicit, *Quos prædefinierat, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Ad Eph. hęc capita enumerat, Electionem Dei, prędestinationem, prædicationem & fidem Euangelij, obsignationem spiritus S. Charos reddere perdilectum, habere redemptionem per sanguinem Christi, remissionem peccatorum, & hæreditatem cum Christo, spem in Christum, spiritualem sapientiam, & cognitionem mysteriorum Christi charitatem, sanctitatem, inculpatam & cœlestem vitam, quæ in omnibus rebus faciat ad laudem & gloriam Dei, salutare incrementum & augmentum in his rebus omnibus, denique ad certam expectationem beatæ resurrectionis.

Hæc non tantùm quatuor, sed etiam quatuordecim partes sunt, quas omnes spiritus sanctus enumerat, vt cum iustificatione, hoc est reconciliatione cum Deo, remissione peccatorum, & acceptione in gratiam eius, necessariò cohærentes. Non autem idcirco semper omnes has partes enumerat, quando de Iustificatione loquitur: neque etiam dicit, quod Iustificatio eas omnes in se includat, siquidem propriè loquendum sit, Iustificatio enim propriè loquendo, significat ei remissionem peccatorum, & acceptationem in gratiam Dei per Christum.

Christus Dominus noster interdum totam iustificationem cum omnibus suis cohærentibus, vnico vocabulo fidei complectitur, vt cùm dicit, *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Interdum vocabulo Pœnitentiæ & remissionis peccatorum, vt Luc. vltim. vbi summam prædicationi Euangelicæ his duobus capitibus comprehendit. Petrus Act.10.duobus verbis omnia complectitur, *Remissione peccatorum & fide*, cum ad Cornelium dicit: *Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum.* Fratres Hierosolymis vnico verbo Pœnitentiæ omnia comprehendunt, cùm ad excusationem Petri, & narrationem, quomodo Cornelius cum tota domo sua fuisset ad Dominum conuersus, ita respondent: Igitur & gentibus Deus pœnitentiam concessit ad vitam.

Quòd si aduersarij verba Christi & Apostolorum non maiori æquitate suscipere vellent, quàm verba libri, non minus ea quàm librum reprehendere possent, propterea quod non quatuor essentiales suas Iustificationis partes in omnibus aliis locis, vbi ea prolata sunt, expresserunt.

Verum legatur Articulus de remissione peccatorum, & cuilibet perspicuum erit, quàm malignè & præter omnem veritatis speciem Aduersarij Librum Reformationis accusent, quasi eas partes, quæ cum iustificatione necessaria cohærent, silentio præterierit. Eo enim loco multas eásque insignes sententias ex sacra Scriptura adducit, quæ copiosè testantur & docent, de regeneratione ac renouatione

spiritus Sancti: de Impulsu ac zelo ad omnia bona opera, de expurgatione sordium peccati, quæ adhuc nobis adhærent, de augmento & incremento noui hominis in Christo, &c. Et his sententiis hanc doctrinam continuò subiungit.

Hæc igitur & similia loca quibus ingenium & natura regenerationis & nouæ creaturæ, ipséque ordo & consequentia, vel cohærentia potius operum Spiritus Sancti in credentibus explicantur, debent Pastores & Ecclesiastæ sæpe in concionibus recitare, fideliter explicare, & probè infigere, quò populus solidè perdiscat, & diligenter semper cogitet, eos qui in Christo regeniti, & ipsi insiti, fructiferi palmites in hac vita, & bonæ arbores facti sunt, oportere etiam bonos fructus ferre : & cum nouum ac diuinum figmentum sint, conditi ad opera bona, in nouis quoque & diuinis operibus versari, quæ nimirum Deus in eis præcepto, vocatione, & dono suo præparauit, & Spiritu suo continenter efficit, ad suam ipsius gloriam, & decus, & ad ædificationem & instaurationem proximorum, &c. Hæc sunt verba Libri, in quibus videatur, an non liber optima fide doceat studium ac zelum erga bona opera, promotionem in noua vita, & totam plenámque iustificationem, quam habere debemus.

Et vt impias eiusmodi verborum rixas ac concertationes Liber Reformationis, vnà cum aliis omnibus erroribus excludat, dat operam, vt de hoc & aliis articulis S. scripturæ quàm maximè consentaneè loquatur. Hinc est quod mauult dicere cum scriptura, Charitatem, & omnes alias virtutes, vnà cum zelo ac studio omnium bonorum operum esse dona Dei, & fructus spiritus S. in iustificatis, & iam in gratiam ab eo receptis, qui iustificationi necessariò cohærent, eámque concomitantur; quàm dicere, quod sint essentiales partes Iustificationis, quæ est opus meræ & gratuitæ misericordiæ Dei in Christo, & propter Christum. Quod verò hæc dona Dei, & opera noui hominis Iustificationi necessariò cohęreant, id liber Reformationis iuxta doctrinam S. scripturæ fideliter & docuit & testatus est, quemadmodum in loco paulò antè adducto clarissimum est videre.

Et quemadmodum Deus dedit, vt Aduersarij ipsi fateantur, salutem & iustificationem nostram esse merum opus gratiæ diuinæ, ac penitus in solo & vnico merito Christi consistere, non autem in merito fidei nostrę, charitatis, aut vllius alterius virtutis, meritò Aduersarij hanc contentionem prętermisissent: nisi hac ratione occasionem quæsiuissent, impedimentum aliquod Christianę Reformationis abjiciendi.

Tertia pars huius Accusationis.

De Iustificatione operum.

Cap. XV.

TErtia Accusatio est, propter Iustificationem, quam vocant Operum, & certè contra scripturam.

Respon-

Responsio.

VErum est: Habetur in Epistol. Iacobi, *Abrahamum ex operibus iustificatum esse, quando filium suum super altare obtulit. Similiter & Rachab, cùm nuncios Israëlitarum excepisset, & alia via dimisisset.* Quid verò hoc aliud est, quàm dicere, Deus Abrahamum & Rachab in dictis eorum iustis & bonis operibus, iustos pronũciauit, ac celebrauit? Ambo enim iam antè per fidem iustificati, hoc est, in gratiam Dei accepti fuerant, vt scriptura Genes. 15. & Heb. 11. Quare cùm Iacobus ex his duobus exemplis Abraham & Rachab concludit, *Hominem ex operibus iustificari, & non ex fide tantum*, nihil aliud vult, quàm Deum non ex sola fide homines iustificare, hoc est, in gratiam suam accipere: verumetiã ex operibus, hoc est, requirere etiam à suis bona opera, laudare ea ac prẹmiis afficere, si ab ipsis fiant: quemadmodum Abraham & Rachab commendauit, ac renumeratus est. Et ibi Iustificatio merito significat iustificationem Dei, per quam suis, cùm benè operantur, testimonium perhibet, eos commendat, atque idcircò largiter renumerat. Non autem iustificationem operum, perinde ac si opera nos iustificent, quẹ tamen ex nostra parte, vt Aduersarij ipsi fatentur, perpetuò manca sunt, mutila & imperfecta. Verum si de hoc negotio alioquin rectè & sentirent & loqui vellent, ne quid gratiæ Christi detraheretur, nullo negotio de nomine concordari posset.

Verbum (iustificari aliquem) significat, vt antea dictum est, in scripturis, aliquando in iudicio absolui, & iustum pronũciari. Hinc S. scriptura eadem voce vtitur pro eo quod est, Iustum agnoscere, commendari ac celebrari. Quemadmodum loquitur Dominus Luc. 7. *Et omnis populus audiens, & publicani iustificarunt Deum, baptizati baptismo* Ioannis, hoc est Deum in prẹdicatione Ioannis, quoniam eam receperant, iustum pronunciarunt ac prẹdicarunt.

Quandoquidem igitur Deus suos commendat & remunerat secundum opera eorum, quemadmodum Abrahamum & obedientiam eius in filio suo commendauit, iustum prẹdicauit, & propter eam magnificas ei promissiones fecit, sicut & Rachab, & beneficentiam eius erga nuntios. Hoc modo loquendi scribit Iacobus, hominem ex operibus quoque iustificari, hoc est, iustum pronũtiari, commendari ac præmiis affici: ita tamen, vt antea per fidem iustificatus sit, ex eáque ad instar Abrahami & Rachab, bona opera producat.

In eandem sententiam scribit & Paulus Rom. 2. *Non qui audiunt legem, factis exprimunt, iustificabunt*, hoc est, pro iustis habebuntur ac celebrabuntur. Et Dominus Math. 12. *Ex dictis eius iustificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis*, hoc est, vel iustus vel iniustus agnoscetis, quemadmodum ex fructibus cognoscitur arbor. Cæterum vt nulla arbor mala fructus bonos facere potest, ita nemo bona opera coram Deo facere, & propter ea commendari ac prẹmiis affici, nisi prius per regenerationem in Christo, primámque ac principalẽ iustificationem

gratiæ bona arbor,& noua creatura in Christo effectus sit,quemadmodum inquit Paulus Ephes.2.*Gratia estis seruati per fidem,idque non ex vobis:Dei donum est,non ex operibus,ne quis glorietur.Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambularemus.* Atque etiam ob hanc solam causam placent Deo bona opera suorum,quod ipsos iam ante in dilecto filio suo sibi acceptos reddidit, atque eiusmodi bona opera in eis præparauit,hoc est,ipsos ad ea vocauit,impellit,promptósque &expeditósque reddit,denique de perfecta filij sui obedientia,quod in illis deerat,adimplet.

Eiusmodi iustificationem operum, qua Deus omnes qui rectè operantur,iustos etiam agnoscit,prædicat,ac remunerat.Item quod omnes Christiani,qui verè Christiani ac fideles sunt, debeant omnibus bonis ac iustis operibus summa diligentia studere, id liber Reformationis non tantum silentio non prætermisit, sed accuratissimè docuit. Videat qui volet locum iam antè citatum in articulo de Remissione peccatorum,& totum articulum De bonis operibus.Sic igitur rursus apparet, Aduersarios librum reprehendere, vbi nullam iustam causam habent.

Quarta Pars huius Accusationis.

De fiducia bonæ conscientiæ.

Cap. XVI.

QVarta Reprehensio libri in hoc articulo est, Scripturam duplicis fiduciæ meminisse,Remissionis videlicet peccatorum,& bonæ conscientię. Librum verò de fiducia bonæ conscientiæ non tantum nihil docere, sed eam penitus reijcere.

Responsio.

IN hac reprehensione rursus notent Christiani,quàm iniustas rixandi & reprehendendi causas Aduersarij quærant.

Primùm,Nulla penitus scriptura extat,quæ de fiducia bonę conscięntię,aut vllius proprij operis doceat.Apostolus Paulus loquitur quidem de testimonio & gloriatione bonæ conscientię,2.Cor.1. *Item de eaxmination,probatione & cognitione nostri ipsorum,vtrum simus in fide, vt Christus in nobis*,2.Cor.3.Et Ioannes scribit, *Quod si verè diligamus proximum nostrum,& præcepta Domini custodiamus,& ea quæ sunt placita coram eo faciamus,per hoc scimus,quod manet in nobis, è spiritu quem nobis dedit. Et sicut ille est,& nos sumus in mundo hoc, &c.* Per hoc etiam cognoscimus, quod ex veritate sumus,& in conspectu eius suadebimus cordibus nostris,πείσομεν, quòd si nos non condemnet, fiduciam habemus παῤῥησίαν,inquit,non πεποίθησιν, erga Deum:quódque in die iudicij cognoscamus,quòd ipse manet in nobis,1.Ioan.3.& 4. Hęc docet S. scriptura, nihil autem de fiducia bonę cõscientiæ.Quid verò hinc aliud discendũ est,quàm primò Christianos debere seipsos examinare,probare ac diligẽter cognoscere,vtrũ verè credãt,&Christũ in se habeãt,annõ.Multi enim

enim sibi ipsis de fide in Christum persuadent, qua tamen penitus sunt destituti. Secundò, quod Christiani summa diligentia incumbere debeant, in obseruationem omnium mandatorum Dei, ne propria eorum conscentia & cor eos accuset, reprehendat, aut damnet, sed potius bonum testimonium perhibeat. Tertiò, Quòd talis operatio Spiritus S. in nobis, ac bonum testimonium nostræ conscientiæ, nos de gratia ac misericordia Dei confirmet, fiduciámque afferat, Deum in omnibus afflictionibus confidenter inuocandi, ab eóque petendi, quicquid nobis vtile est, ac demum vt in extremo eius iudicio consistere possimus. Id verò nullo pacto, propter obedientiam nostram, & obseruationem mandatorum Dei: sed tantum propter diuinam gratiam, ac salutarem communicationem Christi: cuius opera & dona, atque idcirco clara indicia sunt eiusmodi operationes Spiritus Sancti in nobis, videlicet obseruatio diuinorum mandatorum, atque inde bonum testimonium cordis ac conscientiæ nostræ. Cæterum de gratia Dei & Redemptione facta per Christum solus Spiritus S. nos certos ac securos reddit, per quem clamamus, Abba pater: qui spiritus testatur vnà cum Spiritu nostro ex promissione diuina, quod simus Filij Dei, & hæredes vitæ æternæ. Rom. 8. Gal. 3.

Aduersarij fatentur omnia nostra opera, quandiu in hac carne sumus, imperfecta esse ac mutila, neminémque in hac vita sine peccato esse. Ex quo necessariò consequitur, Neminem in die iudicij coram Deo consistere posse, nisi sola fiducia remissionis peccatorum, quę simpliciter ac vnde in Christo Iesu, ac merito eius consistit, quemadmodum Aduersarij ipsi fatentur. Necesse igitur est omnem fiduciam gratiæ diuinę ac spem consistendi in iudicio Dei, Soli ac nudę gratię Dei & merito Christi inniti, non operibus nostris, neque vllo proprię conscientię aut benè factorum testimonio: quandoquidem illa, dum in hac carne sumus, imperfecta sunt, sempérque adhuc aliquid est, cuius conscientia nostra nos arguere & accusare potest, atque etiam impellere ad orandam remissionem vitij & imperfectionis, quæ sese adhuc in omnibus operibus nostris exerit. Quapropter conscientia nostra plenæ ac perfectę obedientiæ, & adimpletionis mandatorum Dei nobis testimonium perhibere non potest.

Cęterum quanto locupletius testimonium bonæ voluntatis ac studij in obedientia Dei nobis ferre potest, tantò magis nos fidere facit gratia & dilectione Dei, ex qua sola eiusmodi bonum spiritũ adoptionis diuinæ accepimus. Per hoc enim, quod de suo spiritu, quẽ nobis largitus est, in nobis remanet, cognoscimus ipsum Dominum manere in nobis, intercedere pro nobis apud Patrem, impetrare nobis veniam omnis imperfectionis ac vitij, quod adhuc in nobis reliquum est, denique perfecta obedientia sua nostram imperfectam obedientiam supplere.

Sic autem perpetuò hoc manet, quòd omnis fiducia nostra omnino consistit ac nititur gratia Dei, & merito Christi. Tantummodo examinationem, probationem & cognitionem, vtrum in nobis sit & operetur Spiritus Christi, vtrũ in nobis maneat ac viuat Christus, & nos in eo, me-

ritò facimus coniicimuſque ex charitate & obedientia mandatorum: quam Dominus nobis largitur, & operatur in nobis, tanquam ex propriis operibus & fructibus Spiritus S. in nobis, qui ſigillum eſt & arrhabo adoptionis diuinæ, & hæreditatis vitæ ęternę.

Ex qua noſtri ipſorum probatione & examinatione neceſſariò exiſtere debet, tranquillitas cordis & conſcientię noſtrę, quę prius nos mordebat & accuſabat: fiducia quoque gratię diuinę, ex qua tam prędara beneficia Dei, ac ſpiritum adoptionis accepimus. Adhuc tamen omnis iſta fiducia, tranquillitas conſcientię, ac ſpes omnia apud Deum impetrandi, & coram iudicio ſuo conſiſtendi, nititur ſola gratia diuina, ac merito Chriſti, cuius gratię conſcientia ſigna & indicia ſunt tales bonę operationes Spiritus Sancti in nobis. Hęc ſunt quę ſcriptura de hoc negotio nos docet. Iam videamus quid proferant Aduerſarij, cui doctrina Libri repugnet. Scribunt quod Liber doceat, Hominibus perſuadendum non eſſe, vt rurſus bonorum ſuorum operum fiduciam habeant. Item, Quod fiducia quę eſt in nudam miſericordiam Dei, excludat aliam omnem fiduciam bonorum operum. Item, Fiducia bonorum operum homines reddi incertos, ac in perpetuam dubitationem atque execrationem à Deo coniici. Et huic doctrinæ dicunt Scripturam docere contrarium, quemadmodum ex Epiſtola Ioannis, & per innumeros alios ſcripturæ locos probari poſſit.

Talium verò locorum ne vnum quidem adducunt, vbi doceat ſcriptura propriis operibus confidere; aut pro fiducia in nudam miſericordiam Dei, non excludat aliam omnem fiduciam bonorum operum: vel quod fiducia propriorum bonorum operum non incertos, dubios, & execrabiles reddat in conſpectu Dei, quandoquidem & iudicio Dei nunquam ſatisfacere, neque iram illius à nobis amouere poſſunt. Vnde & Propheta inquit: *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: coram te enim non iuſtificabitur omnis homo.*

Epiſtola Ioannis quam citant, & alia loca ſanctę Scripturę, quę de bonis operibus loquuntur, docent quidem, vt copioſè ſupra indicatũ eſt, quòd teſtentur nobis de gratia & ſpiritu Dei in nobis, atque idcirco ſuo quodam modo fidere nos faciant gratia Dei, & alacriores reddãt ad opem auxiliumque Dei implorandum, quò poſſimus in iudicio eius conſiſtere. In qua doctrina ne verbum quidem habetur de vlla fiducia in operibus collocanda: & certum eſt, quemadmodum D. Auguſtinus & omnes S. Patres fatentur, quod quicunque operibus ſuis confidit, is non ſolùm de gratia & miſericordia Dei dubius & incertus efficitur, ſed etiam abnegat eam, cum tota Redemptione facta per Chriſtum. Et quis non videat quantum diſcriminis inter hæc duo ſit, Ex bonis operibus de gratia & ſpiritu Chriſti, qui ea operatur in nobis, magis confirmari ac certiorem reddi, Et hinc in ſpe erga Deum collocata in Chriſto, confidentiorem reddi, Et, fiduciam in operibus ipſis collocari?

Hoc loco rurſus notetur periculoſa iſtorũ hominum à diuina ſcriptura defectio

ra defectio. Loca scripturæ quæ adduxerunt, loquuntur de testimonio bonæ conscientiæ: ipsi verò fiduciam conscientiæ ponunt. Dicunt præterea, Quod gratiam Dei, & inhabitationem Christi in nobis colligere possimus ex bonis, & ex illis maiorem erga Deum fiduciam concipere: ipsi verò fiduciam operum ponunt, damnántque librum Reformationis, propterea quòd eam rejicit, & testatur, quod iuxta fiduciam in gratiam & misericordiam Dei consistere non possit. Hic iudicet quicunque veritatem Christi amat, quid in his omnibus scripturæ consentaneum, aut dissentaneum sit; quid bona fide propositum, quid secus.

Non magis cum S. scriptura & toto Christianismo concordat, quod scribũt, Verũ Christianũ debere omnem fiduciam remissionis peccatorum statuere in solum Christum. Ac simul debere fiduciam istiusmodi facere certam & indubitatam, fiducia bonæ conscientiæ. Hic iudicent omnes, qui harum rerum cognitionem & intellectum habent, annon locutio ista sibi ipsis prorsus contraria sit. Si enim verus Christianus omnem fiduciam remissionis peccatorum, quemadmodum etiam adoptionis diuinæ, & hæreditatis vitæ æternæ, in solum Christum statuere debet, quæratur ex illis Doctoribus, Vtrum verus Christianus hanc suam fiduciam in Christum certam an incertam, firmam an dubiam debeat statuere. Dominus certè iubet nos credere, non dubitare. Iacobus scribit, cum qui dubitat, similem esse fluctui maris, qui ventis agitatur, & impetu rapitur: neque debere talem existimare, quod quicquam sit accepturus à Domino. *Iustificatio.*

Interim tamen & hoc verum est, quod nostra fiducia, quandiu in hac carne sumus, nunquam satis firma & stabilis est. Quam si fiducię conscientię nostræ aut operum certiorem ac firmiorem reddere conaremur, perinde faceremur, ac si quis exiguum ignem effusione aquę maiorem ac fortiorem reddere vellet. Fiduciæ enim in Christum fiducia propriæ conscientię & operum non minus contraria est quàm aqua igni. Ad hæc S. scriptura nihil omnino habet de fiducia conscientię, sed de testimonio.

Qui semetipsum in fiducia in Christum infirmum deprehendit, quēadmodum nos omnes in ea nimis debiles & imbecilles sumus, is debet cum Apostolis Deum orare, vt fidem & fiduciam hanc sibi augere & confirmare dignetur: firmitérque adhærere certissimis & immotis promissionibus Dei. Quando scriptura Abrahamum propter firmam eius & indubitatam fidem in Deum commendat, Rom. 4. narrat, quod non ad corpus suum vel Saræ respexerit, sed ad promissionem sibi factam à Domino. Sic quicunque infirmitati fidei & fiduciæ suæ vult, is certè nõ debet ad suam dignitatem vel sanctitatem respicere, sed ad Christum, cuiusque gratuitas ac certas promissiones: rogare insuper eũ pro augmento spiritus Sancti, qui testetur vnà cum spiritu suo, quòd sit filius Dei, ac hęres vitæ æternę. Et quemcunque gratuita & indubitata promissio Dei, & testimonium Spiritus S. in corde suo in fiducia in Chri-

stum certum ac securum non reddet, cùm propriæ conscientiæ testimonium,& omniũ suorum operum falsò quidem confidere faciet, de gratia verò & misericordia Dei nunquam certum reddet. Etiamsi verum fidelis conscientiæ testimonium,& fructus fidei, verè bona opera,vt dona ac munera gratiæ diuinæ,de ea certiores, & erga Deum cõfidentiores reddere soleant:verùm vt iam antè dictum est, hanc solam ob causam,quod de gratia ac beneuolentia Dei erga nos testantur, eáque nos ipsi in talibus operibus deprehendimus.

De testimonio conscientiæ nostræ & bonorum operum in nobis diligenter inquirere debemus,non vt per illud fidem nostram ac fiduciam in Christum certam reddamus,sed vt cognoscamus, quemadmodum Paulus docet, vtrum in fide ac fiducia Christi simus, an verò in falsa persuasione & præsumptione, vtrum Christus Dominus verè in nobis sit,an verò falsum figmentum & inanis de Christo persuasio. Vbi enim est vera fides in Christum,ibi & bonam conscientiam esse, & bona opera sequi necesse est. Vbi Christus est & viuit, ibi etiam omne bonum operatur.Sic docet nos scriptura de isthoc negotio.

Postremò appendunt Aduersarij huic suæ accusationi, quos fructus horrore & desperatione plena ista doctrina,plerisque in locis ediderit, res ipsæ loquuntur,& sole clariùs vniuersus aspicit orbis, imò certè clarissimum est,& notissimum omnibus veris Christianis, qui ex hac doctrina seipsos Christo Domino plenius tradiderunt,atque ex fide quæ per charitatem efficax est, carnem suam cum omnibus prauis cupiditatibus & affectibus mortificant, omnia denique omnibus in salutem & ædificationem faciunt, fiunt, ac perferunt. Cùm è contrario ij, qui Aduersariorum doctrinæ adhærent, Christum Dominum deserant,auxilium & oportet à lignis,lapideis,ossibus,ceremoniis non intellectis,verbis denique & operibus quærant, de quibus nihil mandauit Dominus: omnibus quoque libidinibus ac concupiscentiis carnis locum dent: in accumulandis Ecclesiarum bonis aliisque nullum modum sciant:proximum suum omnibus in rebus grauent, Ecclesiam grauissimè offendant, omnia denique quæ Paulus de vltimis temporibus prædixit,horribiliter adimpleant.Hoc nouit Deus, & nouerunt omnes filij Dei.Estque magnoperè deplorandum, quod Aduersarij isti, & alij quàmplurimi, hanc salutarem doctrinam & maximè necessariã, de vera iustificatione hominis,de vera fide ac fructibus eius ita oppugnant ac reprehendunt,cui tamen,ipsa veritate,& claris testimoniis S. scripturę ad extremum assentiri coguntur, quemadmodum isti Aduersarij & reprehensores libri Reformationis in plurimis locis declarant.

Nona

Nona Accusatio.

De bonis Operibus.

Caput XVII.

Prima reprehensio Aduersariorum in hoc Articulo hęc est: Librum Reformationis docere, illa sola esse bona opera, quæ in decalogo mandata sunt, quodque de reliquis omnibus operibus scriptum sit, *Frustra me colunt mandatis hominum*: Et quod contra talia agitur, non esse peccatum.

Responsio ad primam partem.

Quænam habenda sint bona Opera.

Cap. XVIII.

Hoc loco rursus notetur istorum hominum improbitas. Liber Reformationis proponit quæstiones aliquot de Bonis Operibus, quarum prima est, Quænam opera facienda sint? Item, Quænam bona opera & docenda & facienda sint? Ad quam quæstionem ita respondet, Quæ Deus ipse in præceptis Decalogi præcepit, & quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur. Nam hoc imprimis cauendum, vt ne cultus Dei, & opera sine verbo excogitemus, Ideo & Christus inquit Matth. 15. *Frustra colunt me mandatis hominum.*

Contra hanc doctrinam Aduersarij geminam improbitatem admittunt, Prima est, quòd ex Libro Reformationis non plura quàm hæc verba adducunt, Quæ Deus in decalogo præcepit, omittunt autem quod in Libro sequitur, & hæc præcedentia verba declarat, nempe (Et quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur) Qua appendice omnia bona opera, quæ vnquam ab homine fieri possunt, comprehenduntur. Altera hæc est. In libro ponitur: Cauendũ, esse, vt ne cultus Dei & opera sine verbo excogitemus. Idcirco dicere Christum, Frustra colunt me mandatis hominum. Et hoc Christi dictum adducit liber, de iis tantum operibus & cultibus Dei, quos homines ex suo ingenio excogitant, sine verbo Dei. Aduersarij verò dicunt, id citari à Libro de reliquis omnibus operibus, quæ in decalogo expresse mandata non sunt. Et postea (Mandari in decem præceptis) ad ea tantùm opera referunt, quæ in decalogo præceptorum sunt diserte mãdata & expressa. Annexam enim in Libro declarationem omittunt, quæ est (Et quæ in his iuxta interpretationẽ Christi & Apostolorũ continẽtur. An verò pios Clericos decet, Christianę & S. Scripturæ quã maximè consentanea Archiepiscopi sui verbo tã apertè decurbare & peruertere?

Cæterùm veritas Christi & defensio Libri in hac parte sic se habet.

Decem præcepta iuxta interpretationem Christi, Matth. 5. & Pauli Rom. 7. & 10. 1. Tim. 1. & 1. Ioa. 3. & Heb. 4. omnia bona quæ homo vel cogitare, taceo re ipsa perficere potest, in se comprehendunt. Complectuntur enim veram ac plenam fidem, firmam ac solidam

spem in Deum, & ardentem amorem erga eum, nempe ex toto corde, tota anima, totisque viribus: & dilectionem proximi, sicut sui ipsius. Idque hoc modo, vt homini nihil aliubeat, quàm Deum in omnibus dictis & factis celebrandi, magnificandi, cum omnimoda proximi ædificatione.

Vbi enim Dominus in principio statim decalogi dicit, Ego Dominus sum Deus tuus, hoc est Creator, gubernator, & æternus tam corporis quàm animæ Saluator, simulque requirit, vt hoc ei credamus, ipsumque pro Deo & Seruatore nostro agnoscamus, amemus, eique ex toto corde seruiamus, quid posset homini, qui tantummodo hoc primum verbum plenè seruare posset, bonorum operum aut virtutum incidere, & in verbo Dei proponi & commendari, quibus non summa diligentia summóque studio esset incubiturus? Talis enim nihil omnino sublimius desiderare ac quærere, nulli rei diligētiùs incumbere posset, quàm quo pacto Deum Creatorē ac Seruatorem suum semper magis sanctificare & celebrare, regnumque eius amplificare, & longè latéque prouehere posset. Quare nullum bonum, Deóque gratum & acceptum opus fingi aut excogitari potest, cui talis ex obedientia deesse præceptorum, non esset ardentissimo studio incubiturus, iuxta vocationem ac placitum Dei.

Eodem modo iuxta interpretationem Christi & Apostolorum in precepto contra abusum nominis diuini, omnia ea præcipiuntur, quæ ad sanctificationem nominis diuini conducunt: sicut è contra prohibentur quæcunque ad prophanationem nominis diuini, siue à nobis cogitentur, siue dicantur, siue reipsa perficiantur. Sic in præcepto de sabbatho præcipitur, quicquid eo conferre potest, vt & apud nos & apud alios cognitio Dei, vera eius inuocatio, omnis generis exercitia pietatis, & salutifera quies in Deo, omnibus modis prouehatur: & quicquid ei obstare & impedimento esse possit, amoueatur. In præcepto de honorandis parentibus, quicquid ad veram reuerentiam, & obedientiam præstandam omnibus, qui nobis præpositi sunt: omnimodam quoque suppressionem innatæ nobis superbiæ, qua fit, vt nemini ex animo subiecti esse & obedire possimus. In quatuor sequentibus præceptis includitur, quicquid aliquid momenti adferre potest ad plenam extirpationem in nobis omnis iræ & inuidiæ, omnis immodestię, & inordinatarum voluptatum: omnis auaritiæ, ac fraudationis proximi: omnis contemptus, & læsionis honorum atque existimationis proximi nostri: contrà verò ad propagationem omnis mansuetudinis, omnis beneuolentiæ & beneficentiæ, omnis modestiæ ac temperantiæ in vsu præsentis vitę, omnis benegnitatis & liberalitatis in iuuando proximo temporalibus bonis: omnis custodię ac defensionis famæ proximi nostri. In duobus postremis de Non concupiscendo, continetur quicquid ad plenam veteris Adami exuitionem & exinanitionem: noui verò induitionem requiritur, & vtile esse potest: nempe, Quicquid in nobis mortificationem prauæ concupiscentię, corroborationem verò bonæ concupiscentię ad omnē voluntatē ac placitum Dei promouere potest.

Cùm

Cùm igitur hæc omnia in decem præceptis, iuxta interpretationem Domini noſtri Ieſu Chriſti,& Apoſtolorum contineantur,quid boni operis excogitari à quoquam poterit, quod non ſit in præceptis de calogi comprehenſum? Aduerſarij citant hoc loco cœlibem vitam propter regnum cœlorum, Ieiunium, ſeparatam ab hominum conuerſatione Monaſticam vitam,Oblationes,Templorum extructiones, & ornatus, &c.

Verum S. ſcriptura teſtatur, & fatentur omnes S. Patres, hanc abſtinentiam à matrimonio & cibis,omnia corporalia ſeruitia & opera, quæ ad caſtigationem carnis adhibentur, Deo non placere, nec cultus Dei eſſe poſſe: niſi ex vera fide in Chriſtum, & ad efficacem omnis pietatis promotionem adhibeantur.

Quare ſi quis hoc donum habet à Domino, vt extra coniugium Domino ad propagationem regni eius meliùs inſeruire, & in genere vitæ nomen Dei magis ſanctificare, Deo magis adhærere, vitámque magis cœleſtem degere poſſit, tali homini Abſtinentia à coniugio iam eſt in principio decem præceptorũ comprehenſa,*Ego Dominus ſum Deus tuus*, Et in mandato, de ſanctificatione nominis diuini:nec non in præcepto de ſanctificando ſabbatho, & de Concupiſcentia. Similis eſt ratio Ieiunij,& aliorum operum omnium, quæ commemorata ſunt, quando piè & inſtituuntur,& perficiuntur,hoc eſt,ad gloriam Dei & propagationem veræ pietatis.

Si verò in hunc finem nec inſtituuntur, nec faciunt, teſtatur Dominus ipſe Eſa.1.& 58 Ierem. 7. & aliis pleriſque locis, *ſe nec velle nec poſſe perferre eiuſmodi cultus,ſe nunquam eos poſtulaſſe, aut à cuiuſquam manu requiſiuiſſe:ſed eos eſſe ſibi oneri & abominationi*,&c. Legat pius Chriſtianus, ac diligenter perpendat ſolummodo primum caput Eſaiæ,& videat quid Dominus de omnibus cultibus & exercitiis Eccleſiæ, tam grauibus ac ſeriis verbis teſtetur,etiam iis, quos ille ipſe præcepit, quando non vera fide,& obedientia omnium mandatorum Dei vſurpantur.

Aduerſarij adducunt hoc loco plurima dicta de vita Cælibe, quòd eò conducat,vt homo Chriſto Ieſu magis adhæreat,eíque ſine omni impedimento ſeruiat. Deſertionis quoque omnium temporalium bonorum meminerunt, ac prædicant ſeparatam Monachorum & Eremitarum vitam ab omnibus carnalibus negotiis & cupiditatibus. Verum diligenter apud ſe in omnes partes circumſpiciant, quàm multa veræ caſtitatis & deſertionis carnalium cupiditatum & negotiorum huius mundi, inter & apud ſe demonſtrare poſſint. Etenim à coniugio abſtinere,ſacerdotes ac Monachos vocari,eiúſque aliquot ſigna in cucullis, & raſa capita geſtare: atque id ob eam cauſam, vt multis præbendis, & optimis monaſteriorum bonis perfrui poſſint, ac deinde caſtitatem obſeruent, quemadmodum apud Aduerſarios fieri ſolet, horrenda ſanè abominatio eſt in conſpectu Dei, & niſi breui corrigatur, horribilem Germaniæ deuaſtationem adferet.Deus enim Deus veritatis eſt,ac zelotes,qui ſibi illudi non patitur. Allegant etiam hoc loco iuuenem illum diuitem,qui coram Domino gloriabatur,*ſe decem præcepta obſeruaſſe*:cùm au-

tem responderet ei Dominus, *vnum adhuc illi deesse, debere eum abire, & vendere omnia quæ haberet, & sequi se, tristis à Domino discedebat, atque eo tempore in regnum Dei, hoc est in veram communionem & obedientiam Christi venire non poterat*, Matth. 19. & Marc. 10. Et inde volunt concludere. Posse ei, qui decem præcepta adimpleuit, aliqua adhuc bona opera deesse. Necesse igitur esse, vt non ea tantum bona opera sint, quæ in Decalogo sunt præcepta.

Hoc argumentum firmiter quidem concluderet contra librum, si Dominus huic adolescenti concessisset, quòd, quemadmodum de seipso gloriabatur, decem præcepta obseruasset. Cæterùm Dominus id non fecit, sed iubendo eum vendere omnia quæ possidebat, conuicit illum adhuc longissimè à decem præceptorum omniúmque quæ in ipsis continentur, adimpletione abesse. Si enim omnem malam concupiscentiam, quam diuinum præceptum prohibet, superauisset, Deum ex toto corde dilexisset, omnémque fiduciam suam in eum, non in facultates collocasset, vt primum præceptum requirit, sine dubio boni magistri consilium, quem ille ipse his verbis alloquendo, Bone magister, diuinum magistrum agnoscebat, libenter secutus fuisset, & thesaurum repositum in cœlis longè maioris feciisset, quàm omnes facultates & possessiones suas. Iam verò quoniam discedebat à Domino tristis, deserebat bonum Magistrum, vnà cum thesauro in cœlis, præferebat temporalia sua bona Deo & regno eius, ideo non poterat hoc tempore intrare ad vitam. Quare nec decem præcepta, præcipuè verò iuxta interpretationem Christi & Apostolorum, tunc temporis obseruauit.

Quod verò Aduersarij inter bona opera in decalogo præceptorum non expressa audent connumerare Accensionem cereorum, & pro ea citare authoritatem D. Hieronymi, ex eo apparet, quantoperè & de Deo, & de bonis operibus quærant. Quod autem Deus & opera reiiciat, magísque contemptum sui quàm cultum ducat, quibus ei homines seruire volunt ex proprio consilio, sine certo eius mandato, id clarè testatur dictum Christi & Esaiæ prophetæ, *Frustrà me colunt mandatis hominum.* Quæ enim mandata purè humana sunt, & non ex præceptis Dei deducta, in iísque comprehensa, ea etiam nihil boni præcipere possunt. Nam, vt dictum est, *In mandatis Dei omne bonum continetur.* Hinc est quod Dominus præcipit, Deut. 3. & 123. *Vt præceptis suis nihil neque addatur, neque adimatur.* Et, *ne quemadmodum Gentiles idola sua colebant, sic & Deo cultus præstetur, sed tantummodo sicut ipse præceperat.*

Quoniam verò non omnia bona opera sunt in verbo Dei nominatim expressa, sicut Opus vnctionis Domino precioso vnguento, bonum opus sibi præstitum à Domino ipso prædicatũ est, & tamen Mariæ nominatim à Deo non fuerat præceptum, vt tam pretiosum vnguentum super Dominum effunderet: & in eiusmodi operibus hæc est tenenda regula, vt omnia talia opera sint opera dilectionis Dei & proximi.

Iam verò interdiu, cùm Deus lumen solis sui nobis illucescere sinit, multos cereos accendere, opus dilectionis proximi esse non potest. Plurimi enim sunt, qui ad sustentationem corporis sui hoc sumptu e-

gent.

gent. Quare qui proximum suum deligit, sicut seipsum, is perinde pecuniam suam in comburendis cereis clara die, consumere vitabit, atque interim pati, vt proximus suus defectum cibi ac potus, vestium, aliarumque rerum necessariarum laboret, atque ęgrè esset laturus, si tale quid ab alio sibi contingeret.

Clementis. Deus vult, vt nostrum erga ipsum amorem in dilectione proximi declaremus. Quapropter *tota legis adimpletio in dilectione proximi perficitur.* Rom. 13. Galat. 5. Quamobrem in omnibus operibus quæ non sunt nominatim in scripturis expressa & tradita, eò semper respiciendum est, quid vnumquodque opus proximo prodesse possit ad gloriam Dei. Erat sanè magnum decus, & præclara res, posse ex singulari dono spiritus S. mysteria Dei in Ecclesia variis linguis proferre: tamen volebat Paulus, vt hoc opus non tantum interpretationi & intelligibili Prophetiæ postponeretur, verum etiam in Ecclesia penitus intermitteretur, si nemo esset, qui id explicaret. Quamobrem id vero? Quia sine interpretatione, vt inquit Apostolus, neminem ædificat: interpretatio verò & Prophetia nunquam non ædificat, 1. Cor. 14. Hoc modo in omnibus operibus iuxta verbum Dei ad ædificationem & vtilitatem proximi respiciendum est, in fide & omni pietate: omnia etiam opera iuxta canonem verbi Dei bona aut mala, meliora aut deteriora iudicanda.

Ex hoc fundamento scripturæ & mandatorum Dei probat etiam D. Ambrosius, rectè ac piè factum esse, quod ipse & D. Laurentius, quem pro exemplo inducit, fecerunt, nempe quod vasa mystica & ornamenta sacramentorum confregerant, vendiderant, & in vsum ac necessitatem egenorum elargiti erant, ad redimendos captiuos, & inopum penuriam sustentandam, &c. quódque is qui necessariam egenis alimoniam non subministrat, sed fame eos emori patitur, cùm possit aureis & argenteis vasis ipsorum necessitatibus subuenire, & se excusare & defendere non possit, quod timuerit ne templo Dei ornatus deesset, Deum contrà responsurum, Aurum sacramenta non quęrunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur, &c. De pauperibus verò dicturum Dominum, *Quicquid his boni feciſtis, mihi feciſtis*, &c. Lib. offic. 2. cap. 28.

Hic vides duas causas, propter quas D. Ambrosius cibare egenos, redimere captiuos, omnibus & templorum & sacramentorum corporalibus ornamentis anteposuerit. Vna est, quod Deus in verbo suo requirit, vt subueniamus pauperibus, & est opus charitatis. Altera, quod Templorum & sacramentorum ornamenta, neque à Deo requiruntur, neque charitatis opera sunt, pręsertim vbi homines adhuc necessitate premũtur. Vbi enim nulla singularis est pauperum necessitas, diuitésque & opulẽti homines Tẽpla vel de integro extruere vel ornare volũt, modò id fiat ad rectã dispẽsationẽ verbi diuini & sacramẽtorũ, id sanè melius est, vt D. Hieronymus ad Demetriũ scribit, quã repositis incubare opib⁹. In eiusmodi enim casu Tẽpla ędificare, & ornare, est op⁹ dilectionis Dei & proximi: in eo pręsertim cum id eò confert, vt sacri conuentus & exercitia religionis, quę in Templis administrãtur, recentioribus adhuc & minùs exercitatis, magísque carnalibus Christianis, maiorem authoritatem & grauitatem prę se ferant, magísque ac magis arrideant.

Verum cùm proximi nostri adhuc defectum patiuntur eorum quæ Deus illis submiſtrare expresè mandauit, charitásque & dilectio eorum propriè requirit, tunc certè omnis templorum extructio & ornatus & quicquid proximo non tam neceſſarium eſt, quàm cibus & potus, veſtimenta, hoſpitium, doctrina, diſciplina, gubernatio, & alia idgenus plurima, in tali caſu his manifeſtis operibus charitatis poſtponi debet. Sic enim quilibet erga ſe fieri vellet, omnéſque parentes erga liberos ſuos, quos verè diligunt, faciunt: & viciſſim liberi erga parentes ſuos, alióſque egenos facere debent. Quòd ſi contrarium facerent, in idem illud vitium incurrerent, propter quod Dominus Iudæos reprehendit, Matth. 15. quod eſt, *Mandatum Dei tranſgredi propter traditiones hominũ*, Et dictum illud Eſaię adimplere, *Fruſtrà me colunt mandatis hominum.*

Itaque veteres S. Patres templorum extructionibus & ornamentis procurationem ac ſuſtentationem pauperum ſemper præpoſuerunt. D. Hieronymus docet Demetriadem ſuam, vt alios ſinat templa ædificare & ornare, aliud ei eſſe propoſitum, nempe Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, cibare in eſurientibus, &c. Ad Ruſt Monach. laudat ſanctum Exuperium Tholoſę Epiſcopum, qui & ſua & Eccleſiæ ſuæ bona & ornamenta adeò in pauperes erogauerat, vt corpus Domini in caniſtro vimineo, & ſanguinem portaret in vitro. Eodem modo & Nepotianum ſuum docet, quando eum inſtituit ad ſacerdotale munus ac vitam.

Aduerſarij adducunt hoc loco aliquot authoritates Chryſoſtomi, idque ex tali libro, quem nec ipſi ſine dubio Chryſoſtomi eſſe agnoſcunt: Adhæc ipſa loca non integrè, ſed deprauatè citant. Vbi enim liber iſte vult oſtendere, quando homines extruendo & ornando templa bonum faciant opus, ponit: Si aliàs etiam iuſtitiam Dei cuſtodiunt, ſi de bonis eorum pauperes gaudeant, quod Aduerſarij tranſtulerunt, ſi non obliuiſcantur pauperum. Item cùm introducunt eundem librum dicere, Si iuxta alia bona opera ædificia ſancta fecerit homo, additamentum eſſe bonis operibus, omittunt id quod ad hanc ſententiam continuò ſequitur, Si quis ædificia ſancta ſine aliis bonis operibus faciat, eſſe ambitionem, & inanis gloriæ cupiditatem. Sic & illud omiſerunt, quod inter locum priùs citatum & hunc interpoſitum eſt, & prȩcipuum caput huius doctrinę eſt, quam liber iſte hoc loco tradit, nempe iſtud. Si vis ædificare domum Dei, eroga pauperibus credentibus, vnde viuere poſſint, & rationalem domum extruxeris. In ædificiis enim habitant homines, cęterùm in ſanctis hominibus habitat Deus. In eandem ſententiam & verus Chryſoſtomus docet, ſuadendum eſſe iis hominibus, qui in templorum ædificia & ornamenta ſumptus facere volunt, vt iſtas expenſas potiùs in pauperes & egenos conuertant, Homil. 8. in Matthæum.

Quamobrem id verò? Seruiendum eſt Deo, non iuxta voluntatem ac placitum noſtrum, ſed iuxta mandata illius. Omnia autem mandata Dei complentur in demonſtratione verę dilectionis erga proximum. Iam cùm nemo inter homines ferat, ſi miniſtri eius non iuxta ſuum mandatum, ſed iuxta propriam voluntatem ei miniſtrare & inſeruire vellent,

quo-

quomodo igitur æterna diuina maiestas, cuius mentem ac voluntatem nos homines ex nobis ipsis percipere & assequi nequimus, pro grato sibi cultu acceptare posset, quicquid nos volumus, & ex cæca nostra ratione, prauis cupiditatibus & affectibus instituimus? ac postea diximus, nos talia in honorem & gloriam Dei facere? Veri autem Christiani citatis scripturis acquiescent, neque conabuntur Deum vel ex suo, vel aliorum consilio & instinctu colere, sed ex verbo & mandatis illius. Quæ quoniam omnia in præcepto de diligendo proximo summatim ac plenè tamen comprehensa sunt, in omnibus operibus suis iuxta verbum Dei videbunt, quid proximum maximè ædificare queat, præsertim in anima, ac deinde etiam in corpore. In eadem sententia fuit & antiqua Ecclesia, & S. Patres, quemadmodum ex adductis paulò ante locis perspicuū est.

Hactenus ad primam Accusationem Aduersariorum in hoc articulo, Nullum opus bonum Deóque gratum & acceptum esse iudicandū, quàm ea quæ sunt in decalogo præceptorum comprehensa, súntque opera dilectionis charitatis Dei & proximi.

Pro accensione cereorum interdiu citant Aduersarij D. Hieronymū, qui contra Vigilantium scripsit, Quicunque cereos accendunt, secundū fidem suam habent mercedem dicente Apostolo, Vnusquisque in sensu suo abundet. Cæterum qui rectè in Deum respiciunt, ij citatione ista non perturbabuntur. Manifestum est quàm vehementibus & hyperbolicis locutionibus hic Doctor in controuersiis & certaminibus soleat vti, præsertim verò contra Vigilantium. Verum inspiciat pius Christianis, qualis ista locutio sit, Quicunque cereos accendunt, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, vnusquisque in sensu suo abundet. Apostolus voluit hoc dicto docere, *Nullius conscientiam in vsu ciborum esse conturbandam.* Rom. 14. Non autem hoc voluit, vt vnusquisque in omnibus rebus, & in cultu Dei suo sensu abundaret: & quòd quæcunque quis faciat hac intentione, vt cultum Deo præstet, statim idcirco Deo grata & accepta esse oporteat, aut quod Deus vnicuique pro tali opere sit mercedem daturus secundum fidem suam. Quòd si Hieroymus cogitasset, hanc suam locutionem in controuersia ac pugna prolatam pro doctrinali acceptum iri, ad superstitiosam illam cereorum accensionem defendendam, quæ tanto temporis spatio apud nos obtinuit, dubium non est, quin longè aliter, multóque cautiùs ac circumspectiùs ea de re fuisset locuturus.

Sed quare Aduersarij non potius altera verba adducunt, quæ Hieronymus eodem in loco ponit? Vbi enim ad Vigilantij reprehensionem, quod clara luce gentilium more lucernas in templis accenderent, respondet, agnoscit abusum esse, & scribit in hunc modum: Cereos non clara luce accendimus, sicut frustrà calumniaris, sed vt noctis tenebras hoc s- latio temperemus, & vigilemus ad lucem, &c. Et luminarium accensionem clara die assignat imperitiæ & simplicitati, & præpostero zelo secularium hominum & mulierc-larum.

At quî fit, vt Aduersarij non hæc quoque verba citarint? Quam grauem verò rationem cogentur Deo reddere, qui adeo omnes abusus,

quantumuis impij & superstitiosi sint, conantur defendere?

Quantum verò ad autoritatem Hieronymi aliorúmque Doctorum eiusdem defensionis, quod in rebus fidei, ac veri cultus diuini, respiciendum sit ad verbum Dei, propositum in S. literis, idque omnibus Doctoribus, quantumuis antiqui, sancti aut docti fuerint, aut adhuc sint esse anteponendum. Et hoc idem ad illud dictum Hieronymi de mercede Accensionis lucernarum in die responsum esto.

Præcipit Spiritus S. per D. Paulum, *vt omnia in Ecclesia ad ædificationem pietatis fiant*, 1. Cor. 14. Contra hoc mandatum facit cereorum coram imaginibus & statuis accensio, éstque ex sua ipsius natura, etiamsi ad idololatriã, non adhibeatur, opus quidem zeli sed non secundum scientiam, vt fatetur Hieronymus. Quare non est ex ea faciendum opus fidei, cui merces debeat à Domino. Quod verò Orientales Ecclesiæ, vt meminit Hieronymus, accensionem lucernarum clara die, in signum lætitię vel solennitatis, vel alterius cuiuspiam significationis gratia, vsurparunt, de eo, siquidem ad superstitionem ea non sunt abusæ, neque pauperum sustentatio per eam omissa est, Liber Reformationis nullam controuersiam mouit.

Altera pars huius Accusationis.

De peruersis ac præposteris conscientiis, facientibus peccatum, vbi nullum est, & contra.

Cap. XIX.

ALTERA reprehensio huius articuli de bonis operibus est quod Liber ponat, nos affligere & torquere nos ipsos, & alios quoque falsis peccatis, qualia sunt superstitiosa vota, peregrinationes, specialia ieiunia, oris confessio, inutilis delectus ciborum, abstinentia ab iis rebus, quibus permittente Deo posset homo & deberet frequentiùs vti.

Responsio.

HIc locus habetur in articulo de vero & legitimo vsu legis diuinæ, qui legatur totus, & apparebit istorum hominum mendacium: ibi enim sic legitur, Quando autem à lege diuina declinamus, quemadmodum, proh dolor, longo tempore hactenus à nobis factum est, admodum exiguam de peccato notitiam habere possumus, atque ita affligimus & torquemus nos ipsos, & alios quoque falsis peccatis, qualia sunt superstitiosa vota, peregrinationes, specialia & intempestiua ieiunia, oris confessio, inutilis delectus ciborum, abstinentia ab iis rebus, quibus permittente Deo posset homo & deberet vti frequentiùs.

Sic habetur in Libro. At nunquid mundus eiusmodi peruersis hominibus scatet, qui in omni infidelitate, immodestia & contra dilectionem proximi viuunt, & propterea vel parum admodum, vel nihil omnino in conscientia sua anguntur? Perseuerant enim in eiusmodi sceleribus ac flagitiis suis. Si verò superstitioso quodam voto contingat eos

esse ob-

esse obstrictos, vt propter S. Sebastianum abstinere ab esu carnium, propter S. Erasmum ab esu viscerum, & si quę alia id genus vota sunt, eueniat autem vt ea per imprudentiam violent. Item si peregrinationes soleant facere ad reliquias sanctorum & imagines, vel certis quibusdam diebus, quibus neque Deus præcepit, neque Ecclesia instituit in gratiam sanctorū ieiunare: vel aliquot rosaria, aliásque precationes ore tantum, sine intellectu & cordis attentione, recitare: vel statutis diebus ab esu carnium aut ouorum abstinere: Contingat autem, vt aliquid eorum prætermittant, etiam vbi necessitas verè bonorum ita requirit, quantoperè in conscientia sua torquentur, quàm religiosè istam prætermissionem confitentur, quàm denique graue peccatum se admisisse putant? Eiusmodi homines meritò docet, liber reprehendendos esse, & ad legem diuinam adducendos, vt ex ea discant vera peccata agnoscere, lugere, & emendare.

Quàm innumeri sunt apud Aduersarios sacrificuli, qui tam superstitiosi sunt, vt nisi horas suas ore tantum obiter recitarent, aut non raderentur, aut vnum vel alterum verbum in Canone Missæ prætermitterent, qua tamen de re Dominus nihil omnino mandauit, maximoperè in conscientia sua torquerentur (siquidem conscientiam habent) essentque hoc suum delictum summa religione confessuri? Interim verò idē hoc hominum genus conscientia admodum parum percellit, quod & contra Deum & omnes Canones ingentem præbendarum & parochiarum cumulum tenent, iisque mundanam pompam exercent, Ecclesias verò necessario suo ministerio horribiliter destituunt. Quod si superstitiosa ignorantia de discrimine peccatorum apud eos inualuit, qui & doctrina & authoritate cęteros antecellunt, quomodo non etiam plebs eadem grauiter laboraret? Huic autem iubet liber Reformationis ex verbo Dei occurrere. Quid verò in eo inest mali?

Tertia pars.

Quatenus Ieiunium sit bonum opus.

Cap. XX.

TERTIA Reprehensio huius Articuli est de Ieiunio. Dicūt librum docere ieiunium in se consideratum non esse bonum opus, & non debere cuiquam per homines imponi. Item esse superstitiosum, velle ieiunio aliquid à Deo demereri.

Responsio.

RVrsus legatur hoc loco, quid doceat liber, & inspiciatur totus Articulus de Ieiunio. In quo adductis scripturæ locis dicitur Ieiuniū esse proprietatem, promotionem, & initium seriæ orationis ad Deum, quæ fieri debet ex vera pœnitentia & dolore de peccatis, vt & cum vera conuersione ad Deum: quódque Ieiunium per se consideratum non esse bonum opus aut gratum & acceptum Deo cultum. Sic docet liber.

At cuiuis perspicuum est(Per se consideratum)hoc loco idem significare,quod (absque seria precatione ad Deum) Iam verò ne ipsi quidem Aduersarij dicent, quòd Ieiunium sine seriis precibus ad Deum,& consequenter sine dolore ac pœnitentia de peccatis, sine vera ac fideli conuersione ad Deum, sit bonum opus, & pius cultus. Quid igitur habent Aduersarij, cuius Librum Reformationis accusent.

Postea quòd ponunt Librum docere, quòd Ieiunium non debeat cuiquam per homines imponi, id penitus non habetur in Libro: sed priscos Episcopos, suos quidem diligenter ad Ieiunium cohortatos esse, sed conscientias reliquisse liberas, neque damnasse eos, qui ieiunare aut nollent, aut non possent: id quod verum esse nouerunt Aduersarij.

Non minùs improbè ab illis factum est, quod condemnant id quod Liber docet, abducendos esse homines & abarcendos ab ea opinione, qua ieiunando promereri se aliquid à Domino persuasi sunt. Nam aliquid à quopiam promereri, vt omnibus notum est, æqualem æstimationem requirit, inter meritum ipsum & id quod eiusmodi merito mercedis loco debetur: eúmque, à quo promeritum est, obnoxium reddit, id ei qui promeruit vel faciendi vel persoluendi. Deum vt exoremus oportet, idque in nomine Christi, quicquid boni nobis ab eo obtingere debet: promereri verò ab eo nihil possumus. Et quomodo superstitiosus non sit, qui eiusmodi meritum ieiunio suo,vel vlli alij operi attribueret?

Quarta Pars.

Quomodo cultus præstari possit Deo temporalibus bonis extruendo & ornando Templa, &c.

Cap. XXI.

QVARTA Reprehensio est, Quòd dicat liber, Esse superstitiosum,impium, & peruersum sacrificium, velle Deo bona offerre temporalia, pro extruendis aut dotandis, aut illustrandis aut decorandis Templis, altaribus, Monasteriis, & quicquid impensarum in ligna lapides,& ossa erogatur, &c.

Responsio.

LEgatur totus Articulus de Sacris Oblationibus, & videatur rursus quomodo Archiepiscopi sui pia scripta tam impudenter peruertãt. Liber enim sic ponit,quem locum ipsi mutilarum adduxerunt. Quapropter offerre Dei magna donaria, ad ædificanda, ornanda, & ditanda templa, altaria & monasteria vltra quàm id ad propagandam Christi Religionem conferat, idque ea falsa opinione, quasi hæc Deo multò magis grata sint, quàm si eiusmodi dona in pauperes propter Christum conferãtur,nequaquã ea sacrificia sunt,quæ requirit Deus,aut approbet,sed quis magis ira Dei prouocetur, Hac sunt ipsa libri verba.

Quibus

Quibus manifestè ea tantummodo temporaliũ bonorum oblatio reprehenditur quæ ad Templa, altaria, Monasteriáque extruenda: ornanda, & ditanda impenditur, ad veram autem Religionis Christi propagationem non confert, Atque ex ea superstitione, ac falsa opinione, quasi ea Deo multò magis accepta sit, quàm si in pauperes propter Dominum conferretur. Aduersarij verò dicunt Librum superstitionis damnare, quicquid ad Templa, altaria, & monasteria extruenda, ornanda, & sustentanda erogatur. Qua verò pietate, qua conuenienti obedientia erga suum Archiepiscopum, imò qua publica honestate & probitate id ab ipsis factum sit, vnicuilibet Christiano in promptu est videre.

Accusatio decima.

De præmio & retributione bonorum operum.

Caput XXII.

IN hoc articulo dicunt Aduersarij, Christum Dominum bonis operibus credentium promittere vitam æternam, Matth. 19. & 25. & asserunt innumera esse testimonia, quæ hanc fidem confirment, quòd Deus bona opera remuneret vita æterna.

Responsio.

COnsideret hæc testimonia quiuis Christianus, & deprehendet, Promississe quidem Christũ Dominũ omnibus iis, qui ex vera fide bona opera faciunt, quod sint in vitam & regnum Dei introituri, ac hæreditaturi, quodque ipse velit talibus vitam æternam rependere, sed tamen, vt ipsi Aduersarij fatentur, ex gratuita dignatione suæ clementiæ, & per meritum Domini nostri Iesu Christi. Hoc verè Liber apertè docet, neque eum istius doctrinæ pudet, imò iubet, vt ea diligenter exerceatur & inculcetur hominibus. Quod legatur in Articulo de bonis operibus, quæstione Quarta, vbi sic habetur.

Tertiò, Mandatum Dei est, vt amplissimæ promissiones eius omnibus prædicentur, quemadmodum ait Paulus 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, & quæ promissionem habeat vitæ præsentis & futuræ.* Et paulò posthæc verba. *Ita contra remunerat Deus opera eorum qui pœnitentiam agunt æternis præmiis.* Vnde rursus apparet quàm sine iusta causa Aduersarij Librum Reformationis insimulent. In memoratis enim verbis satis clarè expressum est, Deum opera suorum etiam in præsenti vita & æterna gloria remunerari.

Vndecima Accusatio.

De Catholica Ecclesia.

Cap. XXIII.

PRIMVM omnium oppugnant descriptionem Ecclesiæ propositam in Libro Reformationis, nempe quòd visibilis Ecclesia Dei sit congregatio illorum, qui verbum Dei nobis per Christum & Apostolos commendatum veraciter credunt, & per Spiritum

S. sunt regenerati: in quo cœtu multi manent in hac vita non renati, habentes peccata contra conscientiam, &c.

Hanc descriptionem reprehendunt Aduersarij primum in eo quod dicunt, illam viua tantùm Ecclesiæ membra complecti: imò verius esse descriptionem inuisibilis illius Ecclesiæ.

Responsio.

DEscriptio illa quæ habetur in Libro est ex S. Scripturis ad verbum desumpta, quare à nemine vituperari potest. Etenim Spiritus S. dicit, *veram Ecclesiam Dei esse Corpus Christi*, hoc est, *congregationem illorum, qui in Christo viuunt, & Christus in ipsis, quorum ipse caput est, illi verò viua eius membra, caro de carne eius, & os de ossibus eius.* Ephes. 4. & 5. Tales verò sunt soli renati. Et hanc tantum Ecclesiam intelligit Dominus, cùm inquit, Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt illi*, Iam verò quicunque renatinon sunt, illis dominantur adhuc portæ inferorum. Hæc Ecclesia est vnicus grex Christi & congregatio illarum ouium Christi, *quæ ipsum & vocem eius agnoscunt, eúmque sequuntur*, Ioan. 10. Et quid opus est multarum scripturarum citatione? Cùm fateamur in symbolo Apostolico, quod compendium est & summa scripturę, *nos credere sanctam Ecclesiam*, hoc est, *congregationem & communionem sanctorum. Nemo autem sanctus est, nisi qui viuit in Christo, & per spiritum eius sanctificatus est. Qui verò regenerati non sunt, ij Spiritum Christi non habent, & non sunt Christi*, Rom. 8. Quare neque sunt de Ecclesia & corpore Christi, etiamsi in externam communionem doctrinæ & Sacramentorum fidelibus sint in hac vita admixti, quemadmodum paleæ tritico.

Definitio Ecclesiæ sumpta ex S. Literis.

Caput XXIV.

EX his & omnibus aliis scripturis de Ecclesia Christi, quiuis Christianus liquidò cognoscere potest, S. Scripturam nihil aliud vocare veram Ecclesiam Christi, quàm congregationem renatorum: quibus tamen in hac vita per externam conuersionem & communicationem admixti sunt etiam non renati.

Hæc Ecclesia est etiam visibilis Ecclesia: Cùm enim sit congregatio fidelium: fideles autem facilè cerni possint, vt qui adhuc in hoc mundo viuunt, etiamsi de mundo non sint, consequitur, hanc Ecclesiam videri faciléque agnosci posse, nempe ex fructibus eius, vera videlicet confessione Christi, & communicatione cum omnibus membris Christi in verbo, Sacramentis & disciplina.

Mundus quidem non nouit illos, siquidem nec Deum nouit, 1. Ioan. 3. Nec possunt fideles cuiusquam cor intueri. *Homo etenim videt ea quæ foris sunt*, inquit Samuel, *Deus autem inspicit cor.* 1. Sam. 16. Adhæc non debent

Christian

Christiani quemquam temerè & antè tempus iudicare, quoad vsque *Dominus abscondita tenebrarum illuminabit, & manifestabit consilia cordium*, 1. Cor. 4. Nihilominus tamen possunt Christiani se inuicem ex fructibus fidei adeò cognoscere, vt sciant vbi Ecclesiam Christi inuenire, & cum quibus communicationem Christi seruare debeant, cum quibus verò non item. *Bona & mala opera partim antea manifesta, partim per iudicium cognoscuntur, & occultari non possunt*, 1. Timoth. 5. Quapropter cùm Ecclesiam Liber describat esse cõgregationem verè credentium Deo, non inuisibilem sed visibilem Ecclesiam Christi describit. Est igitur Aduersariorum obiectio nihil aliud nisi inanis calumnia.

Adhæc sub illa descriptione non viua tantum, vt Aduersarij cauillãtur, sed etiam mortua membra, quæ viuis adhuc in externa communicatione admixta sunt, comprehenduntur. Expressè enim positum est: In quo cœtu multi manent in hac vita non renati, habentes peccata contra conscientiam. Sed quemadmodum S. scriptura, ita etiam hæc libri Reformationis descriptio vtriusque generis membra Ecclesiæ comprehendit, idque distinctè, sicut etiam maximo à se inuicem discrimine distant. Soli enim renati sunt veri filij Dei, verus grex Christi & cõgregatio, quemadmodum ex S. scriptura probatum est. Quare ponitur in libro, Ecclesiam Dei cœtum renatorum. Quoniam verò etiam non renati falsa coram hominibus specie cum renatis externè communicant, in verbo, Sacramentis, & disciplina, ideò Liber apposuit; In quo cœtu multi manent non renati.

Quod verò Aduersarij obiiciunt: Hæc verba precedentibus esse cõtraria. Si enim Ecclesia sit congregatio illorum tantum, qui verbo Dei veraciter credunt, sũntque regenerati, quomodo possunt in eadem illa congregatione esse & manere plurimi, qui non sunt regenerati, rursus non fideliter agunt Aduersarij. Liber enim Reformationis vocabulum (tantum) non habet, sed ab ipsis appositum est. Et quamuis etiam hanc vocem addidisset, nihil tamen posuisset aut dixisset contrarium. Nam hæ duæ locutiones, quod vera Ecclesia & corpus Christi sit congregatio tantum renatorum & viuorum membrorum Christi, & quod nihilominus in isto cœtu maneant, qui regenerati non sunt iuxta se inuicem optimè consistere possunt: quandoquidem constat, scripturam hunc loquendi modum (In Ecclesia esse & manere) duplici sensu vsurpare: quorum alter est secundum iudicium humanum: alter secundum iudicium Dei.

Et iuxta primum quidem sensum, nempe secundum cognitionem hominum, inquit scriptura, Esse etiam in Ecclesia, qui falsa tantum specie, & coram hominibus veris Christi Membris, in externa communicatione Ecclesiæ sunt consociati. De talibus dicit Ioannes, *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*, 1. Ioan. 2. Quod si illi è veris Christianis & Ecclesia egressi sunt, fuerunt vtique in ea iam ante, sed externa specie & coram hominibus. Et si non fuerunt ex illis, vt Ioannes ait, nunquam etiam

rectè in Ecclesia fuerunt, nempe in veritate & coram Deo.

Eiusmodi duplicem loquendi formam vsurpat etiam Christus Dominus cùm dicit Mar. 10. *Quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haud quaquam ingredietur in illud. Quod si quis accipit regnum Dei, habet illud, & ingressus est in ipsum, sed coram hominibus. Si vero non acceperit tanquam puer, abnegatione sui ipsius, & velut gratuitum donum Dei, haudquaquam ingredietur in illud, coram Deo.*

Eodem modo dicit Dominus etiam Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit.* Item, *Qui manserit in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Si quis in me non manserit, eiectus est foràs*, &c. Quibus verbis Dominus geminam manendi in se rationem ostendit, Vnam, per quam homo perpetuò fert fructum: tales sunt renati in Domino. Alteram, qua homo nullos omnino fructus profert, quod est tantum in speciem, & coram hominibus in Domino esse, non in veritate & coram Deo.

Ex his hominibus perspicuum est, veram Ecclesiam Christi esse congregationem tantum renatorum. Nam qui regenerati non sunt, ij non sunt Christi, atque idcirco neque de Ecclesia eius. Nihilominus tamen sunt & manent inter istos renatos coram hominibus, & quantum ad externam Ecclesię communicationem pertinet, professionis Christi, & vsus Sacramentorum, etiam non regenerati.

Collegium Canonicorum Coloniæ reuera est congregatio tantùm eorum qui Domini nati sunt, & Doctorum, qui ad Obseruationem ordinationum & statutorum Collegij Colonienſis sese tradiderunt. Si verò Collegium illud cogeretur in Canonicos recipere, quicunque illud desiderarent, dominósque se ac doctores iactitarent absque vlla vlteriori probatione: quemadmodum Ecclesia recipere cogitur omnes qui se Christianos esse fatentur, & de quibus contrarium adhuc comprobatum non est: annon contingere posset, vt in hanc Canonicorum Colonienſium congregationem irreperent, qui nec nati Domini, nec Doctores essent? Quod etiamsi fieret, tales autem nondum cogniti, aut rursus è Collegio electi essent, diceretur, siquidem rectè quis loqui vellet, Collegium Colonienſe est congregatio natorum Dominorum & doctorum: etiamsi per fraudem ac falsam venditationem in Collegio esse & manere possent, qui nec nati Domini, nec Doctores essent. Sic quoniam ad Ecclesiam Christi nulli alij pertinent, nisi regenerati, in eámque nulli non renati recipiendi sint si cognoscantur, quemadmodum tales in veritate, & coram Deo in ea esse non possunt, meritò de ista Ecclesia & cœtu Dei ita etiam loquendum est, sicut coram Deo se habet, & ipse in sacra Scriptura sua ea de re loquitur, ac dicendum, Ecclesiam esse congregationem renatorum & verorum membrorum Christi, quamuis ei multi etiam non renati admixti sint.

Beatus Apostolus Paulus, cùm presbyteris Ephesinis Ecclesias commendabat, quamuis probè sciret, fieri posse vt in eis nonnulli etiam nõ renati laterent, nihilominus tamen Ecclesiæ vocabulum ad solos

renatos

renatos propriè refert, cùm inquit, *Attendite igitur vobis & cuncto gregi, in quo vos Sp. S. posuit Episcopos ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

Ad eundem modum facit etiam, cùm ad Timotheum scribit, eique munus Episcopale ritè in Ecclesia obeundum & administrandum imponit. *Hæc scribo tibi*, inquit, *sperans fore vt veniam ad te citò. Quòd si tardius venero, vt noris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & stabilimentum veritatis.*

Iam verò per sanguinem Christi acquisitum esse, gregem & domum Dei esse, columnam & stabilimentum veritatis, id regeneratis tantum propriè conuenit. Ad hunc modum veteres Ecclesiæ Christi semper crediderunt & docuerunt, quarum innumera testimonia citari possent. Verum ne humana quærantur, vbi diuina in promptu sunt, sufficiat vnum aut alterum dictum Catholicissimi Augustini adferre. Is ita scripsit: *Certè manifestum est, id quod dicitur (in Ecclesia, intus & foris) in corde non in corpore cogitandum.* Cap. vlt. lib. V. de Baptismo contra Donatistas. Item lib. VI. cap. 2. *Quisquis non habens charitatem, & perditas vias morum ingrediens pessimorum, intus videtur esse, cùm foris sit. Sic senserunt omnes Ecclesiæ Dei: ita enim docet Verbum eius.*

Cæterùm Aduersarij non tantoperè timent, ne non renatis, qui apertè iuxta carnem viuunt, communicatio Christi in spiritualibus & cælestibus bonis subtrahatur, atque in temporalibus & mundanis. Verùm sic se res habet: Solidum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, *Nouit Dominus qui sunt sui*, &, *Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Christi*, 2. Tim. 2.

Contra hoc nullum facit omnium illorum dictorum, quę sunt ab Aduersariis hoc loco adducta. Cuiusmodi est illud de area Domini, Matth. 3. & de agro, in quo zizania inter bonum semen seruntur. Item de verriculo Euangelico, Matth. 13. De decem virginibus, Matth. 25. De frugiferis & infrugiferis palmitibus in vite Christo, Ioa. 15. denique de iis qui speciem quidem & formam pietatis habent, vim verò eius abnegant, 2. Timoth. 3. Quemadmodum enim primum dictum Ecclesiam areæ seu horreo confert, in quo paleæ adhuc sub tritico latent: ita etiam fatetur Liber, in Ecclesiis Christi in hac vita malos esse bonis admixtos. Interim tamen sicut area seu horreum non palearum horreum est, sed tritici, repositorium; ita etiam in Ecclesia Christi congregatio est verorum filiorum Dei, non eorum, qui falsam tamen speciem ac formam gerunt.

Similiter, verriculum Euangelij, etiamsi in vastissimum huius mundi pelagus iniectum, malos etiam ac putridos pisces cum bonis concludit, non tamen propter malos, sed propter bonos eiicitur. Qui soli sunt captura, & pisces Christi: non autem putres, etiamsi sagena externæ communicationis adhuc teneantur comprehensi.

Sic nec stolidæ virgines, sed prudentes sunt famulæ Christi. Et palmites Christi in ipso Christo Domino, qui est vitis vera, sunt tan-

tum frugifera, non autem infrugiferi: qui non simulata tantum specie, sed reuera ipsi adhærent, in eóque viuunt. Denique ij tantum Domini sunt, qui simul cum forma vim quoque pietatis habent: non autem, qui solam tantummodo formam habent, vim verò ipsam abnegant.

Adhuc vnum dictum allegant Aduersarij, Matth. 13. de agro, in quo zizania seminantur inter triticum, Et agrum assimilant Ecclesiæ. Verũ Christus, qui est melior suorum verborum interpres, dicit, Mundum, non Ecclesiam esse agrum: quamuis eodem loco quoque dicat, Angelos in consummatione huius seculi omnia offendicula, omnésq; qui iniquè operantur, congregaturos ex regno suo, & missuros in caminum ignis. Illa vera scandala, & ij qui iniquè operantur, sunt, vt inquit Dominus, filij illius mali, diaboli, Bonum verò semen sunt, filij regni. Ergo & ex hoc dicto perspicuum est, dicendum esse, quod Ecclesia, quæ est regnum Christi, sit congregatio filiorum Dei, qui regenerati sunt: non autem etiam filiorum diaboli, sed quod ij quidem in præsenti vita inter filios Dei per diabolum seminentur.

Hactenus de prima parte huius Articuli, & de ea quæstione, Quinam reuera sint de Ecclesia Christi, aut non? Ex quo Articulo Aduersarij multa absurda, & Ecclesiæ Christi periculosa adducere solet. Quare debent Christiani, quò ad hunc Articulum, verbo Dei seipsos probè munire: quæ causa fuit, vt tantò etiam copiosiùs ea de re scripserimus.

Secunda pars.

De signis Ecclesiæ.

Cap. XXV.

ALTERA pars huius Accusationis circa præsentem articulum est de signis & notis monstrantibus Ecclesiam: quibus cognosci potest, quinam cœtus sit vera Ecclesia Christi: cui se adiungere debeat omnis Christianus in communicatione Christi, qui in talem cœtum vel fortuitò venit, vel in eo moratur.

Hoc loco quatuor sunt quæ reprehendunt Aduersarij. Primum est, Librum Reformationis ponere tria signa, cùm sint quatuor. Secundũ, Librum ponere tertium signum, cùm tamen cum primo planè sit idem: atque hoc modo duo tantum manere signa. Quartum, Quod etiam de primis duobus non rectè doceat.

Responsio.

QVò ad primum huius Accusationis caput solidè respondeatur, animaduertendum est. Cùm vnicuique Christiano necessarium sit, vt vbicunque locorum existat, vbi Ecclesia Christi est, ei sese adiungat, eámque audiat. *Qui enim Ecclesiam Christi non audit, is à Christianis*

vt

vt Ethnicus & publicanus habendus est. Matth. 18. Idcircò necesse est Christianos habere sua certa iudicia, quibus veras Ecclesias Christi cognoscere, & ab aliis sectis Iudæorum, Turcarum, & hæreticorum discernere ac dignoscere queant falsas sectas & hæreses, vitare, veræque seipsos Ecclesiæ Christi adiungere.

Hæc autem signa ex S. scripturis, non ab hominibus petenda sunt. Solus Spiritus Dei nouit Ecclesiam suam, eámque nobis certò monstrat. Sic autem legimus in S. literis Matth. vlt. Christum Dominum, cũ iam esset ascensurus in cœlum, dixisse ad discipulos suos, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque præcepi vobis. Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Ephes. 4. docet nos scriptura in hunc modum: *Ecclesiam esse corpus Christi, & talem membrorum eius cœtum & collectionem, hoc est, renatorum filiorum Dei, vt Christus Dominus noster, quando ascendit in cœlos, alios quidem dederit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ad compactionem & coniunctionem sanctorum in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in vnitatem fidei, & cognitionis filij Dei.*

Hæc verba clarè testantur, Vnumquémque cœtum, qui est vera Ecclesia & congregatio Christi, debere puram habere & synceram Euangelij doctrinam per quam perpetuò ædificetur ad vnitatem fidei & cognitionis Christi, quæ ex auditu Euangelij prouenit, & corroboratur, Rom. 10. Mandauit enim Dominus, Ecclesias suas prædicatione Euangelij colligere, & baptizatos perpetuò docere seruare, quæcunque ab ipso præcepta sunt: id quod homo omnibus diebus vitæ suæ absolutè perdiscere potest, antequam id in regeneratione ætatis plenè adultæ Christi percipiat & assequatur. Quamobrem voluit Dominus ipse esse nobiscum, tanquam caput cum suis membris, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.

Sic igitur apparet primum signum omnium verarum Ecclesiarum Christi esse synceram doctrinam Christi, & sacrosancti Euangelij. Quę vbi non est, ibi nulla est Ecclesia Christi. Christus enim qui caput est non reliquit aliis suos: id quod citata scripturarum loca, & alia quàmplurima manifestè testantur: inprimis verò, quæ promissionem Domini nobis de Spiritu S. nobis proponunt, quem pollicitus est Ecclesiis suis alterum paracletum, Magistrum & Doctorem, qui eos omnia docere, omniáque quæ vnquam illis dixit, in memoriam reuocare, denique in omnem veritatem inducere debeat.

Quicunque igitur cœtus aliam doctrinam, & aliud Euangelium habet præter id, quod mandauit Dominus, anathema est, & non cœtus Christi, sed Antichristi 1. Gal. 1. Ioan. 4. Primum igitur ac principale Christianæ congregationis indicium est, vera sana, & stabilis doctrina, ac prędicatio Euangelij.

Iam verò in commemoratis verbis Domini Baptismi quoque mẽtio-

facta est, *Baptizate eos*, inquit, *in nomine Patris, &c.* Et Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ioann. 3. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Vnde patet, Baptismum quoque verum esse indicium Ecclesiæ Christi, per quem homines Deo in regnum suum regenerantur. Ioan. 3. & Christo Domino incorporantur. *Etenim per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus*, 1. Cor. 12. Vnde & Ephes. 4. vbi proprietas & vnitas Christianæ Ecclesię plenissimè descripta est, sic legitur, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus.*

Sic apparet Baptismum quoque certissimum esse signum cœtus Dei, cum doctrina tamen coniunctum, Christus enim Baptismum doctrinę includit. Cùm enim dixisset, *Docete, & facite mihi discipulos omnes gentes*, statim subiungit *Baptizate eos*, & rursus: *Docentes eos seruare, quæcunque præcepi vobis.* Quicūq; igitur cœtus hominū vna cū vera doctrina Christi S. Baptismū legitimè vsurpat, is certò est Ecclesia Christi. Cōtrà qui eum non rectè vsurpat, non est Ecclesia nec sponsa Christi. Ordinationem enim Christi non seruat, id quod vera sponsa Christi ex destinata voluntate & præsumptione in nullis rebus facit, nec facere potest; illud enim sacra Scriptura appellat Fornicari à Domino.

Ad eundem modum & Sacramentum quoque corporis ac sanguinis sui Christus Dominus discipulis suis instituit, & vsurpandum commēdauit. *Bibite ex eo omnes*, inquit. *Et facite hoc in mei commemorationem*, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. Itē: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus; nam omnes ex eodem pane participamus*, 1. Cor. 10. Ex his consequitur, communionem S. Cœnę Domini quoque esse certum indicium Christianæ Ecclesiæ, modò, sicut Baptismus, cum syncera doctrina Euangelij coniungatur, Dominus enim dicit, *Hoc facite in mei commemorationem.* Et Paulus, *Quotiescunque de pane isto comederitis, & de poculo isto biberitis, mortem Domini annuntiate, procul dubio cum incarnatione eius, Doctrina, Resurrectione, Ascensione in cœlos, & omnibus ijs, quæ pro nobis factus & passus est: quæ nobis fecit & dedit, & adhuc quotidie facit & dat, & posthac facere & dare vult*, hoc est, cum omnibus, quæ in sacrosancto Euangelio nobis annuntiantur.

Hæc duo sacramenta commendauit Dominus ipse vniuersæ Ecclesiæ suæ, quemadmodum scriptura & antiqua Catholica & Apostolica Ecclesia testatur. Quare solent vtraque simul comprehendi, ad constituendum alterum signum verè Christianorum cætuum. Nulla enim vera congregatio Christi esse potest, quæ non post & cum vera doctrina verum quoque & legitimum amborum sacramentorum vsum sit obseruatura. Omnis enim vera congregatio Christi mandatum capitis ac sponsi sui diligentissimè obseruabit. *Quicunque enim Dominum diligit, mandata eius obseruat*, &, *Oues Christi nouerunt vocem Pastoris sui, & sequuntur eam*, Ioan. 10. Omnes igitur cœtus qui vtrumque sacramentum, post & cum syncera Euangelij doctrina rectè & legitimè vsurpant, sine dubio sunt pro Ecclesiis Christi agnoscendi: Qui verò secus faciunt, non sunt Ecclesiæ Christi.

Tertiò:

Tertiò. Quò copiosior pietatis fructus per doctrinam & sacramenta ac quiratur, & quotidie vitę emendatio in omnibus fidelibus efficaciùs prouehatur, hoc quoque mandatum dedit suis Dominus, vt se inuicem ex vero amore tanquam fratres, & membra corporis sui agnoscant, & sese coniungant, ordinariè ad doctrinam, sacramentorum administrationem, Orationem & oblationem Eleemosynarum conueniant, vtque in talibus conuentibus omnia summa cum religione, pia diligentia, atque eleganti ordine, ad ædificantium præsentium peragantur: Ad hæc vt præter priuatam admonitionem fraternam, & correctionem eorum qui lapsi sunt, publica quoque pœna & excommunicatio in eos exerceatur, qui illi iuxta verbum Dei obnoxij sunt: ídque ea ratione & modo, quo ędificari & emendari possint ij, qui vel puniri vel excommunicari debent. Prętер hęc omnia, quoniam à nobis requirit Dominus, vt nos inuicem non verbis in lingua, sed reipsa & in veritate amemus, dabit quoque operam vera Ecclesia Christi, ne quis in ea patiatur rerum necessariarum defectum, quemadmodum Dominus veteri populo mandauit, Deut. xv. Equidem dixit Dominus, *Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos mutuo sicut dilexímus, vt & vos diligatis vos mutuo.* In hac cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter vos mutuam. Ioan. 13. Hæc mutua dilectio facit, vt Christiani non solùm libenter in Domino sępe conueniant, quandocunque id commodè possunt, verumetiam vt fidelem operam dent se inuicem in Domino ædificandi, omnibúsque rebus necessariis tam spiritualibus quàm corporalibus iuuandi. Sic enim nos dilexit Christus Dominus, & ita nobis inseruit. Huc igitur pertinet illud quoque, quod Dominus post lotionem pedum dixit, *Vos vocatis me Magistrum ac Dominum, & benè dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, vos quoque debetis alij aliorum pedes lauare,* hoc est omnia ędificationis officia, tam spiritualia quàm corporalia, pręstare, quantumuis illa sint vel magna vel exigua, Matt. 18. Sic inquit, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si verò te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut alterum, vt in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. Amen amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo. Rursus dico vobis, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est: vbi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio illorum.*

In his verbis Domini habemus primùm charitatem fraternam, si peccauerit, inquit, frater tuus, Deinde fraternam & priuatam correptionem: si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Item, si non audierit te, adhibe tecum adhuc vnum aut alterum. Tertiò, conuentum fratrum in Domino, si non audierit illos, dic Ecclesiæ. Ad quod sanè perficiendum, oportet vt sit Ecclesia congregata & collecta. Quartò, ordinem antistitum & pręfectorum in Ecclesia,

qui nomine totius Ecclesiæ peccatorem arguere debent, si non audierit Ecclesiam. Tota enim Ecclesia simul non potest vnum peccatorem admonere & reprehendere, sed oportet vt id faciant ordinarij Antistites Ecclesiæ. Omnia enim ordine & decenter in Ecclesia fieri debent. In eo quoque, quod dicit si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Item, vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, &c. Quintò, Excommunicationem, *si non audierit Ecclesiam, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.* Sextò, Potestatem Ecclesiæ: *quicquid ligaueritis in terra*, &c.

De hac proprietate Christianorum cœtuum, piorum conuentuum ad doctrinam, admonitionem, laudem Dei, orationem, correctionem & excommunicationem, & quemadmodum hæc omnia decenti ordine, & ad communem fidelium ædificationem exerceri debeant, Spiritus sanctus cùm alibi, in tota scriptura id multipliciter docuerit, tum verò maximè ac præcipuè huius negotij meminit. 1. Cor. 5. 11. & 14. In quinto capite requirit Spiritus S. vt tota Corinthiorum Ecclesia conueniat, cũ is qui nouercam suam pro vxore habuerat, esset excommunicandus & tradendus Satanæ. In 11. verò postulat, vt tam viri quàm mulieres decente habitu in Ecclesia compareant: ad sacram Domini Cœnam alter alterum expectet, eámque in commune in vera charitate & vnanimitate celebrent. In 14. vult, vt homines frequenter conueniant, & in congregatione fidelium, verbum Dei ad doctrinam, admonitionem, & consolationem, hymnorum quoque cantationem, & precationem, exerceant, idque intelligibiliter eleganter & ordine, vt ad ædificationem totius Ecclesiæ conducere possit. Heb. 10. sic dicitur de congregationibus & conuentibus. Consideremus nos inuicem, in hoc vt prouocemus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostri mutuã, sicuti mos est nonnullis: sed adhortantes inuicem, idque hoc magis, quòd videtis appropinquantem diem.

Exempla talium congregationum & conuentuum ad doctrinam, hortationem, Psalmorum decantationem, orationem, oblationem, correctionem & excommunicationem, plurima habemus in sacris literis, eáque admodum insignia cùm in veteri tum in nouo testamento, quomodo Christus Dominus ipse, statim in Ecclesia sua Hierosolymam in Ecclesiam Dei, ad orationem, verbum & oblationem primò fuerit adductus, postea verò ipse cum suis in omnibus festis apparuerit, quomodo vbique in sabbathis synagogas frequentârit, in eis sacram scripturam legerit, & explicuerit, ex iisque populum & docuerit & admonuerit.

Huius meminerunt omnes Euangelistæ. Sic in principio Ecclesię Christi, cùm Dominus iam in cœlos ascẽdisset, narrat Lucas Euãgelista, quomodo Apostoli vnà cùm mulieribus, matre Domini, & fratribus eius, fuerint in vnum collecti, & perseuerauerint in deprecatione & obsecratione: item quòd electio Matthæi in Ecclesia congregata & collecta facta fuerit Act. 1. item quomodo Apostoli & discipuli Domini in die Pentecostes etiam in Ecclesia ad orationem collecta, Spiritum Sanctum acceperint: ac postea quotidie frequentes ad precandum in templo conuenerint,

uenerint: panem per singulas domos fregerint, omnia communia habuerint, vnicuique denique quantum sua exigebat necessitas, subministrauerint. Act. 7. Cuius rei Euangelista tertio quoque & quarto cap. mentionem facit, & testatur, multitudinis credentium cor vnum & animam vnam fuisse, & cap. 5. commemorat Euangelista, quomodo Petrus Ananiam & vxorem eius verbo interfecerit. Et 6. quomodo Apostoli simul cum tota multitudine discipulorum septem diaconos ad procurationem viduarum & egenorum elegerint. In 13. quomodo à multitudine collecta ieiunia & orationes habitę sint, cùm Paulus & Barnabas in Apostolos gentium ordinandi & emittendi essent. In 15. quomodo disputatio de ceremoniarum Mosaicarum obseruatione coram tota fidelium multitudine collecta habita fuerit. Denique in 20. quomodo Paulus coram tota multitudine se purgare coactus fuerit, de eo, quod accusabatur, quasi Iudæos inter gentes doceret legem Mosis non obseruare. Talibus exemplis vt dictum est, Scriptura & in veteri & in nouo Testamento scatet.

Et quoniam Domino sic placuit, suos quasi membra compingere, & opus ædificationis ipsorum omnium per eos omnes efficere, vt elegantissimè Paulus id describit Rom. 14. & 1. Cor. 12. & Ephes. 4. Veteribus eiusmodi conuentus ad orationem, ad oblationem, correctionem & excommunicationem seueriſſimè mandauit, adeò vt excisurum se è populo suo minatus sit omnem qui eiusmodi conuentus negligeret, Genes. 17. Exod. 12. & 13. Leuit. 33. & aliis quàmpluribus locis.

Ex his omnibus clarum est videre, Christianis maximè proprium esse, vt vbicunque conuenire possunt, arctissimam & fidelissimam communionem inter se exerceant, suósque ordinarios conuentus, simul in Domino celebrent, ad audiendum verbum, ad orandum, ad laudandum Deum, ad offerendum pro pauperibus, ad recipienda sacramenta, ad correctionem & excommunicationem: idque totum ardenti & inflammato studio, summa religione, modestia & obedientia.

Hæc igitur communicatio & disciplina tertium signum est Christianorum cœtuum, nulla enim vera congregatio Christi esse potest, quę hanc à Christo traditam & institutam ordinationem ac disciplinam deserit. Quicunque igitur cœtus hanc communicationem & disciplinam rectè obseruat, hoc est, iuxta verbum Dei is reuera est Ecclesia Christi. Notandum verò quod dicitur, iuxta verbum Dei, Nam & Turcæ, & Iudæi, & hæretici, suam quoque communicationem, suos ad religionem peragendam conuentus, & sæpenumero seueram disciplinam exercent, sed non iuxta verbum Domini.

Porrò cum doctrina & adhortatio, vsus Sacramentorum, disciplina & alia Ecclesię exercitia ordine ac decenter fieri debeant, & semper ad ædificationem fidei in Christum, requiritur ad hoc, vt singulis Ecclesiis Christi sui constituantur idonei, fideles & probati & inculpati presbyteri atque diaconi, vtque his totæ ecclesiæ, & singuli

in iis homines debitum & conuenientem honorem exhibeant, & obedientiam spontanei præstent, id quod Christi Matthæi, Marci & Ioannis vlt. mandauit, & Apostoli diligenter obseruarunt, aliósque obseruare docuerunt, Act. 1. 6. 13. 14. Rom. 12. 1. Cor. 3. 4. & 12. Ephes. 4. 1. Thess. 2. & 5. in epistolis ad Timoth. & Titum per totum, Heb. 13. Hæc verò Christianorum cœtuum proprietas, comprehensa est in memoratis tribus veræ Ecclesię signis. Nam quemadmodum Doctrina, sic etiam sacramenta & disciplina, suas requirunt ordinarios ministros, per quos iuxta mandatum Domini rectè administrari, dispensari, & perfici possint. Ad hæc eiusmodi ministerium, siquidem ædificationem operari debeat, postulat, vt tanquam Christi ministerium agnoscatur, & in honore ac precio habentur.

Sic apparet omnia vera Christianorum cœtuum indicia, quibus vnaquæque Ecclesia in memoratis tribus Ecclesiæ signis esse comprehēsa.

Verùm si singulas Christianæ Disciplinæ & Oeconomiæ partes quis seperatim numerare vellet, posset tertium signum Christianæ notitię, disciplinę & obedientiæ, bene in decem alia transfundere. Vt primum esset, Confessio, & initialis sui ipsius in communionem & obedientiam Christi, atque ecclesiæ eius traditio. Secundum, Sacri conuentus, Tertium Presbyterorum & ordinariorum ministrorum constitutio. Quartum, Ordinatio temporum in Domino conueniendis diebus vel festis. Quintum Scripturarum lectio & interpretatio. Sextum, Precatio, & Psalmorum decantatio. Septimum, Communis oblatio pro pauperibus. Octauum, Publica & ordinaria pauperum procuratio. Nonum, Priuata & publica peccatorum redargutio. Decimum, Excommunicatio obstinatorum, qui apertè peccare, & Ecclesiam offendere pergunt.

Hæc equidem omnia mandauit & instituit Dominus Ecclesię suę. Quapropter vera Ecclesia Dei, quæ à Christo Domino & sponso suo non fornicatur, verbúmque eius non deserit, his omnibus summa fide ac diligentia studebit. Quæ verò id facere negligit, eo ipso demonstrat, se non esse Ecclesiam & sponsam Christi. Etsi enim in eiusmodi lapsis Ecclesiis, quales temporibus Prophetarum erant, & adhuc hodie, proh dolor! sunt, semper multa adhuc reperiantur vera Ecclesię Christi membra: Euangelium quoque, Baptismus, & alia multa, à Christo Ecclesiis suis ordinata & instituta, ibi exerceantur, & ad salutem piorum efficacia sint, quatumuis malè interdum administrentur, tamen quoniam memorata mandata & ordinationes Domini nō publico & communi studio obseruant, Ecclesias Christi se esse gloriari non possunt. *Qui enim dicit quod nouerit Christum, præcepta verò eius non seruat, mendax est, & veritas in eo non est.* 1. Ioan. 2. Adhæc oportet vt verbum Domini verum sit, qui dicit, *Oues suas audire vocem eius.* Ioan. 10. Sic etiam vera Ecclesia Christo capiti & sponso suo verè subdita est, amat ipsum, & custodit verbum illius. Quod quicunque populus aut cœtus non facit, quicquid is de Deo doceat, quamuis sacramenta percipiat, aut alia etiam à Deo tradita & commendata faciat, populum tamen aut cœtum Dei esse Prophetæ negant, quin potius testantur, populum esse deficientem

& for-

& fornicantem à Deo.

Hęc omnia in libro Reformationis compendiaria ratione(ſicut & alij articuli, & eiuſmodi libri proprietas requirit) plenè tamen & expreſsè commemorata & tradita ſunt, id quod videre licet in articulo De Eccleſia. Adhæc nullum eſt ſignum Eccleſiæ in vniuerſa ſcriptura traditum, quod non ſit in tribus enumeratis indiciis comprehenſum.

Prętera ſcriptura certum numerum proprietatum & ſignorum Eccleſię nullibi expreſſit. Poſſent omnes comprehendi vel ſub vno tantũ, Communione videlicet Chriſti: vel ſub duobus, Doctrina & ceremoniis, vel ſub tribus, Doctrina, Sacramentis, & Diſciplina. Vel ſub quatuor, Doctrina, Sacramentis, conſtitutione miniſtrorum, & antiſtitum Eccleſiæ, obedientiáque reliquę plebis: vel pluribus adhuc diſcriminibus & lectionibus diſtingui, modò memoratæ proprietates & notæ omnes comprehendantur, nec vlla omittatur.

Ex his omnibus clarum eſt, librum Reformationis propterea quòd proprietates & certa indicia Eccleſię Chriſti, ſub tribus enumeratis nõtis complexus eſt, ſine cauſa reprehendi. Nam S. ſcriptura, quemadmodum demonſtratum eſt, nullam omnino proprietatem aut ſignum Eccleſię Chriſti commemorat, quod non in tribus iſtis includatur, & in libro quoque diſertè & expreſsè ponatur.

Et hactenus ad primam partem ſecundæ Accuſationis reſponſum eſto.

Tria Eccleſiæ ſigna.

Cap. XXVI.

POrrò quod criminantur, tertium ſignũ cum primo planè idem eſſe, cùm primum ſit doctrina: tertium verò Doctrinæ confeſſio, ad hoc reſpondetur. Liber Reformationis non tantùm Doctrinæ confeſſionem ponit tertium Eccleſię ſignum, ſed confeſſionem veræ doctrinę in inuocatione, & aliàs, quando Confeſſio requiritur, vnà cum Chriſtiana diſciplina, & obedientia: id quod in ſequenti Articulo de Vnitate Eccleſiæ copioſiùs declaratur. Hæc ſanè non ſunt eadem cum Doctrina.

Sed ſit ſanè ſ lam Doctrinæ confeſſionem eſſe poſitam, non tamen eſſet vnum & idem cum doctrina indicium. Fieri enim poteſt, vt in aliquo cœtu doctrina rectè & legitimè adminiſtretur, ille tamen cœtus nõ ſit Eccleſia Dei, hanc ſolam ob cauſam, quod publicam doctrinæ confeſſionem & executionem non habet. Quemadmodũ ſępè inter Iudæos contigit, qui temporibus Prophetarum per Prophetas, temporib. Chriſti & Apoſtolorum per Chriſtum & Apoſtolos ſynceram doctrinã Dei habebant. Quoniam verò publicè, hoc eſt, Ordinarij magiſtratus, ſacerdotes, Prophetæ, Seniores & maior pars populi ſanam doctrinã non recipiebant, non confitebantur, Deum non inuocabant, in obedientiã legis vel Euangelij ſe non tradebãt, iam cœtus eorũ nõ erat eccleſia Dei,

& sponsa Christi, sed quemadmodũ Prophetæ, Christus & Apostoli eos reprehendũt, populus Sodomæ & Gomorrhæ, meretrix & adultera, quæ à Messia desciuerat. Es. 1. & passim in Prophetis. *Non Israel, non filij Abrahæ, aut Iudæi, sed genimina viperarũ, & filij diaboli.* Matt. 3. 23. Ioan. 8. Rom. 2. & 9. Etiamsi Dominus semper vt temporib. Heliæ, in tali Ecclesiarum deuastatione multa adhuc millia in vera fide conseruauit, verámque cõmunionẽ inter eos habuit, latenter tamen & sparsim, non vt ecclesiã, h. e. publice collectã. Hoc autẽ loco de externis & visibilibus Ecclesiis Dei agitur, quib. se Christiani adiungere, quáque audire debeant. Quemadmodũ igitur apud Iudæos in publica religionis administratione, apud ordinarios Sacerdotes & Prophetas, vera & visibilis Ecclesia Dei non erat, sed potius verarũ Ecclesiarũ & mẽbrorũ Christi persecutio, id quod spiritus S. per Ieremiam, Ezechielem, & alios Prophetas in plurimis locis testatur ac deplorat: sic etiamnũ in Christianismo plurimis in locis cõtigit, & adhuc quotidie cõtingit, vbi tamẽ aliquãdo fuerũt florentissimę & celeberrimæ Ecclesię Christi. Quamobrẽ in omni vera Ecclesia Christi præter purã doctrinã & Sacramenta, publica quoque professio doctrinæ, cum vera inuocatione nominis diuini, & traditione in omnem disciplinam & obedientiam Christi, necessariò requiritur, quemadmodum liber Reformationis docet. Quapropter & hac in parte Accusatio Aduersariorum otiosa & inanis calumnia est.

De vinculis Vnitatis & Vniuersitatis.

Cap. XXVII.

Ertiò dicunt in præsenti Accusatione Aduersarij, librũ Reformationis duo præcipua Ecclesię signa silentio præteriisse, Vinculum vid. vnitatis & pacis: & deinde Vniuersitatem: quia nempe diffusa est Ecclesia, & diffundi atque ampliari debet, per omnia loca ad fines vsq; orbis terrarũ.

Responsio. Et primum de vinculo vnitatis & pacis.

Vbicunque vera professio, pura doctrina, disciplina & obedientia Christi viget, in omnib. iis quę Dominus & mãdauit & docuit, nunquid ibi vinculũ vnitatis & pacis Christianę desiderari potest? Quid enim aliud est vinculũ vnitatis, quã vera fides, & vera dilectio Christi, per quã quiuis fideliũ ad Euangeliũ, & in cõmunicationẽ Christi, cũ omnib. mẽbris, quæ vnquã fuerunt, adhuc sunt, & deinceps futura sunt, profitetur, séque ipsum in omnẽ obedientiã Euangelij tradit: ad doctrinã, admonitionẽ, & correctionẽ Christi ab omnibus Christianis, pręcipuè verò à præpositis Ecclesiæ, vera humilitate suscipiendũ, eíque per omnia obtemperandum? Quemadmodũ liber Reformationis hæc omnia expresè docet. Iam totum hoc in vera Christianæ doctrinæ confessione, vnà cũ disciplina & obedientia comprehensum est: quam liber Reformationis ponit tertium signum Ecclesię. Rursus igitur iniuriam ei faciunt Aduersarij, dicendo quòd tertium Ecclesię iudicium prętermiserit.

Cæterùm de quarto eorum signo, quod ponunt Vniuersitatẽ prolixius agendũ est. Si. n. vniuersitas illa sic intelligatur, quẽadmodũ Aduersarij exponũt, pro diffusũ esse per omnia loca ad fines vsq; orbis terrarũ,

tunc

tunc Satanæ quoque cœtui hoc signum conueniret: nam & ipse suos habet per omnia loca, quàm latè hic orbis patet, hinc inde dispersos. Ipsi verò cum turba sua hoc eodem signo carerent, propterea quòd eorum ritus non vbique per totum orbem obseruantur.

Si verò Vniuersitatem ita intelligunt: Quod oporteat omnem Ecclesiam Christi in obseruatione religionis congruere cum omnibus hominibus per totum mundum, quàm latè hic orbis patet, qui de nomine Christi gloriantur, rursus consistere nequit, vt vniuersitas ista sit iudiciũ verarũ Ecclesiarũ Christi. Etenim iamdudũ religionis negotiũ apud plurimas gentes in hoc mundo eò peruenit, vt ne ipsi quidem Aduersarij dicturi sint. Eum cœtum non esse Christianam Ecclesiam, qui in obseruatione religionis cum illis populis non conueniat. Cùm igitur neque hominum, neque administrationis in toto mũdo vniuersitas proprietas Christianę Ecclesię esse possit, quẽadmodũ Aduersarij ipsi fatentur, viderint ipsi, quomodo vniuersitatem Ecclesiarum Christi iudicium constituere, & quomodo eam intelligere velint.

Verũ quidẽ est, Dominus emisit Apostolos suos in vniuersũ orbẽ, ad oẽs gẽtes, iussitq; eos *Euãgeliũ, pœnitẽtiã & remissionẽ peccatorũ annũtiare omni creaturæ, ac testes sibi esse, vsq; ad finẽ orbis terrarũ*, Matt. Marc. Luc. vlt. Act. 1. Ad hęc temporib. Pauli Euangelium iam fructum protulerat in vniuerso mũdo, Col. 1. *Quamobrẽ pater Christo filio suo statim post exaltationẽ eius, cœpit omnes gẽtes tradere in hæreditatẽ, & omnes fines terræ in peculiũ: adeo vt vbique in nationibus totius orbis Ecclesiæ Christi extiterint.* Vnde etiã populus Christi per totũ orbẽ diffusus & dispersus, Catholica Ecclesia à Patribus appellatur. Nó quod oporteat eã omnibus tẽporibus inter omnes gẽtes, & omnib⁹ in locis esse visibilẽ Christianã Ecclesiã: sed quod nõ amplius vni tãtũ populo propria sit, quẽadmodũ ante aduẽtũ Christi populo Iudaico: sed cõmunis omnib⁹ populis, quos Dominus ad sui cognitionem vocat: quódque suo tempore vsque ad fines mundi inter omnes nationes sese expandere & dilatare debuit, quod & factum est.

Ab initio enim tantũ erat Hierosolymis: inde primũ omniũ in Iudęã, deinde in Samariã, & alias nationes diffusa est, quẽadmodũ id Lucas in Actis commemorat donec in omnibus fermè pręcipuis nationibus huius mũdi veræ & visibiles fuerint Ecclesię Christi, & ciuitas Dei super mõtẽ ædificata, fuerit ab omnibus & vbiq; cõspecta. Cæterũ per Mahometũ, & omnes qui à puro Euãgelio, legitimo vsu sacramẽtorũ, vera cõfessione, disciplina & obedientia Christi defecerũt, aliósque secũ in errorẽ abduxerunt, innumeræ rursus Ecclesiæ in Oriẽte, Aphrica, Græcia, & multis aliis locis dissipatę & extinctæ sũt, regnũq; à multis populis, qui fructũ suũ nõ attulerũt, rursus sublatũ est, adeo vt vera & Catholica visibilis Ecclesia rursus apud paucos populos emergat & inueniri possit. Quamobrem Vniuersitas illa per omnia loca, quàm latè hic orbis patet, diffusa, non potest esse verarum Christi Ecclesiarum indicium.

Hoc autem sensu Vniuersitas verum est ac certum Catholicarum Ecclesiarum Christi iudicium, quòd oportet, vt omnis vera Ecclesia Christi realem & efficacem communicationem habeat, in tota doctrina Euangelij, in sacramentis, confessione, disciplina & obediẽtia Christi, quã Dominus mãdauit & instituit, cũ omnibus Ecclesiis Christi, quę in toto

orbe ab initio fuerunt, adhuc sunt, & deinceps futuræ sunt.

Quare Vincentius Lirnienſis Episcopus, Libro aduersus prophanas Nouationes Catholicum rectè describit, dicens, *Id esse quod vbique, quod omnibus temporibus, & ab omnibus*, intellige Christianis, *creditum est*. Hoc est, inquit, verè Catholicum.

Hæc vniuersitas in omnibus tribus Ecclesiæ signis, quæ liber tradidit, comprehensa est, præcipuè verò in tertio, confessione videlicet Christianæ doctrinæ, & traditione in totam communionem & obediẽtiam Christi. Per hanc enim veri Christiani, & veræ Ecclesiæ Christi, se in Christo Domino cõiungunt, vt vera ipsius membra: sũtque vnum, sicut ipse & Pater vnum sunt, cum omnibus, qui vnquam membra Christi fuerunt, vel adhuc futuri sunt in vniuerso mundo.

Manifestum igitur est, tertiam reprehensionem in hac secunda huius articuli parte esse meram cauillationem.

De doctrina sine Scripto Ecclesiæ tradita.

Cap. XXVIII.

QVARTA reprehensio secundæ partis de signis & notis Ecclesiæ hæc est, Quod Aduersarij dicunt, Primum Ecclesię signum non esse plenè traditũ: propterea quod Ecclesia vult scripturam intelligi debere secundùm traditionem & intellectum vniuersalis Ecclesiæ: similiter vnitatem exigat & cõcordiam, non in dogmatibus tantum scripturæ, sed etiam in traditionibus, quas nullis scriptis in mysterio ab Apostolicis viris recipimus.

Responsio.

LIber dicit, Primum Ecclesiæ indicium esse veram doctrinam, per Christum & Apostolos in Euangelio, vero intellectu traditam. Et paulò pòst: Vnitas Ecclesiæ consistit in consensu de doctrina Euangelij, & vero eius intellectu. Quibus verbis verus Euangelij intellectus vnà cùm ipso Euangelio coniunctim commemoratus est, qui tantummodo per Christum & Apostolos eius à principio traditus, & ab Ecclesia, vt Catholica traditio conseruatus est. Ad hæc cùm in libro & hoc quoque positum sit. Doctrina per Christum & Apostolos Ecclesię vero intellectu tradita, in eo sanè comprehenduntur omnes Christianæ doctrinæ, quæ vnquam Ecclesiis vel scripto, vel sine scripto à Deo traditæ sunt. Quæcunque enim traditiones ad verum Euangelij intellectũ nec pertinent, nec conferunt, tales nec à Deo proficiscuntur, neque per Christum & Apostolos traditæ, atque idcircò nec Christianæ traditiones sunt.

Sic apparet hanc quoque Aduersariorum reprehensionem ratione carere. Verum de his duobus capitibus, nempe dogmatibus Ecclesiarum, & de intellectu scripturarum nullis scriptis ab Apostolis in mysterio Ecclesiis tradito, copiosiùs dictum est in responsione facta ad duas priores huius Accusationis partes.

Tertia

Tertia Pars huius vndecimæ Accusationis.

De aliis signis Christianæ Ecclesiæ videlicet Sacramentis.
De septenario numero Sacramentorum.
De Sacramentis in genere.

Cap. XXX.

TERTIA principalis Accusatio in hoc articulo de Ecclesia, & vnitate Ecclesiæ, est de secunda nota Ecclesiarum Christi, nempe de Sacramentis. Et hîc quatuor reprehendunt Aduersarij, Primum est, Librum Reformationis septenarium numerum sacramentorum negligere, & ponere tantum binarium, reliquis verò quinque sacramentis derogare, quod à Domino instituta & præcepta sint. Alterum, Quod Liber extremam vnctionem penitus abradat. Tertium, Quod neget ordinationem esse opus solius episcopi. Quartum, quod vniuersalem formam laudabiliter huc vsque in administratione sacramentorum seruatam mutet in vniuersum.

Responsio.

PRimum omnium ponunt Aduersarij: in Catholica Ecclesia ad hæc vsque tempora de sacramentis traditum fuisse, quòd sint inuisibilis gratiæ visibilia signa, à Christo aut Apostolis ex ipsius mandato instituta, quódq; sint eorũ septẽ præcipua, &c. Librũ verò ponere tantũ duo.

Ad hoc respondetur: Quantum attinet ad descriptionem sacramentorum, quam adducunt: idem continetur in Libro, quod in descriptione, ídque copiosè tractatum, & clarè expressum habemus mandatum Domini. Sed de hoc paulò pòst dicendum erit.

Septenarium verò Sacramentorum numerum S. scriptura nullibi docet, quemadmodum nec antiqui patres. Quod verò Aduersarij nituntur eum quibusdam scripturis probare, inspiciantur illæ, ac simul teneatur Aduersariorum definitio, qua dicunt, Sacramenta esse inuisibilis gratię visibilia signa, ab ipso Domino instituta, & perspicuum erit, S. scripturam de duobus tantum visibilibus signis gratię Dei, & beatę communicationis Christi, testari, nempe quę Dominus ipse in Euangelio Ecclesię suę mandauit & instituit, quę sunt, sacer Baptismus, & Cœna Domini. Quę duo etiam D. Augustinus sola enumerat, quando loquitur de signis noui Testamenti, lib. de doctrina Christiana 3. cap. 9. Similiter faciunt & alij Patres.

De Impositione manuum apud Confirmationem, Absolutionem, & Ordinationem.

Cap. XXX.

IMpositionẽ manuũ Dominus ipse quidẽ vsurpauit, & Apostoli eius, ad nihil verò adhibendã perceperunt, sicut Baptismũ & S. Cœnã. Verisimile quidem est Apostolos hoc signum sine mandato Domini, vel ore, vel arcano quodam instinctu

Spiritus Sancti ad ipsos delato, non vsurpasse, quandoquidem Spiritum Sanctum & sanitatem eo signo visibiliter conferebant. Quemadmodū verò virtus peculiare erat donum Dei, in ipsos collatum, quo citius & potentius Euangelium per orbem propagaretur: quódque non omnibus Ecclesiis & Christianis competebat, aut impertiebatur à Deo: sic neque huius signi vsum pro publico Sacramento instituerunt, nempe ad conferendum per id spiritum S. sicut ipsi fecerunt, vt legimus Act. 8. quod baptizati Samariæ, cùm Petrus & Ioannes pro eis orassent, eisque manus imposuissent, spiritum S. visibiliter acceperint, sicut etiam quidam discipuli in Epheso, quibus Paulus manus imponebat, postquam eos baptizauerat Act. 19.

Verùm ad ordinationem ministrorum Ecclesiæ, huius signi vsus, tāquam publicus commemoratur, cum mentione tamen peculiaris præcepti Domini, vt 1. Timoth. 4. scribit Apostolus, *Ne neglexeris, quod in te est donum quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum.* Et 2. Timoth. 1. *Quam ob causam commonefacio te, vt suscites donum Dei quod in te est per impositionē manuum.* Et Act. 13. de Prophetis & Doctoribus in Ecclesia quę erat Antiochiæ, cū Paulū & Barnabā in Apostolos Gentiū ordinarent, legimus, *Cúmque ieiunassent, & orassent, imposuissentque eis manus, dimiserunt.* Item 1. Timoth. 5. *Nemini citò manus imponas.*

Veteres hoc signo communiter ad confirmationē quoq; vsi sunt, ad confirmādos in Domino eos, qui in pueritia baptizati erāt, & deinceps postquā adoleuerāt, ipsi fidē suā in Ecclesia profitebātur, seséque in cōmunionē & obediētiā Christi plenè tradebāt. Verū hac de re nihil memorat S. scriptura, pręter vnicū exēplū Domini, qui pueris sibi oblatis, vt eis benediceret, etiā hoc signo impositionis manuū benedixit, Mar. 10.

Sic etiā meminit D. martyr Cyprianus, qui circiter ducētos annos post tēpora Apostolorū in Ecclesia docuit, & post publicā disciplinā Ecclesię Pœnitētes impositione manuū Episcopi & Cleri fuerint à peccatis absoluti, & in gratiā ab Ecclesia recepti. Ep. 14. & 16. li. 3. & sermone de lapsis.

Iam & remissionem habemus à Domino, *quod bonum suum spiritum dare velit omnibus qui eum vera fide à se petunt.* Item, *quòd eorum peccata in cœlis remissa sint, quibus remittuntur in terris.*

Cùm igitur Ecclesia hoc signum impositionis manuum tanquam visibile verbum ad hoc solum vsurpat, nempe ad eos, qui fidem suā publicè in Ecclesia cōfitentur, & se in communionē & obedientiā Christi plenè tradunt, de benigna exauditione Domini cōfirmandos, vel etiā verè pœnitētes de Absolutione tātò certiores reddendos quā talibus ex mādato Christi impertiūt: eatenus Impositio manuū signū gratię ac misericordię diuinę, atq; ideircò Sacramētū nō malè appellari potest.

Cæterū quod huius signi vsus tale habeat mandatū, quale Baptismus & S. Cœna, id sanè affirmari nō potest. De confessione fidei faciēda in propria persona, & traditione in obediētiā Christi. Itē de orādo pro bono spiritu iis, qui talia faciūt, de cōfirmādis ipsis, quod Deus talē Ecclesiæ precationē audiat. Similiter de vera Pœnitentia & cōfessione peccatorū: De absoluēdis iis, qui eiusmodi pœnitētiā demōstrarūt, & cōfirmandis-

mandis, quod talis absolutio omnibus qui eam vera ac solida fide, seria peccatorũ pœnitẽtia, ac firmo emẽdationis proposito accipiũt, efficax sit. De omnibus his operibus expressum quidẽ habemus mandatũ Dei in S. Scriptura: verũ de vsu signi impositionis manuũ ad Confirmandũ & absoluendũ nullũ habemus. Hinc est quod D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, inquit, *Impositionem manuum in confirmatione mandatam esse ad honorem potius Sacerdotij, quàm ad Legis necessitatem.*

Quod verò Aduersarij dicunt, Confirmationem à Christo ante ascensionem ad cœlos promissam, postea verò in die Pentecostes redditam esse, vnicuique in promptu est, quàm id omni careat fundamento. Dominus ante Ascensionem suam ad cœlos id pollicitus est, quod & postea præstitit in die Pentecostes, nempe Baptismum Spiritus S. & copiosam eius effusionem, vt Deum variis linguis celebrarent, mirabilia eius facta annunciarent, prophetarent, & miracula ederent: quemadmodum in Apostolis apparuit. Quid verò eiusmodi confert Suffraganeis, quando paruulis cum Oleo signum crucis in fronte pingit, & alteram eorum maxillam percutit?

Iam Liber Reformationis neque de vera confirmatione, neque de Pœnitentia & Christiana absolutione, neque de legitima Ecclesiæ ministrorum ordinatione quicquam omisit, quod in Sacra Scriptura ea de re docetur: id quod videre est in Articulis peculiariter de singulis istis in libro propositis. Ad hæc signum Impositionis manuum ad Confirmationem nominatim ordinauit. Quare nihil hîc erat, quod occasionem & materiam accusandi Aduersariis daret, siquidem ædificatio illis cordi esset, & non de nudis nominibus ad Christianæ Reformationis impedimentum contendere vellent.

De Pœnitentia.

Caput XXXI.

Pœnitentiam quoque Sacramentum faciunt, nõ tantum absque authoritate S. Scripturæ & omnium S. Patrum exemplo, sed etiam contra propriam ipsorum definitionem, qua ponunt, Sacramenta esse inuisibilis gratiæ Dei visibilia signa. Iam verò Pœnitentia, quemadmodum S. Scriptura, & omnes Sancti Patres hoc nomine vtuntur, non est visibile signum, sed verus dolor de peccatis, & pœnitentiam agere, est veris pœnitentibus operibus & fructibus, serium de peccatis dolorem & contritionem ostendere. Absoluere à peccatis, est librum pronuntiare, Deóque & Ecclesiæ reconciliare: Quamuis etiam Petrus Lombardus Pœnitentiam ex Sanctis Patribus ita definit, quod sit virtus vel gratia per quam admissa mala cum proposito emendationis plangimus & odimus: & plangenda vlterius committere nolumus.

Ex Petro Longobardo & scholasticis Doctoribus vo-

lunt Aduersarij nouos fidei articulos Ecclesiæ obtrudere.

De Vnctione Olei.

VNctio infirmorum fuit signum gratiæ diuinæ in Apostolis, qui ægrotos vngebant oleo, & sanabantur, Marc. 6. De qua vnctione loquitur etiam D. Iacobus, cùm ita scribit cap. 5. *Infirmitatur quis inter vos? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, fideique obseruatio saluum reddet laborantem, ac eriget eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittantur ei.* In quibus verbis clarum est videre, quòd de tali Vnctione loquuntur, per quam infirmo corporalis quoque sanitas debeat conferri. Nam dicitur, *Et fidei obseruatio saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus.* Hoc donum conferendi sanitatem verisimile est tunc temporis adhuc in Ecclesia fuisse, quare etiam hæc signa tantò melius ad id vsurpari & adhiberi potuerunt. Quamobrem cùm presbyteri nostri hoc donum, & promissionem infirmos eiusmodi vnctione sanandi non habeant, neque etiam mandatum habent hoc signum vsurpandi. Sed de hoc latius in Responsione ad tertiam Accusationem in secunda parte.

De Matrimonio.

Cap. XXXII.

DE sacro Coniugio nihil eorum in Libro prętermissum est, quod de eo S. Scriptura docet: & de benedictione nuptiarum nihil ordinauit, quam quod S. Literis quàm maximè consentaneum est. In qua quidem initiatione nouorum coniugum signa gratiæ diuinæ vsurpantur: neque enim ibi frustrà oratur pro gratia Dei nouis coniugibus impetranda, aut ipsi de ea in nomine Domini confirmantur. Verum eiusmodi signa, siue manuum aut Libri Euangeliorum impositio, siue manuum coniugum copulatio: siue annulorum insertio, aut quęcunque alia id genus signa ibi adhibentur, quamuis ea piè vsurpari possunt, peculiare tamen mandatum non habent, quemadmodum signum Baptismatis & S. Cœnę. Quamobrem necesse est, vt discrimen inter Sacramenta & signa Ecclesiarum obseruetur.

Ex his omnibus hactenus commemoratis, vnicuique in promptu est videre, quid Sacra Scriptura de septem exercitiis Ecclesię, quæ ab Aduersariis septem Sacramenta vocantur, testetur: quæ visibilia gratiæ signa & Sacramenta meritò appellentur, aut non: & quæ ab ipso Domino instituta & præcepta sint, aut ex consequenti vsu Domini & Apostolorum, vel etiam veteris populi, pro exercitiis Ecclesiæ recepta sint: denique quæ ab antiquis Patribus Sacramenta vocentur, aut non. Iuxta quæ omnia, & ex tradito fundamento, breuiter & in summa hęc est responsio ad primam accusationem huius tertię partis, quod Liber Septenario Sacramentorum numero relicto, duo tantum ponat, reliquis verò quinque deroget, quòd sint ab ipso Domino instituta.

Si velimus Sacramenta vocare visibilia signa inuisibilis gratiæ, ab ipso

ipso Domino, ad vsurpandum instituta, plura sanè istiusmodi non habemus, quàm S. Baptismum & Cœnam Dominicam.

Est quidem Pœnitentia à Domino mandata, & Matrimonium ab eodem benedictum & institutum: verum hæc signa non sunt. Sed pœnitentia est excusatio seu defensio, & renouatio mentis ac vitæ. Matrimoniũ est coniũctio & cõmunicatio totius vitæ inter maritũ & vxorẽ.

Signum Impositionis manuum in Confirmatione, Ordinatione Clericorum & Absolutione est signum gratiæ, si id rectè administretur, eo videlicet modo, vt indicatum est; atque eatenus sacramentum appellari potest, quemadmodum S. Patres etiam signum crucis sacramẽtum nominabant. Hoc verò signum non habet tam generale mandatum Domini, quam Baptismus, & S. Cœna.

Quare cùm liber Reformationis existimet hoc signum non haberè æquale mandatum Domini cum Baptismo & S. Cœna, nihil ei derogat, quod vel Scriptura S. vel veteres S. Patres ei attribuunt. Cùm itaque liber Confimationem quoque, Pœnitentiam & Absolutionem cum ordinatione perfectè doceat & requirat, ex authoritate S. scripturæ, & antiquarum verè Apostolicarũ obseruationum, nihil etiam Ecclesiis de sacris istis Exercitiis per se adimitur & derogatur.

Mandatum Vnctionis infirmorum non vlterius se extendit, quàm ad eos, quibus Dominus donum corporalem sanitatem conferendi concessit. Veram & salutarem infirmorum visitationem, docet & requirit Liber eadem omnino ratione, quemadmodum de ea S. scriptura docet, & verus Apostolicus vsus testatur.

Ex his omnibus concluditur, Enumeratis septem Ecclesiæ exercitiis nihil omnino in libro derogari, quantum vel ad ipsa per se, vel ad mandatum Domini, vel signum, vel nomen, si in vera significatione vsurpetur, pertinet. Tantum modo distinguuntur iuxta verbum Dei, & id quod peculiare mandatum Domini non habet, non comparatur cũ eo, quod id habet. Tum in visitatione & consolatione infirmorum superuacaneum illud vngendi signum, cùm opus eius & efficacia absit, corporalem sanitatem conferendi, sitque in multiplicem superstitionẽ & abusum prolapsum, prætermittitur. Et sic apparet omnem Aduersariorum pugnam in hac accusatione esse de nominibus, quę nullibi in scriptura habentur: de numeris & externis signis mandato carentibus; cuius non tantum ex S. literis, sed ne ex Patribus quidem vel vnicam occasionem habent. Dionysium vt valdè antiquum Ecclesiæ testẽ semper adducunt, de quo tamen Erasmus, & alij docti contrarium sentiunt, cuius grauia & fide digna indicia habent (quamuis nec ex recentioribus scriptoribus sit) hic in libro de Ecclesiastica hierarchia multa quidem signa commemorat, quæ suo tempore in Ecclesiis in vsu erant: quemadmodum etiam toto hoc libro vniuersam Ecclesiæ œconomiam, sicut ea suo tempore in sua Ecclesia erat constituta, describit. Inter præcipua verò & communia signa plura non numerat, quàm baptismum, S. Cœnã, & Chrisma. Quæ tria etiam D. Gregorius tantum inter Sacramenta recenset: cuius verba citata sunt, 7. quæst. 1. can. *Multi secula-*

rium, &c. Gratianus quoque in fine C. Arrianos scribit, quod ex eo, quod in manuum impositio iterari possit, ostendatur, eam non esse Sacramentum. Ad hoc verò probandum, hanc allegat Augustini sententiam: manus impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud nisi oratio super hominem?

Quòd si Sacramenti vocabulũ in genere accipiatur pro signo, quòd ad res sacras adhibetur, tunc S. Patres Sacramenta etiam appellant Signum crucis, in fronte designatum, & multa alia signa. Vt panem benedictum, qui olim dabatur catechumenis, ignem & exsufflationem, quæ in exorcismo adhibebatur. Bernhardus vult pedum quoque lotionem pro necessario Sacramento haberi, in Serm. de Cœna Domini. In benedictione Salis apud Baptismum, qui apud aduersarios baptizant, quotidie ad salem dicunt, vt in nomine S. Trinitatis, efficiaris Salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum. Ex hoc igitur apparet, nullã Aduersariis occasionem fuisse Librum reprehendi propter numerum Sacramentorum, ne quidem ex patribus.

August. in Psal. 141. Aug. in Psal. 65. Lib. II. de meritis & remissione peccatorum.

Quare vnctio infirmorum sit prætermissa.

Cap. XXXIII.

AD alteram accusationem tertiæ partis, qua dicunt librum Reformationis vnctionem infirmorum penitus abrasisse, respondetur; Verum est, Omisit quidem liber Reformationis hoc signum, sed ob eam causam, quod commemorata est, nempe quòd hoc signum ab Apostolis vsurpatum est ad sanandos infirmos, in nomine Domini. Hoc dono quoniam vulgus sacerdotum caret, absurdum videtur, eius doni signum vsurpare.

Quòd si dicatur, Quemadmodum in Confirmatione manus parvulis imponuntur, iuxta exemplum Apostolorum, qui tamen Spiritum S. hoc signo visibiliter conferebant, quam virtutem Episcopi & sacerdotes nunc non habent: Sic etiam hoc signum Vnctionis ad imitationem Apostolorum circa infirmos rectè vsurpari posse, quando pro corporali sanitate & remissione peccatorum oratur, iuxta exemplum Apostolorum: etiamsi donum sanitatis etiam non habeatur, quemadmodum id Apostoli habuerunt: præsertim cùm plurimæ Ecclesiæ hoc signum longo tempore hac ratione in vsu habuerint, vt apud Bedam & alios videre licet.

Responsio. Libertas Christiana in hoc & omnibus corporalibus actionibus multum potest: verum oportet vt ad hoc quoque respiciat, quid ædificet & promoueat pietatẽ. Vnctio infirmorũ, tãquã extremus Baptismus, iis tãtũ nũc adhibetur, de quorũ vita nulla spes amplius restat, id quod manifestè cum dicto Iacobi pugnat. Ad hæc proh dolor! plurima superstitio circa vsum huius signi inualuit, vnà cum falsa fiducia in externo opere, quæ deinde Diuorum inuocatione augetur & corroboratur. Porrò cũ fidelis oratio per Christũ etiã sine vnctione efficax

ficax sit. & potens ægrotis omnia bona à Domino impetrandi: & hoc signum in tam multiplicem superstitionis abusum sit pertractum, denique semper pro signo, cuius vsus non esset necessarius, habitum & iudicatum, conqueri nemo potest, etiamsi id ad visitationem & consolationem infirmorum non adhibeatur, vbi alioquin de Christiana ęgrotorum visitatione & consolatione, ac fideli Oratione nihil intermittitur. Vera Ecclesia Christi de hoc quærit, quod efficaciter ædificat: quod non ædificat, id suum opus non agnoscit, sed mutat, quemadmodum Ezechias æneum serpentem demoliebatur, quem tamen Deus ipse erigi iusserat, verùm in alium vsum. Fidelis infirmorum visitatio & consolatio ex verbo Dei, & Oratio pro ipsis à vera Ecclesia Christi requiritur, quicquid tandem signorum vlterius adhibeatur, aut non.

Dionysius quoque nullam de hoc signo mentionem facit, memorat autem, quòd Episcopus suis temporibus super corpora defunctorum, quando humo mandabantur, solitus fuerit oleum effundere. Ecclesiæ enim quantum ad eiusmodi signa pertinet, semper liberæ fuerunt.

Tertiò accusant Aduersarij, quod in Libro positum sit, Ordinationẽ competere Episcopis præcipuè, Quasi & alij præter Episcopũ ordinare in Ecclesia possint: id quod faciat cõtra scripturã & regulã Apostolorũ.

Hoc loco rursus se prodit eorum improbitas. In Reformationis Libro loco citato sic habetur. *Episcoporum verò præcipua hæc cura esse debet, vt ad hoc ministerium Ecclesiæ alantur, erudiantur, & formentur semper aliqui. Deinde etiam eligantur, & ordinentur probati, qui illud religiosè & salutariter obeant*, ita vt Apostolus ad Timotheum suum & Titum præcepit, & deinde etiam plurimorum Conciliorum decretis & Canonibus sancitum & instauratum est.

Hinc videatur, quid Liber Episcopis imprimis competere velit. De Ordinatione non loquitur, sed de constituendo & procurando, vt idonei ministri Ecclesię alantur, erudiantur, eligantur & ordinentur. Ordinationẽ Liber Reformationis Suffraganeo expressè attribuit, in Articulo de Ordinatione & Constitutione Pastorum. Et tantum hoc postulat, vt nihil in ceremoniis Ordinationis adhibeat, vel ordinando quicquam imponat, quod cum hac doctrina Christi in Libro Reformationis proposita, non consentiat.

Vnde rursus apparet, quàm contra Archiepiscopum & Patrem suum in proposito Christianæ Reformationis, importunè affecti & commoti sint, adeo non rectè inspicere potuerint, quid ab eo scriptum aut positum sit. Sed quemadmodum prima fronte vnumquodque idoneum ad reprehendendũ & calumniandum illis apparuit (nihil enim aliud quàm Calumniari quæsierunt) ita illud continuò arripuerunt, omnésque calumnias suas contra id per calamum effuderunt, cuius solę Calumnię huius loci eos manifestissimè coarguunt. Præterea videatur, quibus de rebus Aduersarij decertent, de externis nominibus, ceremoniis & signis. In Ordinatione ministrorum Ecclesiæ totum negotium in eo positum est, vt Ecclesiis Christi verè Euangelici, fideles & probati ministri eligantur & instituantur: vt coram Ecclesia Dei officij ac

muneris sui per verbum Dei solemniter admoneantur: preces pro eis fundantur, manus illis imponantur, ac ministerium Ecclesiæ seriò summaque religione tanquam coram Domino demandetur. Hæc bona est, sancta, & à Deo ipso instituta ceremonia, Exod. 29. Act. 13. Quantò verò facilius est, ac minori labore constat, has ceremonias administrare, quã reipsa procurare, constituere, ne Ecclesiæ in electione, in examinatione & ordinatione seu constitutione ministrorum fraudentur?

Iam verò quantum ad hoc attinet, vident Aduersarij, quàm miserè sint Ecclesiæ Christi deuastatæ & desertæ: verum id ipsos non mouet, de eo nihil solliciti sunt. Verum si Ordinatio Ministrorum absque Episcopali nomine, baculo, pileo, annulo, chirothecis & calceis fieret, etiamsi alioqui summa religione, & maiori imitatione Apostolici exempli administraretur, eam tamen administrationem esse negarent, putaréntque se grauissimas causas querendi & clamitandi habere, quòd Hierarchia penitus esset collapsura. Veruntamen annon hoc est dona Dei & opera gratiæ humanis figmentis & laruis astringere, corpus prætermittere, & vmbram sectari: contendere de putamine, & nucleum ipsum amittere? Hi quibus hoc tempore munus ordinandi committunt, quid reuera aliud sunt, quàm presbyteri, qui nihil amplius quàm Episcopale nomen & pompam habent, atque exercent? Nullam enim Ecclesiam habent cui Episcopali munere præsint: sed inanes obtinent, pretióque redemptos Episcopales titulos talium Ecclesiarum, ad quas accedere ne in animum quidem inducunt.

Veteres hanc Ceremoniam Ordinationis, quemadmodum omnia præcipua ministeria & actiones Episcopis tanquam summis Presbyteris, quibus præcipua cura totius Ecclesiæ incumbere debet, attribuerunt. Præsente enim Episcopo, Presbyteri neque populum docere, neque baptizare, neque S. Cœnam administrare, neque quodcunque ex præcipuis Ecclesię ministeriis obire debuerunt.

Quoniam verò doctrina, Baptismus & Cœna Domini, item Absolutio necessariæ actiones sunt, quæ sæpenumero differri sine incommodo non possunt, idcirco veteres presbyteris permiserunt, vt Doctrinam, Cœnam Domini, Baptismum, & Absolutionem absente Episcopo administrarent.

Sed quoniam Ordinatio ministrorum Ecclesiæ, sicut & Confirmatio, & vasorum mysticorum, vt Sacrorum signorum, templi & altaris, &c. consecratio, facilè differri poterat: & præterea sine summi Animarum curatoris consensu meritò in Ecclesiæ ministerium nemo assumendus erat: Item, cùm ad maiorem vnitatem & obedientiam Ecclesię conducat, vt quiuis Christianus Christianam fidem suam confiteatur, & obedientiam promittat coram præcipuis animarum curatoribus, & ab illis ad totam communionem Christi coram vniuersa Ecclesia Christi, singulari solennitate admittatur & confirmetur. Eodem modo ne vel templum vel templi aliquod instrumentum sine suo consensu ad ministerium Ecclesię ordinetur. Has ob causas veteres tria hæc munera Episcopis propria attribuerunt, Ordinationem ministrorum,

Confirmationem

Confirmationem baptizatorum, & Consecrationem templorum, altarium,& aliorum vasorum mysticorum,quo sublimius in Ecclesia ministerium suas quoque peculiares honorarias actiones haberent.

Quamuis antiqui,vt iam dictum est,Episcopis perinde publicum docendi,orandi & benedicendi in Ecclesia munus,omnia item sacramenta dispensandi,Absoluendi à peccatis,& omnia publica atque pręcipua Ecclesiæ ministeria,peculiariter attribuerunt,adeò vt Episcopis pręsentibus & valentibus nulli presbyterorum ea obire licuerit. Quoniam verò publica prędicatio verbi,& Oratio,sacra Cœna,Baptismus, Absolutio,nec possunt nec debent differri,idcirco quamuis sublimiora &Episcopalia ministeria sunt, presbyteris quoque Episcopis vel absentibus,vel ea administrare nō valentibus,sunt commendata.Sicut alioquin quoque presbyteri vnum & idem habent cum Episcopis officium: nisi quòd Episcopis maior cura peculiariter incumbit, & principatus in omnibus sacerdotalibus actionibus est tributus, quò meliùs concordia & ordo in Ecclesiis conseruari possit, quemadmodum D.Hieronymus, & alij Patres ex Apostolo Paulo benè & copiosè probant.De cætero Episcopus & presbyter vnum sunt.

Quamobrem si quando absque detrimento Ecclesię etiam Ordinatio vel Confirmatio, vel Templorum vasorúmque mysticorum consecratiovsque ad aduentum ordinariorum Episcoporum differri non potest,quis mente & intellectu prędituS Christianus dubitabit Presbyteros in eiusmodi casu, vel absentia, vel impotentia Ordinarij Episcopi, perinde minora ista Episcopalia munera administrare posse:cuiusmodi sunt,ceremoniæ consecrandi & benedicendi siue Ordinatis ad ministerium Ecclesię,siue iis qui fidem suam confitentur: siue templis, & aliis vasis mysticis: cùm tamen longè maiora & excellentiora Episcopalia munera administrent, nempe Baptismum, Cœnam & Absolutionem?

D. Ambrosius super quartum caput Epistolæ ad Ephesios testatur, Presbyteros olim in Ægypto in absentia Episcoporum ministros Ecclesię ordinasse.Quicquid igitur aliquando in Ægypto legitimum ac licitum fuit, id meritò & apud nos in simili casu legitimum esse debet. Omnia enim Ecclesię Christi sunt,& ad eius ædificationem omnia seruire debent.

Si Deus omnes qui nominantur & ordinati sunt Episcopi hinc ad se transferret, vel ipsi semetipsos Ecclesię subducerent, vt proh dolor! plurimi faciunt, nunquid idcircò deberent Ecclesię Christi ordinariis Doctoribus & Pastoribus destitui? Non sanè, Dominus non derelinquit Ecclesiam suam, sed *dat ei perpetuò suos ordinarios Doctores & Pastores.* Ephes.4. etiamsi homines officio & ordinationi suæ desint,vel eam penitus deserant, quemadmodum longo iam tempore à multis Episcopis factum est.

Antiochię Paulus & Barnabas in Apostolos gentium (quod longè sublimius & excellentius munus erat quàm Episcopale) à Doctoribus & Prophetis ibidem ordinati sunt, & ibi nullius Episcopi fit mentio.

Paulus quoque cùm loquitur de ordinatione Timothei, meminit Impositionis manuum presbyterorum, non Episcopi.

Ad hæc antiquum Concilium Antiochenum cap. x. Chorepiscopo subdiaconorum & aliorum inferiorum ministrorum Ecclesiæ ordinationem attribuit, solam verò Diaconorum & Pastorum prohibuit, verum id tantummodo sine suffragio & consensu Episcopi. Iam quemadmodum Episcopus in necessitate suum officium diaconos & Pastores ordinandi presbyteris committere potest: ita etiam Dominus sine dubio, qui gratiam suam inanibus nominibus & ceremoniis non adstringit, cùm eam ne sacramentis quidem alliget, quemadmodum apud omnes est in confesso.

Deus noster Deus ordinis est, sed semper ad salutem nostram. Quare in Ecclesia eius ordo obseruandus est, ministeria eius constituenda, & distinguēda iuxta verbum illius. Et quicquid præcipui, vel publici peragendum est, id à veris Episcopis & curatoribus animarum administrari debet. Verumtamen si vel absentes vel impotentes fuerint, suóque ministerio fungi non possint, vel imbecillitate corporis, vel alio quouis impedimento obstante, id in detrimentum Ecclesiarum Christi vergere non debet, sed ministerium Christi illis persoluendum & expediendum, per eos qui id quàm optimè præstare possunt.

Hactenus de Ordinatione. In qua Controuersia rursus apparet, quomodo Aduersarij occasiones reprehendendi quęrant, vbi nullas inueniunt, & talia affirment, quæ probare non possunt.

Quarta reprehensio in hac tertia parte est, quod Aduersarij dicunt, Vniuersalem formam laudabiliter huc vsque in Administratione sacramentorum seruatam, per hunc Reformationis librum inuniuersum ferè mutari. Sed quoniam postea distinctè in suis locis id se annotaturos pollicentur, & nos responsionem nostram in eum vsque locum differemus, vbi clarè demonstrabimus librum Reformationis verè Christianam & Apostolicam istius Administrationis formam non modò non mutare, sed ex tenebris in lucem reducere, & instituere eandem, quæ à principio, & omnibus temporibus obseruata est, quandiu Ecclesiæ per veros Episcopos publicè administratæ & gubernatæ sunt.

Quarta pars huius Accusationis.

De obedientia ministris Ecclesiæ præstanda.

Cap. XXXIV.

QVARTA principalis Accusatio Aduersariorum circa istum articulum hæc est, librum Reformationis requirere obediẽtiam Pastoribus pręstandam in iis tantùm rebus, quę expressè à Deo mandata sunt, cùm tamen hucusque docuerit Ecclesia, potestati obediendum, non tantum in his quæ scriptura expressè mandauit obseruare, verùm in iis etiam quæ Scripturæ non aduersantur.

Respon-

Responsio.

HIc quartus locus sic habetur in libro: In his enim quæ ministris in Euangelio mandata sunt, necessariò præstanda obedientia est. Hic videatur rursus Aduersariorum Calumniandi cupiditas. Vbi sunt hæc verba, Quod in iis tantùm rebus obedientia præstanda sit, quæ sunt expressè à Deo mandatę? Quamuis si mandatum Dei integrum, & iuxta intellectum sensúmque non verbis tantùm expressum, intelligatur, id malè dictum non est. Verumtamen hæc verba non habentur in Libro, sed tantum dicitur, Obedientiam iis in rebus esse præceptam, quæ Pastoribus & ministris sunt in Euangelio ad expediendum mandatæ.

Cæterum quid boni fingi aut excogitari potest, quod non sit in hoc dicto comprehensum? *Pastoribus enim & ministros Ecclesiæ in Euangelio mandatum est, vt oues Christi pascant, quò Christo Domino verè ac solidè credant, in eóque habeant vitam æternam. Mandatum etiam illis est, vt doceant homines seruare quæcunque præcepit Deus.* Is verò totam renouationem vitæ, & ad voluntatem eius conformationem præcepit, vnà cùm omnibus, quæ ad hanc rem conducere possunt. Extra & vltra hoc, neque Angelus, neque homo quicquam vtile aut bonum, excogitare potest. Adhæc *cùm nulla potestas in Ecclesia sit, nisi tantum ad ædificationem.* 2. Cor. 10. & 13. nemo quicquã in Ecclesiis præcipiẽdi potestatẽ habet, q̃ nõ sit à Domino in Euãgelio mãdatũ. Præterea cũ nemini in malo obediẽdũ sit, nulli etiã Pastori aut ministro obtemperari poterit, in eo quod extra mandatum Domini in Euangelio comprehensum præcipere & constituere volet. Quid igitur mali posuit Liber?

Porrò & hoc quoque Christiani libenter recipiunt, quod quilibet Christianus suis superioribus obedire debeat, in omnibus quæ Scripturæ non aduersantur. Cùm enim ea omnia bona doceat, & mala redarguat, adeò vt hominem Dei perfectum efficiat, & instructum ad omne opus bonum. 2. Timoth. 3. necesse est, vt quicquid scripturæ aduersatur, malum sit: contra verò bonum, & vtile ad gloriam Dei, atque idcirco in sacra Scriptura comprehensum, quicquid ei non repugnat, per eámque repudiari & refelli non potest. Ad hæc cùm Christianis præceptum sit Deum ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus amare, atque idcirco facere, quicquid bonum est, & ad honorem ac gloriam Dei confert: constat Christianos debere Pastoribus suis in omnibus his rebus obedire, quæ Scripturæ non aduersantur. Tales enim cum Scriptura consentire, bonásque & vtiles esse, atque in mandato diuinæ dilectionis contineri necesse est. Verùm de hoc copiosè dictum est in responsione ad primam Accusationem.

Conclusio vndecimæ Accusationis.

IN hoc Articulo etiam est vna ex præcipuis controuersiis, quare simplicium & rudiorum gratia exactiore ac pleniore explicatione opus erat. Cęterum qui fideli ac pia mente ea quæ hoc loco responsa

sunt, intueri & perpendere volet, is facilè videbit, nihil in hoc Articulo, quemadmodum nec in aliis omnibus positum esse, quàm quod pium est, & vtile ad ædificationem.

Duodecima XIII. XIV. & XV. Accusatio Aduersariorum.

De Oratione, Quid sit, & Quomodo orandum sit.

Cap. XXXV.

PRIMVM dicunt, Christum Dominum permisisse nobis liberũ, vt à Deo postulemus res quaslibet suo verbo nõ contrarias: Librum verò Reformationis velle, vt pro iis tantum rebus supplicemus, quas Christus vt precaremur mandauit. Atque hoc modo rursus de expresso mandato loquuntur, vbi Liber de generali tantum agit, etiamsi id non sit verbis expressum, sed sensu communibus & generalibus verbis traditum.

Verùm qua fronte audent Christianum propositum Archiepiscopi & Patris sui tam manifestè peruertere? Christus Dominus & Saluator noster, cùm diceret, Petite & accipietis, proculdubio ea tantum omnia petere nos iussit, quæ nobis ad salutem conducunt, faciúntque ad gloriam eius in nobis amplificandam, iuxta orationem quam ipse nobis præscripsit, Pater noster qui es in cœlis, &c. Nihil igitur boni à Deo petere possumus, quin habeamus de eo mandatum Christi Domini. Quod malum nobis ac pernicioſum est, pro eo orare non debemus, nec etiam possumus id in nomine Iesu petere. Quare non erat vt Aduersarij librum hoc loco reprehenderent. Verum oportet vt caueant ne homines nimis ad verbum & mandatum Domini dirigantur.

Secunda pars huius Accusationis.

De commemoratione bonorum operum inter orandum.

Cap. XXXII.

ALtera Accusatio est, quòd dicunt quasdam orationes sanctorum, vt Ezechiæ, & Dauidis recensere coram Deo bona illorum opera. Librum verò Reformationis velle, vt in Oratione nostra confiteamur, quod nihil præter iram meram, & vindictam promeriti sumus: id quod Orationi sanctorum aduersetur.

Responsio.

QVoniam verè bona opera sunt singularia & præstantissima dona, ac signa gratiæ & amoris diuini erga nos, sicut etiam iudicia & argumenta fidei atque charitatis nostræ erga Deum, suo modo admodum quoque consolantur orantem, & possunt tanquam realis fidei nostræ, ac voluntatis Deo seruiendi & obtemperandi confessio inter orandum comme-

commemorari: ac postea Deus inuocari & orari, quemadmodum Ezechias, Dauid, & alij complures sancti fecerunt, & adhuc faciunt quotidie: solummodo tamen fidentes in gratuita misericordia, ac merito Christi, vnde omnis voluntas, ac perfectio bonorum operum nobis promanat.

Interim tamen & hoc quoque verum est, fatendum nobis esse, quantum ad nos ipsos & bona nostra opera pertinet, quatenus à nobis proficiscuntur, & legi diuinæ satisfacere non possunt, quod nihil aliud quàm iram & indignationem mereamur, ac semper debeamus orare cum omnibus sanctis, *Remitte nobis debita nostra*: &, *Ne intres in iudicium cum seruo tuo, coram te enim non iustificabitur omnis viuens.* Merito igitur Aduersarij hanc quoque Reprehensionem omisissent.

Tertia Accusationis pars.

De dubitatione inter orandum.

Cap. XXXVII.

TErtia Accusatio est, de Trepidatione & dubitatione inter Orandum, quam Liber Reformationis dicat magnum esse peccatum: quod Christus non doceat, sed moneat trepidantes & dubitantes, vt orent, *Domine, adauge nobis fidem.* Adhæc Petrum dubitanter Simoni Mago dixisse, *Roga Deum, si forte vbi remittatur hæc cogitatio cordis tui.* Cyprianum quoque monere, Eos qui magna & grauia crimina post Baptismum inciderunt, ne de misericordia Domini desperent, nec tamen iam veniam sibi vendicent.

Responsio.

CHristus Dominus noster inquit, *Quæcunque orantes petitis, credite & accipietis, & erunt vobis.* Marc. 11. Vnde & D. Iacobus inquit, *Orandum esse cum fiducia, sine vlla hæsitatione, eò, quod is qui dubitat, similis sit fluctui maris, qui ventis impellitur, & vir animo duplici nihil accipiat à Domino, &c.* Iacob. 1. Nunquid igitur non ingens peccatum est, contra tam claras permissiones & mandata Christi inter orandum dubitare?

Quoniam autem fides in nobis adeò debilis & infirma est, vt fieri non possit quin dubitemus, orandum certè nobis est, vt Deus fidem nostram adaugeat, quemadmodum fecerunt Apostoli. Luc. 17. Nihilominus tamen debemus, & pro ingenti peccato agnoscere, quod de æterno & solum certo atque indubitato Dei vllum nobis dubium suboritur. Necesse enim est vt Deum, qui æternitas est, de mendacio suspectum habeamus, quando de manifesto verbo eius, & euidentissimis promissionibus dubitamus, iisque non firmissimam fidem adhibemus.

Quod verò Petrus Simonem Magum, sicut & Ioël vniuersum populum Israëliticum non continuò de exauditione consolatus est, sed di-

xit, *Si fortè exaudiat vos Dominus*: non ideo Propheta & Apostolus illc docere voluerunt, dubitandum esse in oratione, sed ipsi potius dubitarunt, vtrum homines isti rectè orarent, annon. Etenim apertè dixit Dominus, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, & ego faciam vobis.* Ioan. 14. & 16. Sic neque Cyprianus voluit, quod lapsi in Oratione dubitare deberent, sed hoc in eis damnat, quòd plenam veniam, & reconciliationem cum Christo atque Ecclesia sibi vendicabat, antequã ab Ecclesia absoluti essent.

Quamobrem inter orandum de benigna exauditione per Christum dubitare, ingens peccatum est: semper enim abnegationem Dei in se habet. Verum de nobis ipsis & impura oratione nostra, quandoquidem nunquam firmiter in nomine Christi oramus, dubitare, ac pusillanimes esse, id bonum est: modò nosmetipsos in Christo Domino refocillemus, qui aduocatus noster apud Patrem esse, omniáque nobis impetrare vult, per quem etiam perpetuo pro augmento fidei orare debemus. Qua de re liber prolixè docet. Legatur locus.

Quin & hęc quoque ex manifestè improbis calumniis vna est. Vbi enim liber ponit, Eum qui se exaudiri à Deo dubitat, dubitare etiam, vtrum Deus verax sit, pro eo suppositum fuerunt Aduersarij: Eum qui vtrum statim Deus suas preces exaudiat, dubitauerit, dubitare de hoc quoque an Deus sit verax. An non appositio vocabuli (statim) manifesta depravatio est? Quasi liber vellet eos condemnare, qui dubitant, vtrum Deus statim velit illis omnia largiri, quæ petunt. Sæpenumerò precamur pro rebus temporalibus, quę vtrum nobis vtiles sint, ignoramus. Quare igitur non etiam dubitaremus, an Deus sit eas nobis largiturus? Verum pro talibus rebus, siquidem in nomine Christi oremus, non precamur simpliciter, & sine conditione, sed semper adiungimus. Quatenus nobis conducant ad gloriam Dei. *Sanctificetur nomen tuum*, *Adueniat regnum tuum*, semper in omni fideli precatione præcedunt: & iuxta hæc oratio de Pane quotidiano temperanda est. Cæterum non hac de re illis agendum est, alioquin Calumniis suis facilè supersederent.

Quarta pars huius Accusationis.

Quomodo Oratio interciderit.

Cap. XXXVIII.

QVARTA Accusatio est, librum queri, ac si Christianus orandi mos penitus, iacéatque extinctus, adeò vt vix vllus in Ecclesia rectè & Christianè oret, Cum tamen perpetuò doctum sit, Deum in rebus omnibus, & in quacunque necessitate inuocari debere per Christum, id quod testatur Collectio.

Responsio.

QVicunque non alioquin Christianæ Reformationi repugnat, is gloriã dabit Deo quod verè Christiana Oratio horribiliter interciderit.

ciderit. Rectè enim ac Christianè is tantum orat, qui in verè Christianã vitam quoque se tradit. Quicquid de ea desideratur, id etiam verę precationi deest. Quomodo verò res vbique nostro tempore comparatę sint, nimis proh dolor, manifestè patet.

Veteres Collectę rectè quidem ad Deum Patrem per Christum vnicum mediatorem diriguntnt. Quomodo autem interim plebs, à qua communes istę Ecclesię supplicationes in Latina lingua absconditę fuerunt, orare fuerit edoctus, testantur Hortuli animę, & tabulę passim iuxta imagines & ossa sanctorum.

Quinta pars.

De Ordinationibus Orationis.

Cap. XXXIX.

QVINTA Accusatio hęc est, Librum velle, Orationem nullis prięceptis astringi debere. Contra hoc adferunt, quod Apostoli certis horis orarũt, & multi ex S. Patribus ad Canonicas, & ordinarias preces certis temporibus fuerunt, adstricti, quódque eos, qui negligentiores fuissent deprehẽsi, acriter corripuerin t.

Responsio.

QVantum ad hũc locum pertinet, Aduersarij partim Librum Reformationis, partim S. Patres calumniantur. Librum quidem, Quia nihil tradit contra ordinationem Orationis ad certas horas, quemadmodum Apostoli & S. Patres fecerunt: sed prohibet ne iunioribus orandi prięcepta ferantur, quibus constringantur conscientię. Sic enim sonant verba Libri, Non vt hoc religione Legis sanciatur, vnde conscientias superstitione obligari contingat.

Si verò Patres calumniantur, scribendo, quod Orationem ad certas horas astrinxerint. Ordinârunt enim non adstrinxerunt: fratres ad id hortati sunt, non coëgerunt: neminem abiecerunt aut condemnârunt, qui sine contemptu Dei eiusmodi Horas non obseruauit, quemadmodum nunquam ab omnibus ęqualiter obseruandas instituerunt aut postulârunt.

Sexta pars.

Quatenus Oratio sit honor & cultus Dei.

Cap. XXXIX.

SEXTA Accusatio habet adhuc crassiorem Calumniam. Dicunt enim quod Liber Reformationis vetet, Orationem fieri hoc modo, ac si sit opus quo honoretur Deus, sed velit, vt huc tantũ dirigatur, quò in necessitate cũ res poscit, aliquid à Deo impetrem.

Responsio.

VErba Libri sic se habent: Quartus abusus est, cùm oratio pro tali iudicatur opere, quo gratus quidam Deo aut sanctis præstetur cultus: cúmque non eò preces funduntur, vt in necessitate cùm res possit, aliquid à Deo impetremus: vt, cum verba Orationis Dominicæ, vel *Aue Maria* ore cumulantur, non eo proposito, quod homines indubitatò credant, se id quod in Oratione Dominica petunt, certò impetraturos, sed quod Deo ac sanctis orationem, seu præcipuum & singularem cultum offerant, qui ad expianda eorum peccata sit profuturus. Iste abusus precandi non sólum pugnat cum verbo Dei, sed iudicio rationis etiam ineptus est & ridiculus.

Ecce quid reprehendit Liber, nempe hoc solum, quòd stolidi homines putant, recitationem verborum, etiamsi id, de quo verba sonant, non seriò & ex animo à Deo petant, gratum esse & acceptum Deo cultum. Vnde fit vt Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam tam infinitis vicibus recitent, Deóque appendant, absque vlla consideratione eorum, quæ in verbis sunt comprehensa.

Liber Reformationis docet, non negat, veram ac fidelem orationem cultum esse Dei, imo gratum & acceptum opus. In Oratione enim quę fit ex vera ac solida fide, agnoscimus, & celebramus Deũ pro vnico Deo ac Seruatore nostro, omnemq; bonitatẽ, gratiam & misericordiam ei tribuimus.

Quod verò Basilium adducunt, docentem, In oratione non statim deueniendum esse ad petitionẽ, ne videamur Deum necessitate coacti adorare, id quantum valeat, vnicuique Christiano in promptu est, qui id cum Oratione Dominica & Psalmis conferre volet. In quibus precationibus docemur, in omnibus necessitatibus nostris afflictiones nostras ac totum cor illicò coram Domino effundere. Maximam verò necessitatem Christiani semper esse iudicant, defectum fidei & pietatis.

Similis omnino Calũnia est de *Aue Maria*. Liber redarguit hoc, quod Homines Salutationem Angelicã certo numero recitantes eximiũ D. Virgini cultum se præstare persuasi sunt. Aduersarij verò dicunt, quòd affirmet, Abusum esse, si quis existimet matrẽ Domini nostri Iesu Christi Angelica salutatione honorari, eáque gaudij inde aliquid percipere.

Vera fide salutationem Angelicam recitare, ac vim verborum diligẽter perpendere, simulq; beatã celebrare D. Virginem matrem Domini, id Deo non displicet, & est honor Mariæ: contra quod Liber ne verbo quidẽ pugnat. Verum de gaudiis sanctorum in cœlis nihil amplius cõpertum habemus, quã S. Scriptura nobis commemorat: nempe quod in Christo Domino omni gaudio ac lætitia fruantur. Nihil verò nos docet de confictis Rosariis. Verum de hoc postea in sequẽtibus Articulis.

Porrò quod Liturgiam Græcam hoc loco citant, quam Erasmus trãstulit, in qua Sacerdos aut Episcopus statim post Consecrationem salutationem Angelicam recitauit, quid ex eo consequitur? In Liturgia quã longo tempore antè Ioannes Tuscus sicut & in ea, quam nuperrimè Pelargus transtulit, nulla fit eius rei mentio, sicut nec in Græcis, Romæ ac Venetiis

ac Venetiis recusis. Græci non minùs quàm Latini quotidie aliquid in Veneratione sanctorum nouarunt, & interim honoribus ac cultui Christi detraxerunt.

Septima Pars.

SEptima hæc Accusatio non minor calumnia est, præcedentibus. Liber Reformationis damnat eos, qui orationem ore tantum sine seria cordis attentione, & eorum quæ orantur perpensione, recitatam accumulantes, quasique in fasciculum colligentes, peccata sua hoc modo expiare volunt. Aduersarij verò dicunt, Librum de Oratione sic loqui, quasi in satisfactionem peccatorum non debeat adhiberi. Quæ verba Liber non habet: & si haberet, malè tamen ab eo posita non essent. Fidelis enim oratio satisfactionem Christi exorat: non autem seipsam pro satisfactione præbet: contra quod nec Cyprianus, nec Basilius, quos Aduersarij hoc loco citarunt, loquuntur. Expiare enim peccata, & maculas ex peccato contractas eluere, nullo modo Orationi adscribũt, vt quæ per se tam præstans opus sit: sed quod per eam eiusmodi mundationem & sordium peccati ablutionem à Deo per Christum exoramus. Alioquin de vocabulo Satisfactionis, quomodo à Patribus vsurpetur, suprà in articulo de Satisfactione dictum est.

Decima sexta Accusatio.

De Veneratione Sanctorum.

Cap. XL.

EX præcipuis venerationibus est etiam hæc decimasexta, de Inuocatione sanctorũ, qui ex hoc mundo ad Dominũ transierunt. Aduersarij posuerunt de Veneratione sanctorum, verum maiori ex parte de Inuocatione eorum controuertitur. In hac accusatione supra modum laborarunt Aduersarij in congerendo quicquid vnquam corradere potuerũt, ad fucandam & ornandam Inuocationem sanctorum. Ex erroribus verò & abusibus, qui tam multi tamq; horrendi circa eam inualuerunt, ne vnum quidem vel minimo verbo redarguunt. Quòd si cultus & vera inuocatio Dei tanto studio quæreretur, quantę diuitiæ & gloria huius mundi, dubium non est, quin in hoc tam periculoso & scandaloso negotio, multi se alios demonstraturi essent: Dominus cõuertat ad se quicunque sui sunt. Homines pij, qui alioquin non quærunt occasionem errores, mendacia & abusus conseruandi, & ædificationem Ecclesiæ perferre possunt, ij ex controuersia ista se facilè expedient, si de sequentibus quatuor quæstionibus ex verbo Dei se instrui passi fuerint.

1. *Quomodo sint venerandi sancti.*
2. *Vtrum fruamur meritis eorum.*
3. *Vtrum pro nobis orent.*
4. *Vtrum orandi sint, & pro nobis intercedant.*

Prima Quæstio.

Quomodo sint honorandi Sancti.

Caput XLI.

QVòd Sancti, qui sanè mortui non sunt, sed apud Dominum viuunt, honorandi sint, de eo inter nos conuenit. Quomodo autem, & quibus rebus venerandi sint, id in controuersia positum est. Iam verò constat, cùm honor siue veneratio sit demonstratio singulariter bonæ, amātis, & reuerentis voluntatis, necesse est, vt qui verè aliquē honorare vult, summam diligentiam adhibeat, tale quid illi præstandi, quod imprimis & gratū & acceptum fore speret. Quamobrē qui magnis dominis vel aliis hominibus honorem deferre cupiunt, primum omniū diligēter inquirunt, quibus rebus illi singulariter delectētur & gaudeāt.

Porrò nemini dubium esse potest, sanctis nihil omnino gratum aut iucundum esse, nisi quod verè & efficaciter eò confert, vt nomen Dei magis sanctificetur, & regnum eius dilatetur. Semper autem id eis gratissimum esse, quod ad hanc rem quàm maximè confert. Quamobrem eo tantum venerari sanctos necesse est, idque in honorem ac placitum eorum faciendum, quod ad hunc finem efficaciter tendit, vt Christus Dominus magis cognoscatur & magnificetur, quod fidem in eum & charitatem erga proximum cum omni obedientia mandatorum illius apud nos prouehere potest.

Et hoc est vera dona Dei Sanctis ab ipso concessa, seriò ad gloriam Christi, & ædificationem fidei inter homines solemniter commemorare & prædicare, fidémque & bona eorum opera imitari.

Qui enim in veritate sunt, mendacium oderunt. Hoc ipsum sancti cū adhuc versarētur in terris, summo studio quæsierunt, omnia eò direxerunt, denique & sanguinem suum propterea effuderunt. Multò magis iam, cum apud Christum viuant, nihil aliud pro amore erga se vel honore agnoscent & accipient. Hanc venerationem sanctorum docet S. Scriptura, quæ ad gloriam gratiæ Dei, excellentia dona sanctis à Deo concessa, ac fidem eorum magnis laudibus extollit. Contra hanc multi graues & horrendi abusus inualuerunt. Primum, quod multa fabulosa figmenta de sanctis & eorum reliquiis proponuntur, veræ autem historiæ supprimuntur. Alterum est quod plerique merita sanctorum apud Deum magis quàm gratiā Dei ipsis exhibitam extollunt. Tertius, quod multi per celebrationē Sanctorum non ædificationem fidei, sed temporale lucrum & vtilitatem suā quærunt, imò mercaturam quasi & nundinationem cum sanctis exercent. Quartus, Quod plurimi in reliquias & imagines sanctorum, eo prætextu, vt ipsis honorem deferant, multas inutiles expensas faciunt, contra id quod Sancti iuxta mandatū Domini, & Sermone & exēplis docuerunt, vt supra indicatū est in articulo de bonis operibus. Illi enim corpori & sanguini Domini aurum & argentū detraxerunt, & in vsum egentium membrorum Christi erogarunt.

Iam

Iam liber Reformationis nil nisi hos manifestos abusus reiecit, ac veram Diuorum venerationem docuit, qualem S. scriptura, & etiam antiqui Patres præscribunt. Quare quò ad hanc primam quæstionem nemo quicquam habet, cuius librum Reformationis accuset.

Secunda quæstio.

De meritis Sanctorum.

Cap. XLII.

DE altera quæstione, siquidem veritatem Christi & verbum ipsius sequi statutum sit, sic se res habet. Benigniss. ac clementiss. Deus ad declarandũ, quanto amore suos complectatur, atque nos magis ad se alliciat & inuitet, de seipso testatur, quod propter suos aliis quoque benefaciat, ac benefacere velit vnde illa est promissio in principium decalogi, *benefaciens in mille generationes his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Exod. 20. Simile est id quod Deus dicebat ad Isaac, nempe quod confirmaturus esset fœdus, quod iurauerat Abraham patri eius, seménque illius multiplicaturus sicut stellas cœli, & traditurus illi terram Canaan, denique quòd omnes familię terrę essent benedicẽdę in semine ipsius, propterea quod Abraham obtemperasset voci suæ, & obseruasset mandata sua, ceremonias & statuta, Genes. 26. Sic & ipsi Abrahamo eadem hęc omnia pollicetur, cum illa adiectione, *Eò quòd obtemperasti voci mea.* Genes. 22. Et de rege Abia testatur scriptura 1. Reg. 15. *Quòd Deus dederit ei lacernam in Hierusalem, & excitauerit ipsi semen in Hierusalem, eò quòd fecisset Dauid id quod placebat Domino, &c.* Similis locus est Esaię 37. quem Aduersarij adduxerunt. *protegam ciuitatem hanc propter me & Dauid seruum meum.* Et alia quàmplurima loca.

Ex quibus clarum est, quod Dominus eximium amorem suum, quo fideles suos prosequitur, etiam in iis declaret, qui ad sanctos pertinent, quódque in his fidem & obedientiam illorum præclarè remuneret. Verum igitur est, nos fauore & beneuolentia Dei, quam erga sanctos suos habet, amplissimè frui. Omnes qui cum D. Paulo nauigabant, quorum erant ducenta & septuagintaquinque animæ, donabantur Paulo à Domino, ne per naufragium perirent. Act. 27. Illi sanè propter D. Paulum, quem tamen captiuum ducebant, maximã vtilitatem perceperũt. Ita & socrus Petri, genero suo Petro & reliquis Apostolis fruebatur: Dominus enim ad preces illorum ipsam febri liberabat.

Verùm propterea velle dicere, quòd fruamur meritis Sanctorum, id nec scripturæ consentaneum est, & fidei nimis derogare videtur. Sic enim loquendo minima causa beneficiorum Dei commemoratur, vera autem & primaria causa, nempe benignitas & gratuita dilectio Dei, nullis operibus nostris pro merita, vna cum pretioso merito Domini nostri Iesu Christi subticetur. Imò talis causa commemoratur, quæ ex seipsa causa non est, sed tantũ ex infinita bonitate, misericordia ac dilectione Dei pro causa accipitur. Nulli enim vnquã tã sancti fuerũt, aut in obedientia Dei & bonis operibus tam longè progressi, vt obedien-

tia eorum vel bona opera ipsis ad salutem sufficere possent: sed omnes adhuc oportuit per meritum Christi, & ex gratia saluari, Deúmque precari, ne intret cum eis in iudicium, quandoquidem verum & immotum perpetuò manet, Nullum hominem in hoc mundo viuente coram illo iustificari. ET quemadmodum Augustinus ex hoc fundamento rectè dicit, *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si eam Deus absque misericordia iudicare velit.*

Cùm itaque omnis iustitia, & bona opera sanctorum in seipsis adhuc tam vtilia sint : & quicquid tandem laudis vel præmij benignissimus Deus eorum obedientiæ, ac benefactis in S. scriptura promittit & tribuit, nihilominus tamen omnia bona opera, omnísque obedientia sanctorũ, nec non amplissima merces, quã Dominus vel illis ipsis, vel suis rependit, nihil aliud sint, quàm mera & gratuita dona charitatis ac bonitatis diuinæ , quam erga suos tam excellenter demonstrat sine vllo merito, propter vnicum mediatorem Christum, filium suum dilectum, quemadmodum Deus ipse in scripturis suis clarè & copiosè testatur. Quomodo cum vera pietate congruere potest, quæ semper maximoperè studet, vt Deum eiúsque gratiam ac fauorem magnificiat & celebret, in Christo Domino nostro, non autem homines beneficia Dei meritis sanctorum adscribere velle, & non multò magis gratuitæ bonitati & dilectioni Dei, quam propter meritum dilecti filij sui, & in ipsis sanctis, & propter eos in aliis quoque declarat? Vbi & illud probè considerandum est, quod Dominus Deus, iuxta cuius verbum & credere & loqui debemus, vocabulum (Meriti) nullibi in scriptura sua vsurpauit, etiamsi voce (Mercedis) vsus sit. Nam clementiss. Deus debitam suorum obedientiam ex mera gratia, non meritò remuneratur, cùm tamen cum omni obedientiæ suæ legi nunquam satisfaciant. *Quod si meritum esset, non esset gratia*, Rom. 11. Mera autem gratia est quicquid boni Dominus vnquam sanctis fecit, & adhuc facit, tam in propriis ipsorum personis, quàm in aliis ad se pertinentibus.

Quamuis igitur Deus obedientiam & bona suorum opera sæpenumero laudat, tanquam causas beneficiorum suorum, docet tamen in tam multis scripturæ locis, quòd nullam aliam ob causam suis benefaciat, quàm ex mera gratia, & gratuita dilectione : non autem idcircò, quod sanctorum obedientiã per se id promereatur. Quando loquitur cũ Abrahamo & Isaaco, meminit obediẽtię Abrahami, & dicit, *propter eã se fœdus suum cum semine eius confirmaturum, & promissam benedictionẽ præstiturum.* Prius tamen Abrahæ hoc idẽ fœdus gratiæ liberè sine vllo merito promisit. Gen. 12. 15. & 17. cùm Abraham obedientiam suam in filio nondum exhibuisset. Quando ígitur verè fideles & à Deo docti in scripturis legunt, Dominum de beneficiis suis ita loqui, quod sanctis suis benefacere velit, etiã propter obediẽtiã illorũ, in eo primũ omniũ iminẽsam bonitatẽ Dei agnoscũt, ex qua omnes eiusmodi promissiones & beneficia gratis sine vllo merito nascuntur, sicut etiã ipsa obedientia & omnia bona opera sanctorũ. Primũ igitur fideles laudant ac celebrãt Deum, qui suos ex gratuita misericordia, & propter meritum dilecti

filij

filij sui, eiusmodi spiritu & fide tam excellenter honorauit & ornauit. Postea verò & Sanctos quoque prædicant, tamen in Deo & Christo Domino nostro, vt qui gratiam ac dona Dei non inutiliter acceperint.

Quamobrem cùm constet omnia beneficia, quæ Deus Sanctis suis vel propter eos aliis quoque hominibus confert, adhuc esse mera, libera & gratuita misericordiæ ac bonitatis diuinæ, meritique Domini nostri Iesu Christi dona: Cúmque Dominus, etiamsi obedientiam sanctorum suorum in ipsorum honorem: & beneficia sua & ipsis & aliis propter eos exhibita, prædicat & extollit, eiusmodi tamen obedientiam, & bona opera non meritũ appellat, sicut nec propriè loquendo merita esse possunt, consequitur apud omnes fideles ac timentes Deum, qui in omnibus rebus ad verbum Domini respiciunt, & iuxta illud intellectum & verba sua moderantur: quique summa diligentia curant, vt gratiæ Dei & merito Christi suus honor permaneat, ne dicant, Deum nobis benefacere propter merita sanctorum, aut quòd meritis eorum feramur, sed dicent, sicut etiam S. Scriptura, & Sancti Patres loquuntur, quòd benignissimus Deus nobis largiri velit, vt delectione & gratia sua, quam exhibet sanctis suis, fruamur: quodque ex mera gratia sua, & etiam propter obedientiam eorum, nobis benefacere velit.

Adhæc in Oratione sua merita Sanctorum Deo non proponent, sed gratiam eius, & benignas promissiones, meritumque Christi, cum quo Deus nobis omnia donauit. Sic docet nos sanctus in Scriptura sua. Cùm populus Israeliticus adorando vitulum aureum grauiter Deum offendisset, ad eo vt ad Mosen diceret, *Dimitte me, vt iracatur furor meus contra eos*: ac simul ostenderet, se tantoperè diligere Mosen, vt populum delere non vellet, propterea quod ipse tam seriò pro eo intercedebat, nihilominus tamen Moses in oratione sua pro populo non modo nullum suum interitum, sed ne primorum quidem Patrum aliquod, quorum tamen in oratione meminit, Domino prætendit, sed proponit ei immensam bonitatem, & gratuitam dilectionem illius, quam antea per tam excellentia beneficia erga populum declarauit: quódque deletio populi ad infamiam nominis eius, & corroborandam infidelitatem, ac blasphemiam inter gentes esset redundatura. Cúmque memoriam veterum quoque Patrum, & amicorum Dei troduceret, dicens, *Recordare Abraham Isaac & Israel seruorum tuorum*, non subiicit, Qui tam obedientes tibi fuerunt, tibique tam diligenter seruierunt, sed: *Quibus iurasti per temetipsum, dicens, Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cœli*, &c. Quam promissionem Dominus procul dubio ex mera gratia illis fecit. *Exod. 32.*

Sic in Psal. 132. cùm Salomon & vniuersus populus Israël Deum orarent pro Tẽpli & Religionis profectu, dicebant, *Memento Domine Dauid, & omnis afflictionis eius*, Et, *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* Ibi quoque nihil de merito Dauidis commemoratur, sed de voto eius, quo vouerat se Domino domũ extructurũ: itẽ de promissione facta Dauidi, quod ex semine eius sessuri essẽt super soliũ ipsius.

Sic & in aliis locis scripturæ inuenitur, vbi sancti in orationibus suis

prædecessorum suorum meminerunt. Commemoratio & prætensio gratiæ ac promissionis diuinę semper præcipuum est, nec vlla penitus fit mentio meritorum, etiamsi Dominus obedientiam,& bona suorum semper magnoperè commendat,& tanquam causas beneficiorum suorum, quæ tam in eos quàm in suos contulit, proponit. In hoc & nos quoque debebamus permanere, ac potius verbum Dei imitari, quàm figmenta & adinuentiones hominum.

Verum quidem est, sancti Patres, vocabula (*Mereri & merita*) plurimum vsurparunt,cumque de eo loquuntur, quod Dominus propter obedientiam Sanctorum suorum nobis benefaciat, dicere solent, Merita Sanctorum nobis prodesse. Verum hæc vox (merito) apud eos non tam latè patet, quam apud nos (*Verdienen vnd verdienst*) quæ vocabula proportionem quandam & æqualitatem in se habent, cum eo quod quis promeretur.Melius ac magis propriè dictio (*Merita*) apud Patres in ista materia reddit posset per vocabulum (*Dienst*) quàm (*Verdienst*) Liberè enim & ingenuè fatentur,partim merita Sanctorum,partim eorum renumerationem mera esse dona Dei: & quod merita sanctorum legi diuinæ nunquam satisfaciant.Hactenus ad secundam quæstionem: quæ omnia in Libro Reformationis summatim continentur.

Tertia Quæstio.

De Intercessione Sanctorum.

Cap. XLIII.

QVOD animæ Sanctorum in cœlis salutem nostram desiderent, & vt gloria Dei in nobis perpetuò magis illucescat,ex eo colligitur, quod cum Christo viuunt,iuxta id quod Paulus dicit, Cupio dissolui & esse cum Christo Philip. 1.Item 2. Cor.5. Confidimus autem & probamus magis peregrè Abesse à corpore, & præsentes esse apud Deum.Cùm enim sancti apud Christum & in Christo sint: viuunt in vera charitate Christi erga nos,quæ perpetuo desiderat,& orat,vt Christus in nobis augeatur & crescat.

Cæterùm aliquid certi de eo scire non possumus, quomodo Sancti pro nobis orent, quandoquidem S. Scriptura nihil de eo testatur. Ex operibus enim & actionibus huius terrenæ vitę ad spiritualis ac cœlestis vitæ actiones, præcipuè verò animarum,nulla cõclusio fieri potest, Sancti cũ in hoc mundo versarentur,ex vera charitate miseros peccatores luxerunt ac deplorarunt:verum ex eo non sequitur quod idem nunc quoque faciãt in cœlis, vbi Dominus omnes lachrymas ab oculis eorũ absterserit.Intercessio Sanctorum in hac vita coniuncta est cũ vehementi desiderio,& quasi molesta expectatione: at non ita est in cœlis. Verum ea ratione & modo, quæ cœlesti eorum vitę consentanea est, orant sanè pro nobis omnes Sancti. Vtrum verò peculiariter id faciant pro iis qui ipsos inuocant,vel memorias eorum honoribus afficiunt, vel ipsorum cognati aut affines sunt,an verò generaliter pro omnibus, vt pro electis

electis Domini nostri Iesu Christi,& eorum consortibus', in Domino nostro Iesu Christo,id D. Augustinus fatetur adhuc sibi esse ignotum. quoniam S.scriptura nihil de eo commemorat. Quare nec nos sanè id perscrutari & experiri poterimus.Hoc etiam liber Reformationis fatetur. Quamobrem cùm hac de re neque Aduersarij,nec alius quiuis certi quid in medium proferre possit,nec liber Reformationis, quantum ad hanc quæstionem pertinet,meritò reprehendi potest.

Quarta quæstio.

Vtrum inuocandi sint Sancti.

Cap. XLIV.

IAM ad id respondeamus,Vtrum sancti inuocandi sint,vt pro nobis orent. Ab hac opinione docet Liber homines abducēdos esse,eo quod nullum habeamus ea de re mandatum Dei, atque idcircò non possumus esse certi,quòd placeatDeo,cuius gratia nec ex fide fieri potest. Ad hæc oportet vt oratio nostra informetur iuxta formam eius orationis, quam Christus Dominus ipse nobis præscripsit,cui etiam cæteræ orationes scripturæ, quæ in psalterio & alias habentur,conformes sunt. Hæc autem forma docet nos in oratione nostra solum Deum Patrem nostrum cœlestem, & neminem præter ipsum inuocare. Tertiò eiusmodi Inuocatio sanctorum semper vel adorationi Dei,vel inuocationi mediatoris Christi repugnat.Has causas in libroReformationis positas, Aduersarij nondum refellerunt, neque vnquam refellere poterunt. Quare neque in hac quæstione habent cuius librum Reformationis accusent.

Responsio ad obiectiones Aduersariorum in hoc articulo.

Prima Pars, Quomodo sint venerandi Sancti.

Cap. XLV.

CONTRA primæ quęstionis declarationem objiciunt Aduersarij librum Reformationis sanctorum honori derogare.Ac primum quidem in eo,quod sanctos mortuos, imò etiam emortuos appellet:quos tamen S.scriptura nō mortuos esse,sed dormire dicere soleat. Quodque hac de causa dies illi,in quibus sancti Apostoli & martyres, ab hoc seculo feliciter transierunt,appellati sint dies natales,inde ab initio Ecclesię: eò quod diebus illis veraciter primum post multas ærumnas in aliud seculum nati sint.

Responsio.

SAcra scriptura loquens deChristo Domino nō veretur illū mortuū appellare,cuius imitationē quotidie in articulis Christianę fidei nostrę dicimus. *Credo in Iesum Christum, &, qui mortuus est & sepultus,*

Item dicimus, *Eum resurrexisse à mortuis, & mortuos resurrecturos per ipsum.* Et in Apocalypsi. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* D. Augustinus, lib. de Ciuit. Dei 22. cap. 10. *Nos autem*, inquit, *martyribus nostris non templa sicut dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis fabricamus.*

Quod si contumelia Christo Domino non est, quod cùm quotidie mortuum appellamus, & id secundum scripturam: & si D. Augustinus ab Aduersariis non carpitur, qui Martyres mortuos homines vocat, sicut & liber facit, facilè etiam Christiani librum Reformationis ab hoc crimine Aduersariorum absoluent, Fatetur enim quoque, quod sancti cum Christo viuant, eorúmq; mors non malè Somnus appellari queat: quam scriptura impiorum quoque mortem Somnum vocat, tum ad mitigandum mortis horrorem lenitate vocabuli, tum quia impij quoque à morte resurgent.

Altera Pars huius Accusationis.

Vtrum meritis Sanctorum fruamur.

Cap. XLVI.

SECVNDO loco dicunt Librum affirmare, Quòd vera necessaria & salutaris doctrina atque inuocatio Dei horribiliter, obtenebrata sit per ingentem & formidandam idololatriam, quæ commissa sit in Inuocatione sanctorum.

Responsio.

PErquiratur Ciuitas & Collegium Colonienſe, & alia quàmplurima collegia, & videatur, an non res ita se habeat. Quàm multæ superstitiosæ & idololatriæ fabulæ populo passim proponũtur? Quanta impietas cõmittitur in Inuocatione & adoratione sanctorũ, atque in veneratione reliquiarum & imaginum eorum? Quàm impiæ nundinationes cum ipsis exercentur? Hoc qui videre voluerit, is honorem ac cultum Christi, verámque fidem in ipsum tam parum curat, vt quo ad ipsum pertinet, omnino superuacaneum sit plura hac de re verba facere: quò ad veros Christianos non est necesse. Abominatio enim ista passim nimis clarè ob oculos versatur.

Contra declarationem secundæ quæstionis pugnant, quoque Aduersarij, ac volunt Remissionem peccatorum orandam esse propter merita sanctorum. Et ad hanc eorum opinionem confirmandam duo argumenta adferunt, quorum primum ducunt à communione Sanctorum, quam quotidie in articulis Christianæ fidei nostræ confitemur. Ex hac communione sanctorum, hoc est, vt ipsi exponunt, cum omnibus sanctis in Christo, dicunt Aduersarij, quod Omnes verè credentes, & in eadem communione permanentes, habeant participationem non eorum tantum, quę Deus nobis per Christum donauit & tradidit: verumetiam

rumetiam omnium bonorum, quę sancti Dei, quotquot fuerunt ab initio mundi, ad nos vsque vnquam habuerunt, aut per misericordiam eius acceperunt. Et ad hoc probandum multa citant loca tam ex S. scriptura, quàm ex S. Patribus, de communione, quam habeamus cum Christo Domino, per quam manemus ac viuimus in ipso, & ipse in nobis, sumúsque vnum cum ipso.

Itaque quo ad istam communionem sanctorum, nouerunt docti omnes, qui S. Patrum scripta legerunt, veteres in symbolo Apostolorum hanc additionem non habere, neque Irenęum, neque Tertullianum, neque Cyprianum, neque etiam Augustinum, sed simpliciter, Credo sanctam Catholicam Communionem, vel Ecclesiam, Remissionem peccatorum. Hinc est, quod docti existimant, adiectionem istam κοινωνία ἁγίων Communio sanctorum esse à posterioribus tanquam expositionem vocis Ecclesię adiectam. Nam sancta Ecclesia, & communio Christi nihil aliud est, quàm societas & communio sanctorum, hoc est fidelium.

Verum sit sanè, vt Communio sanctorum in symbolo significet communionem, quam habemus cum Christo Domino, & cum omnibus membris eius in ipso: per quam vnum sumus in eo, de carne & ossibus eius, de natura eius, de natura eius, membra illius, corpus illius, resuscitati cum ipso ex mortuis, & in cœlestem vitam translati, qua post hanc quoque manemus apud ipsum, ac sumus vbi ipse est, nempe apud Deum & Patrem suum atque nostrum: de qua communione testantur loca, quæ ab Aduersariis adducta sunt, ex Euangelio Ioannis. 6. 15. & 17. 1. Cor. 12. Ephes. 4. 2. Pet. 1. &c. Sicut etiam Liber Reformationis communionem istam cum Christo Domino & omnibus membris eius fideliter ac diligenter docet, pręsertim in Articulis de Baptismo & S. Cœna.

Quid verò inde concludi potest pro eo, quod non tantum eorum, quę Deus nobis per Christum donauit & tradidit, participationem habeamus: Verumetiam eorum omnium bonorum, quæ sancti Dei quotquot fuerunt ab initio mundi, ad nos vsque vnquam habuerunt: quódque remissionem peccatorum petere, diuinúmque auxilium implorare debeamus per merita sanctorum?

Verum quidem est, quod benignissimus Deus nobis tradit & donat omnibus verè credentibus dilectum filium suum Iesum Christum, & cum eo omnia, quemadmodum id omnibus sanctis fecit: adeo vt nos, quantum ad Christum Dominum & bonitatem eius attinet, participationem habeamus cum omnibus credentibus, omnium eorum bonorum, per quæ omnes sancti quótque fuerunt ab initio mundi, salui facti sunt, quibusque in æternum fruuntur. Quod verò propterea bona sanctorum opera, & obedientia, quam ex fide & spiritu erga Deum demonstrarunt, nobis quoque pro meritis imputentur, id ex hac communione concludi non potest.

Communio enim Christi, quam nobis S. scriptura in enumeratis locis proponit, non vlterius se extendit, quàm quòd nos cum omnibus sanctis ipsum Christum Dominum nostrum habeamus communem

Saluatorem, remissionem peccatorum per meritum eius, propicium Deum & Patrem, communionem Spiritus sancti,& nouę cœlestis vitę, denique viuamus in ipso,& ipse vicissim in nobis.

Vnde cum omnibus sanctis, quotquot vnquam fuerunt ab initio mundi, *concines sumus regni cœlorum, domestici Dei, verum semen Abrahæ, veræ Oleæ & vitis Christo vnà cum ipsis insiti, superstructi super fundamentũ Apostolorum,& Prophetarum,in Templum sanctum Domino.* Ioan.5.6.15.17. Rom.3.& 11. &c. Ephes. 2. *Et quandiu simul in hoc mundo viuimus, debent omnia membra se inuicem,& totum corpus in Christo ædificare.* 1. Cor. 12. Ephes. 4. Verum in his omnibus nihil habetur de communione bonorum operum & meritorum, quod videlicet participationem habeamus omnium bonorum operum, quæ vnquam sancti fecerunt, quemadmodum beneficia Christi nobis imputantur.S.scriptura testatur, Deum retributurum vnicuique secundum opera sua.Quamobrem qui malè operantur, & impiè viuunt, participationem iustitiæ Patrum suorum, imò ne excellentissimorum quidem sanctorum habere possunt, quandiu in impietate sua perseuerant, quemadmodum id Dominus grauissimè testatur, Ezech.14.& 18. Vbi etiam celeberrimorum sanctorum nominatim meminit, Noah, Danielis,& Iob.

Porrò si quando Dominus piis propter pios eorum parentes,vel alios sanctos benefacit, id tamen, vt iam antea probatum est, facit ex mera gratia, & propter Christum nostrum, non autem propterea quod obedientia & bona sanctorum opera id promeruerint. Omnes enim sancti,imò sanctissimi, vt Daniel,Dauid, Ioannes,& alij,confitentur,quòd sua ipsorum merita ad salutem illis nullo modo sufficiant.Quamobrem si omnium sanctorum merita & bona opera nostra essent,sicut ipsorum sunt, ex sua tamen virtute, ac sola per se nihil nobis apud Deum prodesse possent,ac nihilominus vnà cum sanctis, qui eiusmodi opera fecerunt, quantum ad ipsa attinet,adhuc inutiles serui essemus: quò vero ad multa opera non bona,quæ frequenter admittimus,& omnes sancti admiserunt, miseri peccatores, qui in iudicio Dei, cum nostra & sanctorum iustitia nullo modo possemus consistere, *Quia coram Domino non iustificabitur omnis viuens.*

Quamobrem vnicuique Christiano diligenter notandum est, ea memorata communione sanctorum in Christo nequaquam concludi,quod nos in eo quoque debeamus omnium bonorum esse participes, quæ sancti Dei quotquot fuerunt ab initio mundi, vnquam habuerunt, aut per misericordiam eius acceperunt, quod bona eorum opera ac merita nostra quoque sint, nobisque quemadmodum meritum Christi imputentur.His honos meritò Christi proprius est,& nemini præterea attribui potest. De propriis sanctorum bonis operibus sic se res habet, quemadmodum D.Paulus testatur,Ephes.6. *Vnusquisque quod fecerit bonum, hoc reportabit à Deo,siue seruus fuerit,siue liber.* Item, *Qui semen facit libenter ac benignè largiendo,copiosè metietur.* In Deo positum est,& mera gratia,quem nam aliorum sanctorum obedientiæ, & quatenus participem faciat. Non autem idcirco vllorum sanctorum obedientia aliis

imputatur,

imputatur, & communicatur, quemadmodum iustitia & bona opera Christi.

Istud figmentum de participatione meritorum sanctorum, illi præcipuè excogitarunt, qui cum Indulgentiis negotiati sunt. Sanctis enim opera supererogationis ex doctrina Thomæ & aliorum scholasticorũ Doctorum, adscribunt, quę sanctis ad eorum salutem non fuerint necessaria. Hęc postea supererogationis opera vnà cum merito Christi in sua Indulgentiarum cista reposuerunt, Papæ verò claues tradiderunt, vt ea cuicunque voluerit (hoc est, qui vel pecunia vel alio quodam precio ea redemerit) impertiendi potestatem habeat.

De hoc verò nec S. scriptura, nec sancti Patres vel verbo mentionem faciunt. Et neq; Alphonsus, neq; alij abusuum defensores, hoc cõmentũ de operib. supererogationis per id probare poterit, quod D. Paulus de se prædicat, quòd Euangeliũ in Ecclesiis Achaiæ gratis prędicauerit, à quib. tamen iure poterat exposcere stipendiũ, ad sustentãdam corporis sui necessitatẽ. Item quod multi propter regnum cœlorum à matrimonio abstineant: cũ tamen vnicuique liberũ sit contrahere matrimoniũ. Eiusmodi homines admodũ parũ considerant, quid Deo creatori & redemptori nostro debeamus, ad quid nos creauerit, & in quẽ finem ab æterna morte per sanguinem filij sui redemerit, quã grauia & seuera merito sint eius iudicia contra nos & opera nostra, quando illi nõ ex toto corde, tota anima, ac totis viribus, seruimus, vt omnem fiduciam nostrã in dilecto filio eius ponamus, nósque totos ei tradamus.

Quantum ad Corinthios alióſq; pertinet, quib. Paulus prędicauit Euangelium, iure quidem potuit ab illis mercedem laboris ac ministerij sui accipere, quod ipsis ad æternam eorũ salutem impendebat. Quoniã verò hanc facultatem Dominus ei largitus erat, vt Euangelium in Achaia gratis, nulla ab istis hominibus accepta mercede, prędicare posset, videretq; id vtile esse, & ad prouehendũ Euangelij cursum conducere: quódque impedimentum Euangelio attuliſſet, si quid ab hominib. istis pro prædicatione sua stipendij accepisset, tenebatur sanè nihil ab ipsis accipere, sed Euangelium gratis sine vlla mercede illis prędicare, quẽadmodum id faciendi potestatem Dominus ei largitus fuerat. Etenim tenebatur Deum amare, eíque seruire ex toto corde, tota anima, totísque viribus. Quare & ex hac quoque facultate Deum diligere debebat, quam Dominus ei largitus fuerat: qua posset Euangelium in Ecclesiis Achaię gratis prædicare. Vnde est quod dicit, Satius sibi & consultius esse mori, quàm hanc gloriationem amittere. Et, Hanc suam fuisse mercedem, quòd Euangelium gratis prædicaret, ne sua vice abuteretur. Ad eundem modum cuicunque Christiano Dominus dedit, vt extra coniugium magis ac melius regno ipsius inseruire possit, quam in Coniugio, is iam id facere tenetur, quandoquidem illud faciendi potestatem ac vires à Domino accepit, cui sanè ex totis viribus suis seruire debet, etiam si matrimonium in genere omnibus licitum sit & concessum.

Deum amare, eíque seruire ex toto corde, tota anima, & totis viribus, diligere eũ sicut ipse dilexit nos, longè plura in se amplectitur, quã vllus vnquam sanctus in hac carne prestitit. Huic mandato omnes

adhuc debitores & obnoxij manserunt, habuerúntque quod orarent, *Domine, remitte nobis delicta nostra.* Quapropter omnes confessi sunt, quod in bonis operibus faciendis non mediocriter defecerint, metámque suam non attigerint: tantum abest vt de vllis operibus Supererogationis gloriarentur, quę vel ipsi, vel Papa distribuendi aliísque impertiendi potestatem haberet.

Hactenus de participatione bonorum operum & meritorum Sanctorum, quorum & nos quoque, vt Aduersarij docēt, reddamur participes, propterea quod cum illis vnum in Christo corpus sumus. Quod ex Cōmunione quam habemus in Christo, nullo modo consequitur, vt iam demonstratum est, & alioquin quoque cum Scriptura pugnat, quando scilicet ista participatio latius extenderetur, quam quòd Deus ex mera gratia propter obedientiam sanctorum suorum bene faciat, cui & quomodo vult: quódque nos de omnibus bonis operibus, quę vnquam sancti fecerunt, merito lætari, Deum in illis celebrare, eáque strenuè imitari debeamus, vt per quæ nomen eius sanctificatum est, & regnum propagatum. Talem communionem & participationem bonorum operum & meritorum sanctorum liber Reformationis quoque docet.

Non autem conferet ad grauem istum & horrendum abusum defendendum, quo homines ad imagines & ossa sanctorum currunt, ea ornāt & circumferunt, cereos & luminaria illis accendunt, suffitus faciunt, idque hanc solam ob causam, quod ex meritis eorum ingentem vtilitatem apud Deum se accepturos sperant.

Secundò, ad defendendum eum abusum, quo remissio peccatorum & auxilium diuinum petitur propter merita sanctorum, Aduersarij Collectas aliquot citant, in quibus oratur, vt Deus propter merita, & intercessionem Sanctorum nos liberet ab omnibus peccatis, &c. Vnde constet, Catholicam Ecclesiam perpetuo concorditer ita sensisse.

Responsio ad primum. Apud nullum Christianum locum habebit, vt Christianæ Catholicę Ecclesię continuò adscribatur, quicquid indocti & superstitiosi sacrifici in Ecclesiis vel orarunt, vel excurrunt, & in cōsuetudinem vsúmque Ecclesiarum perduxerunt. Etenim rem eò adduxerunt, vt in precationibus & Cantionibus omnia hęc à Sanctis petant, quę à solo Deo petenda sunt: vt, Peccata abolere, morbis animi mederi, mentem illustrare: mansuetos, castos ac pios reddere: in omnibus calamitatibus iuuare: omnia mala propellere: à morte liberare: in omni vita ducere, tueri & defendere: auxilium & refugium, vita ac spes esse: in hora mortis suscipere: in cœlum collocare: largiri fruitionem speratorum bonorum. Hæc omnia in nonnullis hymnis & Sequentiis inueniuntur.

Vera autem Ecclesia Christi, talia à solo Deo Patre nostro precatur, non autem ab vlla creatura. Nihilominus tamen ij qui bonis Sanctorū libenter in hoc mundo rebúsque temporalibus fruuntur, eiusmodi precationes communibus supplicationibus & hymnis, quę in congregatis Ecclesiis publicè orantur & decantantur, immiscuerunt. Quare non sequitur, Sacerdotes hoc canunt vel orant in templo, Ergo rectè se habet,

bet,& est opus verę Ecclesię Christi.

Qui cupit videre,quid veræ Ecclesiæ Christi in memoriis Sanctorum orauerint,is certè non debet nouas collectas intueri. In Liturgia Græca,quæ Basilio & Chrysostomo adscribitur, & hoc tempore apud Grę-cos in vsu est, quamuis multa noua ei admixta sint, & Sanctorum eorúmque intercessionis mentio fiat, nihil tamen de meritis Sanctorum inuenitur. Antiquas verò Collectas inspiciat, de antiquissimis & summis sanctis,Apostolis & martyribus: in his nihil neque de intercessione eorum,neque de meritis reperiet. Sed hoc potius,vt Dominus det nobis amare quod ipsi crediderunt:& prædicare quod docuerunt,& facere quod fecerunt & tradiderunt. Item, imitari quod honoramus, & assequi,quod ipsi assecuti sunt. Inspiciantur Collectæ de Apostolis in genere. De S.Petro & Paulo,de Ioanne Baptista,de S.Stephano,de Laurentio,& aliis. Et quamuis aliæ quoque collectæ his admixtæ sint, quales hoc loco Aduersarij citant,eæ tamen plus valere non debent,quàm alia eorum cum S.scriptura non congruentia additamenta.

Secundò.Iam antea dictum est,vocabulum illud(Merita)apud Patres in genere nihil aliud significare,quàm cultum Dei & bona opera: non autem quod aliquid à Deo promereantur homines, instar mercedis. Etenim sic scribit D.Augustinus, *Populum Christianum memorias martyrum religiosa solennitate concelebrare, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum,hoc est,δ συλλείαις ἢ λυτρώσεις, consocietur, atque orationibus adiuuetur.* Lib.contra Faustum 20.cap.21. Dicit, *Nos meritis eorum consociari non autem iuuari.* Iuuari autem nos dicit orationibus eorum, iis videlicet,quę ad meram gratiam Dei per vnicum mediatorem nostrum Christum Dominum diriguntur. Adhæc meritis eorum non aliter consociamur,quam cùm fidem ipsorum imitamur.

In eo loco D.Augustini lib.2.Quęstion.super Exod.149.quem Aduersarij adduxerunt,dicit quidem hic Sanctus Pater,*Per hoc,quòd Deus populo Israelitico ad intercessionem Mosis,quem tantoperè diligebat, deletionem,quam & meriti erant, & ipse comminatus illis fuerat, Dominus remisit, nos admoneri, cùm merita nostra nos grauassent, ne diligantur à Deo, releuari nos posse apud eum illorum meritis quos diligit, Posse releuari, inquit, & quos Deus diligit.* Quando enim Deus ad intercessionem sanctorum, & propter eorum obedientiam nobis parcit, facit id, vt sæpius iam dictum est,ex gratuita,non promerita dilectione ac beneuolentia, qua sanctos suos prosequitur,propter dilectum filium suum Christum Dominum: quibus,quando,& quomodo ipse vult. Non quòd vllus homo id ordinare possit,aut merita auxiliáque sanctorum distribuere, vel propriis meritis sanctorum assequi, quemadmodum hactenus nonnulli tentarunt,ac populus communiter edoctus est.Quamobrem nec veteres Ecclesię.nec S.Patres vnquam pro remissione peccatorum per merita sanctorum orarunt,sed tantummodo per meritum Christi. Hactenus ad obiectiones Aduersariorum contra secundam quæstionem de Sanctis.

Tertia pars. *Vtrum Sancti pro nobis orent.*

Cap. XLVII.

DE tertia hac quęstione nulla est singularis controuersia. Quod enim Sancti in cœlis salutem nostram desiderẽt, ac Deum, prout cœlestis eorum vitæ conditio fert, orent, contra hoc nihil in libro Reformationis positum est, sed docetur idem. Hanc verò intercessionem velle peculiariter distinguere, & vni sancto orationem contra febrim, alteri contra Pestilentiam, alij contra alia incommoda & calamitates tribuere: quinetiam docere, quòd Sancti, prout omnis generis cultibus à nobis honorentur, eiusmodi intercessiones faciant, de eo neque scriptura, neque veterum Patrum doctrina inuenitur.

Quarta pars. *De Inuocatione Sanctorum.*

CIrca quartam quæstionem, de Inuocatione sanctorum est acerrima pugna, & grauissima controuersia. Ad eius enim defensionem Aduersarij & scripturis, & testimoniis S. Patrum vtuntur, quæ aliquantulum examinemus.

Ex locis Scripturæ quæ citant, primum est, quòd Dominus in figurata illa descriptione supplicij diuitis, qui paupertatem & miseriam Lazari iacentis ad fores domus suę, negligebat, meminit inter cætera, Diuitem illum in tormentis suis Abrahamum inuocasse, rogasséque, vt mitteret Lazarum, vt extremitatem digiti sui in aquam intingeret, linguámque eius refrigeraret. Ex hoc loco, dicunt Aduersarij, manifestum esse, quòd Inuocatio sanctorum in Iudaismo, quo tempore Christus docebat, adeò non fuerit reprehensa, vt etiam vsus eius pius crederetur. Hic rursus apparet, quàm malè homines isti aduersus Archiepiscopum suum & Christianam Reformationem sint affecti. Nouerunt hanc esse figuratam locutionem, ex qua dum de Christiana doctrina controuertitur, nullæ probationes desumi possunt: quódque Dominus hac similitudine nihil aliud quàm diuitis supplicium & cruciatum describere voluit. Vt nihil ex ea concludi possit, quàm quod hi, qui in hoc mundo in vera fide afflictiones & calamitates perpetiuntur, & ab omnibus contemnuntur, in futura vita æternum gaudium ac summum honorem sint habituri: quemadmodum è contra æternas pœnas, & confusionem sempiternam, qui donis Dei in hac vita abutuntur, pauperúmque necessitatem ac egestatem contemnunt. Quod eorum supplicium inde magis augebitur, quia tunc cognoscent, quantis gaudiis & honoribus apud Deum fruantur hi, quos ipsi in hoc mundo contempserunt & afflixerunt. Cuiusmodi verò hoc supplicium gaudiúmque sit, quídve communicationis & collocationis sit inter eos, qui cœlesti gaudio fruuntur, & contra qui gehennæ incendio torquentur, ex hac similitudine colligi nequit. Alioquin sequeretur quoque, animam Abrahæ sinum, & Lazari digitos,

digitos,& diuitis hominis linguam habere,quódque linguę eorum, qui in inferno sunt,aqua refrigerari possent.

At quàm infirma hęc est probatio Inuocationis sanctorum, quę sumitur ex eo,quod Dominus de diuite homine in inferno pronunciauit? Nunquid ab iis debemus discere, orare, auxiliúmque Dei implorare, qui in inferno sunt?

Alter locus scripturę quem citant,est ludibrium inimicorum & infestissimorum hostium Christi, quo illum affecerunt, cùm clamasset in cruce: *Eloi Eloi lamna sabachthani,* dicentes,Heliã vocat,sine, videamus an veniat Helias liberaturus eum. Vnde dicunt Aduersarij, satis apertè significatur,inuocationem Prophetarum etiam Iudæis in vsu fuisse, nec fuisse tanquam impiam damnatam. Atque ita secundam confirmationem Inuocationis sanctorum ex blasphemia verborum Christi peruersione depromunt, quam acerbissimi eius hostes, in contemptum ac ludibrium eius exercebant. Nunquid hæc non horrenda est & atrox peruersio ingenij eiusmodi doctorum hominum? Infensissimi hostes & illustres Christi peruertunt verba Domini, & inuocationem Patris, per irrisionem, dicentes, Heliam vocat. Hoc debet continuo esse augmentum, & infallibile signum,quòd Inuocatio Prophetarum tunc temporis in Iudaismo fuerit vsitata. Et hæc argumenta,quę Aduersarij ex S.scriptura pro confirmanda sanctorum inuocatione desumunt. Dominus eorum misereatur,si fieri potest.

Deinde nonnulla dicta S. Patrum adducunt, partim ex veris eorum libris,partim ex adulterinis,& falsò nominibus eorum inscriptis,cuiusmodi sunt,Liber meditationum & De agnitione veræ vitę D. Augustino adscripti.

Quod ex Basilio citant de XL. Martyribus, nemo est qui non videat esse Rhetoricam Apóstrophen: qua figura quemuis hominem absentem, imò etiam res quaslibet sensu carentes, vt montes, arbores, aliáque id genus, alloqui solemus: qui modus loquendi in scripturis frequens est. Verum ex eiusmodi Apostrophes nulla doctrinalis locutio fieri potest. Quod verò ex Origene, super hæc verba (ordinate in me charitatem) adferunt, id quilibet peritus Theologus nouit nihil concludere. Primum enim locus iste in Hebraico textu habet, Signum eius vel vexillum super me est charitas: non autem, Ordinate in me charitatem,sicut veteres legerunt. Hieronymus vocabulum(ordinato) primùm ad ministros doctrinę Christi refert.

Verum autem est,temporibus Basilij & Chrysostomi cœptum fuisse,vt sancti ipsi inuocarentur. Prudentius poëta in hymnis suis de Martyribus fermè omnia à sanctis orauit,quę à solo Deo petenda sunt. Verum quò tandem euasit declinatio ista à formula precandi, quam Dominus ipse præscripsit,& Spiritus sanct⁹ inuniuersa scriptura passim proposuit? quãtã defectionem à Deo Patre nostro cœlesti, & vnico mediatore Christo genuit?

Postquàm igitur hoc cũ grauissima offẽsione & dissipatione verę Chri-

stianæque inuocationis experti sumus, quare non ad pristinam & certam inuocandi formā nos reciperemus, aliósque ad eam reduceremus, ad inuocandum Deum, quemadmodum ipse Dominus & vnicus Magister noster Christum nos docuit, præsertim cū promissionē habeamus ab eo, quod quicquid simꝰ ab ipso petituri, sit facturus & daturus nobis.

Citant quoque experientiam Aduersarij, & miracula quædam auxiliáque commemorant, quæ contigerunt his, qui aliquando Sanctos inuocarunt. Verum quis de hac experientia nos confirmabit, ac certos reddet? Libri enim quos Aduersarij allegant, Euangelium non sunt, Sacra scriptura non sunt, neque tantæ authoritatis, vt certò & indubitatè illis fideri possim. Adhæc præmoniti sumus à spiritu Sancto, quòd Antichristi aduentus futurus sit secūdum operationem Satanæ, cum omni potentia, & signis, ac prodigiis mendacibus, 2. Thess. 2. Omnia vera signa, quæ Dominus Ecclesiæ suæ promisit, eò deseruiunt, vt Euangeliū Christi, & fides non confirmetur, Iesum Christum vnicum esse Seruatorem. Marc. vlt. Ioan. 20. Ex hoc D. quoque Augustinus agnoscit, Libro de cura agenda pro mortuis, Ea tantum signa esse & miracula Dei, ædita apud memorias martyrum, quę valent ad ædificandam fidem Christi, propter cuius confessionem martyres supplicia pertulerunt.

Sic de ciuitate Dei lib. 22. cap. 10. d. sed vide qualia miracula ibidē narrat.

Quapropter quicquid tandem de miraculis & auxiliis sanctorum vel scriptis proditum, vel fama sparsum, vel experientia compertum sit, eò semper inprimis diligenter respiciēdum est, quid in eiusmodi scriptis, relationibus aut visis verum aut falsum insit. Omnes homines mendaces sunt: quare scriptis aut relationibus eorum fides nostra in rebus diuinis niti non potest. Diligenter & hoc quoque animaduertendum est, quænam sint vera signa & miracula Dei, conducentia ad ædificationem fidei in Christum: contra verò quæ nihil aliud sint, quàm meræ præstigiæ, & fallaciæ Diaboli, pœnæque incrudelitatis, per quas Dominus Deus efficaciam illusionis immittit his, qui dilectionem veritatis non receperunt, 2. Thess. 2.

Pręter hęc omnia, quicquid tandem de Inuocatione sanctorum vel doctum, vel vsurpatum, vel experientia confirmatum sit, nobis tamen, qui Christiani esse volumus, non competit, recedere ab eo, quod Dominus ipse nos docuit: vel etiam aliquid recipere, quod ab hominibus excogitatum est, à Christo autem, vel Apostolis eius nullibi traditum, *Anathema enim*, vt inquit Paulus, *nobis esse debet, quicunque aliud Euāgelium prædicauerit, quàm ab Apostolis prædicatum est*, Galat. 1. At manifestum est, hoc esse aliud Euangelium ab eo, quod Christus & per semetipsum, & per Apostolos suos nos docuit, quod iubet nos alios aduocatos apud Deum, & intercessores in cœlis quærere & inuocare, quàm vnicum mediatorem ac saluatorem Christum. Quamobrem hoc apud vetustiores Patres non inuenitur. Ad hęc conseruauit Deus in Ecclesia sua, vt in omnibus Collectis solus Deus Pater per Christum inuocetur, sicut antea commemoratum est.

Cùm igitur hęc Oratio sacerdotis in sacro Officio & vocetur, & esse debeat Canon verę orationis Ecclesiasticę, priuatę quoque precationes

tiones ad eandem regulam, vtpote ex S. scriptura desumptum,& quę verũ orandi modum tradit formari,&ad solum Deum dirigi debent.

Antiquus Doctor Tertullianus scribens aduersus Praxeam in principio libri, inquit, Commune hoc esse, contra hęreses propugnaculum, id esse verum, quodcúnque primum: id esse adulterinum, quodcunque posterius. Item de præscriptionibus hęreticorum: *Nobis verò nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptã à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaque etiamsi Angelus è cœlis aliter Euangelizaret, anathema diceretur à nobis.* Hęc scripsit D. Tertullianus ante mille trecentos annos, idque ex verbo Dei,& veris Apostolicis traditionibus, quemadmodum in Apologia primi Articuli est ostensum.

Patet igitur inuocationem Sanctorum in doctrina quam nobis Christus Dominus & per seipsum & per Apostolos suos à principio tradidit, non esse comprehensam, sed longè post ex humano ingenio ac placito excogitatam & introductam. Quare & falsam esse oportet, & cuiuis Christiano fugiendum, sicut etiam verę Inuocationi Dei, & vnici mediatoris Christi quam nobis Sacra scriptura proponit, omnino contraria est, sicut & in libro Reformationis, & hîc quoque abundè demonstratum est.

Hinc est quòd nullum Concilium hoc humanum inuentum confirmare potuit. Adhęc manifestum est, Concilia quoque interdum à veritate aberrare posse, id quod non rarò contigit, vt de Ariminensi, & Ephesino secundo, aliísque legimus. Sextum quoque Constantinopolitanum Concilium, quod Aduersarij hoc loco citant, eodem hoc tempore celebratum est, quando plurimi errores iam inualescere cœperant.

Hæc omnia qui diligenter perpendere, serióque ponderare volet, is facilè videbit, Inuocationẽ Sanctorũ, pro qua tã acriter Aduersarij pugnãt, quantũuis in recentioribus eorũ Litaniis, &aliàs frequens & peruulgata sit, reuera nihil aliud esse, quàm humanum inuentum, de quo non tantum ex verbo nihil certò fieri potest, vtrum Deo placeat, imò etiam, an sancti eam percipiant & intelligant. (Quod enim D. Augustinus incertum esse fatetur, id poëta Prudentius, cuius autoritate Aduersarij nituntur, certum non reddet) verumeriam veræ inuocationi Dei per vnicum mediatorem Christum contrariatur &derogat. Adhęc quiuis Christianus, qui diligenter ad ea quæ Aduersariorum obiectiones responsa sunt, attenderit, liquidò videbit, hoc humanum inuentum, per omnia ea quæ ab Aduersariis in medium adducta sunt, defendi non posse, multò minus Christianis ad vsurpandum confirmari & stabiliri.

Accusatio decimaseptima.

De cultu & veneratione reliquiarum.

Cap. XLVIII.



Hæc quoque Accusatio Aduersariorum instituta est aduersus Articulum de Oratione,& Veneratione reliquiarum. Adducunt autem aliquot dicta S. Patrum,Basilij Chrysostomi, Augustini,Hieronymi,&c.In quibus de tribus rebus testantur,Primũ, de miraculis & signis,quæ apud memorias martyrũ euenerũt,quãdo homines ibi auxiliũDei precatione sua quæsiuerunt. Deinde,quod apud ossa sanctorum sacri conuentus celebrati fuerint, altaria super sepulchra eorum erecta, quódq; solemnibus processionibus ossa sanctorum circumportata fuerint, & sanitatem tangentibus attulerint. Tertiò, Quod ossa sanctorum veneranda sint,& ab antiquo honorari,inque serico & vase aureo portari consueuerint.Contrà hæc(dicunt Aduersarij) librum Reformationis ponere, grauem esse offensionem & imminutionem gratię Dei,ac meriti Christi,quòd quidam credunt Deum citius exaudire in loco vno aliquo,vti apud ossa sanctorum quàm alibi. Item,Quòd peregrinationes & vota, quæ ad ea loca fiunt,constat esse superstitiosa: quemadmodum & hoc, quod homines pro honoratiori conseruatione Reliquiarum dono aliquid contribuunt.

Responsio.

Tota disputatio Aduersariorum citra præsentem Articulum tribus precipuè rebus continetur.Primò,Quod apud ossa sanctorum miracula facta sint.Deinde quod populus Dei ad Orationem, & alia sacra religionis exercitia apud ea conuenire solitus fuerit. Tertiò,Quod eiusmodi reliquiæ venerandæ sint.

Primum,Quòd interdum Deus apud memorias sanctorum miracula ediderit,ad ædificandam fidem Christi,quemadmodum id S. Patres testantur,huic liber Reformationis non contradicit. Quod verò hæc omnia miracula, quæ apud memorias Sanctorum contigisse prædicentur,reuera euenerint,de eo non parum dubij adhuc est.

Porrò quod in iis locis,vbi memoriæ Sanctorum fuerunt, populus conuenerit,ac religiosa exercitia piè & Christianè administrauerit, ad augendam imitationem Sanctorum,& amorem erga Deum confirmãdum,qui finis fuit Antiquis in eiusmodi conuentibus propositum, vt testatur Augustinus,neque huic liber Reformationis contradicit.Interim tamen,altaria & memoriæ Martyrum, de quibus nihil certi habetur,euerti & penitus auferri debent, quemadmodum in quodam Africano Concilio decretum est.Quod si imitari, & reipsa exequi propositum esset, sicut meritò fieri debebat, quàm multæ passim, quæ nunc Reliquiæ Sanctorum,sed falsò,nominantur,è templis auferendæ & remouendæ forent?

August. li.20. contra Faustum cap. 21.

De Consecr. Distinct.1. item Placuit.

Quod

Quod ad tertium attinet, nempe Venerationem & cultum reliquiarū, pium ac Christianum est, Veras Sanctorum reliquias honorificè tractare, quod nec Liber Reformationis inficiatur. Christiana verò Reliquiarum veneratio alia esse non potest, quam in honestis locis eas conseruare, quemadmodum omnium Christianorum corpora certis & ad eam rem deputatis locis, recondi & custodiri solent: idque in hunc finem, vt homines gratiæ Dei Sanctis concessæ admoneantur, ad excitandā eorū fidem erga Deum, & imitationem sanctorum inflammandam ac prouehendam, quemadmodum Chrysostomus, quem Aduersarij citant, & D. Augustinus contra Faustum ea de re loquuntur.

Quando igitur Reliquiarum propositio, circumportatio, & ostensio ad eum finem non efficaciter confert: sed potius ad superstitionem corroborandam pertinet, perinde acsi apud Ossa Sanctorum per merita & virtutem eorum auxilium assequi possimus, id quod fieri manifestum est. Stolidus enim populus & eiusmodi fraudibus in errorem abductus, sine fide ac vera oratione ad Deum per Christum Dominum passim ad ossa Sanctorum cursitare conspicitur, ac suas oblationes & donaria adferre. Sanè vbi eiusmodi reliquiarum abusus vel metuitur, vel præsens ob oculos versatur, remouendæ penitus è conspectu hominum sunt, nulláque omnino pompa cum illis exercenda. Sicut & Ezechias æneum serpentem, cùm ei populus adolere cœpisset, confregit. Manifestum est verbum Dei, iubens, *vt omnia in Ecclesia Dei ad ædificationem fidei in Christum fiant*, 1. Cor. 14. ac prohibens, *ne vllum cuiquam detur scandalum.* Matth. 19. Rom. 14. 1. Cor. 8. 2. Cor. 6.

Abusus in Veneratione Reliquiarum.

Cap. XLIX.

ABVSVS circa venerationem reliquiarum sunt hi. Primus Inhabitantem illis virtutem Dei, & quietem gratiæ diuinæ, vt ipsi loquuntur, attribuere. Etenim auxilium Dei sine verbo ipsius nulli rei affigere debemus. Ad hæc experientia miraculorum editorum apud ossa Sanctorum, nihil aliud efficere potest, quàm Deum aliquando quibusdam hominibus, iisque perpaucis, apud talia loca, cùm ipsum in vera fide per Christum Dominum inuocassent, opem & auxilium tulisse. Hoc verò non sufficit ad probandum, quod propterea quilibet debeat auxilium Dei in talibus locis quærere. Christum habemus verum propitiatorium, ad eum nos conferre debemus: is est, qui omnia nobis daturus & facturus est, quæcunque ab eo petierimus.

Vnus quidam mortuus, cùm ossa Elysæi tetigisset, reuixit 1. Reg. 13. Verum inde nullam habebant Doctrinam Dei, vt omnes defunctos ad hæc ossa adferrent: Omnibus in locis debemus auxilium Dei per Christum quærere, in spiritu & veritate, quæ est Doctrina verbi Dei.

Alter Abusus est coram Reliquiis se prosternere, eas adorare, & oblationes illis adferre, id quod populus manifestè facit. Veteres autem vt impium & idolatriam agnoscunt, vt Hieronymus contra Vigilantium, & August. lib. de moribus Ecclesiæ cap. 34. & contra Faustum lib. 20. cap. 21. Veri Christiani verbo contenti erunt, quod in tam multis locis, tamque clarè ac seriò præcipit, eiusmodi cultus Soli Deo, & coram iis signis exhibendos esse, quæ ipse ad id nobis proponit.

Tertius abusus circa venerationem reliquiarum est, eas circumferre, hominibus ostentare, & ornare, ad certissimam simplicium offensionem, & manifestam temporalis ac turpis lucri nundinationem.

Quod quidam Episcopi Reliquias ab vno loco ad alterum portarunt, populo & precedente & sequente, quemadmodum Augustinus de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. de Episcopo quodam, nomine Lucello, commemorat, & Hieronymus de Constantino, & Arcadio, aliisque nonnullis Episcopis, vel quod eas in serico & vase aureo portarint, ex eo non efficitur, quod & nos quoque reliquias serico, argento & auro vestire atque ornare debeamus, in processionibus solemniter hominibus ostentare, & osculandas præbere. Id enim ad manifestam imminutionem fidei in Christum facit, quemadmodum quotidiana experientia docet. D. Ambrosius, Exuperius & alij S. Patres aurea & argentea vasa corporis & sanguinis Domini, vt iam antea dictum est, confregerunt & vendiderunt, vt iis pauperibus Christi subuenirent. Et D. Hieronymus hoc factum Exuperij singulariter laudauit, suósque hortatus est, vt in simili casu Exuperium imitarentur. Quamobrem etiamsi hic S. Pater, contra Vigilantium, qui venerationem Reliquiarum cum serico & auro reiecit, vehementissimè scribit, sicut in omnibus controuersiis acerrimus & vehementissimus est, id tamen non idcirco probat, non esse grauem & horrendum abusum, tantam vim auri, argenti, serici & aliorum ornamentorum reliquiis Sanctorum appendere, ad certam & manifestam superstitionis corroborationem, neglectum verò & contemptum egenorum Christi.

Iam quemadmodum hæc præpostera veneratio reliquiarum ossiumque Sanctorum superstitiosa est, sic vota quoque & peregrinationes, quæ propter eiusmodi venerationem suscipiuntur, superstitiosa esse necesse est. Et quoniam verbum Dei de hoc toto negotio clarum ac dilucidum habemus, nullis S. Patrum dictis poterunt eiusmodi abusus defendi: Neque dubium est S. Patres falsam illam & pernicioſam venerationem Sanctorum è medio ablaturos fuisse, si ipsorum temporibus tam superstitiosa & idololatrica fuisset, atque est nostro seculo.

Quamuis Antichristus etiam S. Patrum temporibus mysteria idololatriæ, per eandem hanc venerationem sanctorum, & reliquiarum eorum, non minima ex parte operatus, & fundamentum istius abominationis iecit. Perpendatur tantummodo dictum Basilij, quod Aduersarij citant, ex concione eius super Psal. 115. quod in Græco

Græco sic habet. Idcirco qui contingit ossa martyris, quandam sanctificationis societatem assumit, ex gratia corpori insidente, παρεμφυομένης. Sanè qui hęc verba simpliciter & nudè intueri volet, quid aliud ex eis discet, quàm quòd talis gratia Dei reliquiis Sanctorum insideat, vt omnes qui eas attigerint, osculati fuerint, vel illis se illini passi fuerint, per eas sanctificentur & ipsi? Porrò cùm id longè facilius factu sit, quā vera pœnitentia, abnegatio sui ipsius, & in obedientia Christi, vera ac solida fide, traditio: & alioquin homines semper ad id quod deterrimum est, vtpote depraua tę eorum naturæ magis consentaneum, declinent, sequitur inde, & sanè nimis, prò dolor! crassè secutum est, & miseri homines pœnitentiæ ac fidei, omnique pietate vale dicentes, ad sanctorum reliquias currant, vt eas videant, adorent, osculentur, & blatioaibus venerentur. Tantumdem & ex dicto Chrysostomi de Machabæis, quod Aduersarij citant, consequitur.

Quamobrem si Aduersarij affecti essent, sicut D. Paulus, & omnes Christianos affectos esse decet, vt nihil aliud, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum scire vellent, per quem solum omne bonum à Patre nos impetrare oportet, facillimè cognoscerent, hanc consequentiam nullo modo valere. S. Patres aliquid habuerunt in vsu. Quare & nos quoque id facere debemus. Docere & facere debemus quicquid mandauit Dominus, Matth. vlt. non quod S. Patres, antiqui vel recentes Christiani fecerunt aut docuerunt. Hoc Christianorum officium est, ipsis à Christo Domino præceptum & iniūctum. Apostoli quidem nihil de veneratione reliquiarum, vel verbis, vel exemplo nos docuerunt; S. Patres etiam non aliter vel vlterius eam exerceri voluerunt, nisi quaienus ad ædificationem fidei in Christum confert. Quapropter cū manifestum sit, Venerationem reliquiarum, sicut nunc in abusu versatur, facere non ad ædificationem fidei, sed ad destructionem, sanè ex conspectu hominum penitus eam remouebunt, quemadmodum Ezechias de æneo serpente egit, quicunque spiritum ac pietatem eius habent.

Accusatio decimaoctaua.

De Imaginibus.

Cap. I.

HÆc Accusatio instituta est ab Aduersariis, aduersus articulum de Imaginibus. Et hoc loco nihil aliud adducunt, quàm septimum Constantinopolitanum Concilium, & Damascenum non antiquum Doctorem, quos vsum & venerationem imaginum defendere affirmant.

Responsio.

LEgatur è contra, quod liber Reformationis in hoc articulo ex verbo Dei producat, contra quod nulla Concilia, nullíque Patres audiendi sunt.

Adhæc manifestum est, antiquiores Patres nullas omnino imagines in templis tolerasse; & quàm primùm imagines in templis defendi cœperunt, multò plures abusus inualuisse. Quare & hic quoque dictum Tertulliani valere debet. Id esse verum quodcunque primum, id esse adulterinum, quodcunque posterius. D. Gregorius Romanus, & alij saniores Doctores, qui vsum imaginum in templis excusare cœperunt, nihil amplius in eis defenderunt, quàm quod hominibus inseruire deberent ad ædificantem verorum factorum & historiarum recordationem. Adorationem verò grauiter damnauerunt.

Quapropter Aduersarij non tantum vetustioribus ac probatioribus Patribus, qui doctrinam Apostolorum adhuc obseruabant, verumetiã his quoque repugnant, qui vsum imaginum receperunt & defenderũt; quandoquidem prostrationem coram imaginibus (quam scripturam adorationem appellat) cereorum accensionem, cantandi, adolendíque illis consuetudinem, defendere volunt, quæ tamen aperta idololatria est, sicut partim clarum Dei verbum, partim antiqui Patres testantur.

Nulliúsque momenti est, quod Aduersarij dicunt, Se honorem illum, quem imaginibus impendunt, non imaginibus in se consideratis, sed Deo impendere: id enim omnes idololatræ omnibus temporibus prætexuerunt: eóque idololatriam suam defendere voluerunt. Verùm S. scriptura, Lactantius, Athanasius, Augustinus, & quicunque contra Idololatriam scripserunt, demonstrarunt, eiusmodi cultum non Deo (qui eum prohibuit, ac testatus est, quod sit abominatio in oculis suis) sed sensu carentibus idolis, operibus manuum nostrarum, imo diabolis, qui ipsum instituunt, præstari & exhiberi.

Plurima hoc loco Aduersarij adducũt, ex Actis Septimæ Synodi, quæ non ita pridem Coloniæ excusa sunt. Attamen probè nouerunt ea nihil aliud esse, quàm inane ac fictum commentum, in quo plurima sint commixta apertissima mendacia, quod & Pighius strenuus alioquin Aduersariæ partis propugnator testatus est, & euidenter ostendit. Et quidem qui testimonia & dicta Patrum, quæ pro imaginibus & veneratione earum in his Actis introducuntur, diligentius examinare & inquirere volet, inueniet omnia antiquiorum Patrum dicta, in Actis istis allegata, vel falsò Patribus esse adscripta, vel ne verbum quidem in se habere de istis imaginibus, de quibus controuersia est, quæ in templis ad reuerendum proponuntur.

Vide in Actione secunda huius Cõcilij.

Aduersarij ex confícta quadam Epistola Adriano Papæ in memoratis Actis adscripta (in qua hoc quoque manifestum mendacium inest, quòd Papa Syluester Imperatorem Constantinum baptizauerit, qui tamen non Romæ in principio fidei suæ, sed in Nicomedia sub finem

vitæ

vitæ baptizatus est, lib. 3. Hist. Eccles. cap. 12.) confessionem quandam Basilij adducunt, in qua inter cætera fatetur, se historias imaginum, hoc est, picturas imaginum adorare, & palàm adorare. Quæ verba paulò lenius interpretari volentes Aduersarij, posuerunt in vernacula lingua: *Mit offentlicher verehrung verchren.* Verum in interprete Latino habetur, *Honoro, & palam adoro.* Idem Interpres Actorum testatur etiam in principio, quod Græcam vocem προσκυνῶ, per vocabulum Adorare reddiderit, qui communis mos est fermè omnium Interpretum.

Iam verò prodeat in lucem, qui hanc Epistolam, inter Epistolas Basilij, vel in vllo prolato loco Scriptorum huius Doctoris demonstrare queat, vel aliquid simile in omnibus eius scriptis, quod talem sententiam in se comprehendat. Vide quæso Christiane Lector, qualis hæc pietas sit, eiusmodi inania commenta, quæ & S. Scripturæ & Doctrinæ S. Patrum adeo penitus repugnant, S. Patribus adscribere, & deinde ex iis omnis generis idololatriam & superstitionem conari defendere. Eiusmodi contumeliam reliquis quoque Patribus memorata Acta inserunt, præsertim verò D. Athanasio, cui confictam historiam adscribunt, de miraculo Crucifixi, in quod Iudæi in Berito ignominiosi fuerant, eíque inter cœtera latus aperuerant, quemadmodum Domino contigit in cruce, ex eáque imagine sanguinem & aquam effluxisse, omnesque morbos curasse, atque hoc modo Iudęos omnes per hoc miraculum conuersos esse. Eiusmodi fabulas non verentur S. Patribus Aduersarij adscribere.

Quò vero isti Scripturarum deprauatores confictis eiusmodi dictis fuco quodam patrocinentur, ac fidem faciant, veras etiam aliquot sententias Patrum adducunt, quamuis de imaginibus templorum, earumque veneratione, de qua controuertitur, ne verbum quidem habeant. Vt in citata conficta Epistola Adriani statim post falsam confessionem Basilij dictum quoddam ex Concione huius Doctoris de XL. Martyribus adducitur, quod sic se habet.

Igitur in medium eos adducentes, ad communem omnium hîc astantium vtilitatem constituere, palámque omnibus quemadmodum in pictura fortia illorum facta reddere conabimur. Nam magnifica in bellis gesta, & Oratores sæpenumero, & pictores pulcherrimè demonstrant. Hi oratione, illi tabulis describentes, atque ornantes: ambóque plures ad fortitudinem imitandam iuduxere. Quæ enim sermo historiæ per inductionem præbet, eadem & pictura tacens per imitationem ostendit. Sic & nos Martyrum virtutem commemorantes, vos astantes excitabimus, ac vobis sub aspectum ipsorum facta reducentes, eos qui sunt animo aliquantulum generoso, ac ipsis voluntate propinquiores, facilè ad imitandum accendemus. Basilius in Sermone de XL. martyribus.

Hæc ille. Ecce hæc sunt verba Basilij, ex quibus confictus Adrianus ea solummodo adduxit, quæ comparationis ac similitudinis picturæ ἀπὸ τῶν συγκριτικῶν λόγων meminerunt. Quod verò verbum in tota hęc oratione docet, imagines in Templis habendas & adorandas esse, de quo solo omnis controuersia existit?

Inducit solummodo Doctor iste similitudinem quandam, quæ est inter Orationes laudatorias fortium factorum, rerúmque præclarè gestarum, & picturam, in qua per visum eiusmodi facta ad memoriam perducuntur, quemadmodum in sermonibus laudatoriis per auditum. Non dicit, egregia Martyrum facta quoque pingenda esse, taceo quod iubeat eiusmodi picturas venerari & adorare. Solummodo scribit, præclara in bellis facta sæpenumero solere depingi: & quod pictura eiusmodi facta in memoriam reuocet. Cui nemo contradicit.

Eodem modo etiam aliud quoddam dictum Cyrilli hîc confictus Adrianus adducit pro veneratione imaginum, in quo scribit, *Similitudines Domini in Euangelio nobis esse loco imaginum, propterea quod miracula quasi in oculos & manus adducant.* Verum de Parabolis tantùm loquitur, non de imaginibus. Nihilominus tamen Adrianus iste, at consequenter Concilium, quod Aduersarij adducunt, hoc dictum introducunt, ad probandum, quod Imagines & habendę & venerandæ sint. Tales sunt omnes huius septimæ Synodi eorum comprobationes.

Si verò quis dicat, Etiamsi antiquiorum Patrum testimonia ad hanc rem non habentur, eorum tamen Patrum authoritates extare, qui à primo D. Gregorio vltra nongentos annos fuerunt. Vt eiusdem Gregorij primi, Item Gregorij secundi Damasceni, Germani, & aliorum, ad hoc respondetur, Primum, Quod primus Gregorius adorationem imaginum seriò prohibendam docuerit, lib. 9. Epistola 9.

Deinde, quòd etiamsi & hi & omnium antiquissimi Patres vsum ac venerationem imaginum docerent, solum tamen & vnicum verbum Domini plus authoritatis apud Christianos habebit, quàm omnium hominum dogmata & opiniones.

Sic autem præcepit Dominus: *Non facies tibi sculptile, neque imaginem aut similitudinem eorum quæ sursùm in cœlis, vel quæ infra in terra, vel quæ infra terram in aquis sunt, facies. Non adorabis ea,* hoc est, non genu flectes coram eis, neque coles ea, Exod. 20. Deut. 5. Hic loquitur Deus noster omniumque hominum creator, & vnicus Dominus, prohibetque populo suo, ne vllam omnino imaginem cuiuscunque rei, siue in cœlo, siue in terra, siue infra terram sit, habeat vel faciat, nempe ad colendum eam, ad prosternendum se coram ea, idque sine vlla conditione aut exceptione.

Imagines facere aut habere, ad verarum vtiliumque rerum recordationem, vel etiam pro mediocri ac licito ornatu, cuiusmodi Dominus ipse in tabernaculo suo ordinauit, huic nemo contradicit, sicut nec Liber Reformationis quicquam posuit, quod huic aduersetur. Quare frustraneus labor fuit, quem Aduersarij & septima eorum synodus susceperunt, in congerendis tã multis locis, partim ex S. Literis, Partim ex S. Patribus, ad confirmandum, quod eiusmodi imagines & fieri & haberi legitimè possint. Verum antiquus hostis voluit hac ratione istorum hominum oculos excæcare, quò facilius detestãdam idololatriæ abominationem inducere ac stabilire posset.

Quam veteres S. Patres meritò abhorruerunt tantoperè, vt ad eam euitandam

euitandam in templis fidelium nullam omnino imaginem humanam tolerare voluerint. Quod D. Epiphanius adeo necessarium esse agnouit, vt, cum forte fortuna ex itinere in Templum aliquod orandi causa intrasset, ac velum quoddam in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum atque depictum inuenisset, habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam, tollíque iusserit, non curans, quòd in aliena Ecclesia: maximè verò in Hierosolymitana diœcesi hanc potestatem exercuisset. Quam seueritatem suam talibus verbis excusauit: Cùm ego hoc vidissem, in Ecclesia Christi contra authoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus eius loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent, & efferrent.

Cúmque aliud velum in locum illius, quod sciderat, misisset, hæc verba ad Episcopum Hierosolymitanum scribit: Nunc autem misi quod potui reperire, & precor vt iubeas presbyteros eiusdem loci susçipere velum à latore, quod à nobis missum est: & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quę contra religionem nostram veniunt, non appendi.

Vides Christiane Lector, Doctorem hunc testari, quòd & S. scripturę, & religioni nostrę repugnet, imaginem humanam in templis proponere: proculdubio hanc solam ob causam, quia periculum erat, ne à simplicibus colerentur: alioquin enim Christianam libertatem licitúmque imaginum vsum hic Doctor non ignorauit. Iam verò hanc suam de Imaginibus sententiam & iudicium ad Episcopum Hierosolymitanum scripsit, quem tamen nonnihil offenderat: quíque propterea hoc eius factum non fuisset æquo animo laturus, nisi Ecclesia communiter tunc temporis in ea sententia fuisset. Neque etiam D. Hieronymus hanc istius Doctoris Epistolam ad Episcopum Hierosolymitanum, in qua hæc oratio inerat, facilè translaturus fuisset, nisi eam Christianam aceritati consentaneam agnouisset.

Quare ex hac eadem oratione Epiphanij certò cognoscere licet, quid Catholica Ecclesia temporibus Hieronymi & Ambrosij de imaginibus crediderit & iudicarit. Nihilominus tamen audent Aduersarij inter suos imaginum defensores Hieronymum & Ambrosium, qui tempore Epiphanij Ecclesiis ministrarunt, recensere. Cùm igitur constet, Christianos hoc meliori tempore agnouisse, quod & S. scripturæ & religioni nostrę aduersetur, Imagines in templis cum periculo venerationis habere, reuocemus in memoriam id quod antea ex Tertulliano adductũ est, Id esse verum quodcunque primum: id esse adulterinum, quodcunque posterius. Etenim maturè admodum, vtpote temporibus Augustini extiterunt, qui sepulchra & imagines adorarent: ac propterea, tunc temporis damnati sunt, vt testatur August. Lib. de moribus Ecclesiæ. cap. 34.

Cæterùm causas quoque adducunt Aduersarij ex dicta Synodo septima, propter quas imagines venerari & adorare, hoc est, coram illis procumbere, suaueolentia eis thymiamara adolere, luminaria accendere, aliósque id genus cultus, quos tamen Dominus seueriſſimè prohibuit,

præstare, non impium, imò pium ac licitum esse contendunt. Omnes verò hæ causę in eo consistunt, Quòd si coram hominibus honoris gratia nos ipsos prosternimus, item si sacros libros, vel imagines ac sigilla regum osculamur, quare non iisdem quoque,& aliis similibus honoris ac venerationis signis imagines Christi & sanctorum honorare liceret, imò potius Christum Dominum & sanctos ipsos, ad quos in eiusmodi veneratione respiciendum est,non autem ad imagines per se?

Ad hoc respondetur. Quod Magistratus,& alia prędara dona Dei in hominibus veneramur nudatione capitis, flexione genuum,prostratione totius corporis,prout vnuscuiusque gentis consuetudo ac mores requirunt,de eo & exempla & doctrinæ in S.scriptura extant. Talibus etiam signis non vlterius obedientiam hominibus demonstramus, quàm Deus prędepit.

Quod verò sacros libros osculamur, in eo studium & amor verbi Dei in eius instrumento in honorem declaratur, quod verbum Dominus ipse nobis tradidit.Porrò quod Regum eorum instrumenta,singulari veneratione suscipiuntur, & obseruantur, pro cuiusque regionis consuetudine ac more, ea quoque adhuc proprietas quædam est eorum honorum;quos Dominus deferri præcepit omnibus, quos ipse nobis præfecit,ac magistratus constituit. Verum imaginibus quoque aut statuis eorum honorem exhibere,id tres viri Dei,Sidrach,Misach,Abednego,tam impium iudicarunt, vt potius in ardentem caminum se coniici tolerarint, quàm potentissimi magnificentissimique regis Nebucadnezar imaginem procumbendo venerari voluerint, qui tamen Rex verum Deum agnoscebat.Daniel.3.

Porrò quod impium, meritóque supplicio dignum sit, imagines Regum ignominia ac contumelia afficere, id vnicuique in promptu est, quandoquidem omnis contemptus Magistratus grauissimum crimen est, quacunque tandem ratione, aut quacunque in re is illi inferatur.

Iam verò quoad Christum Dominum ac Deum nostrum pertinet,docuit ipse nos,quomodo & quibus in rebus eum colere debeamus.In quo non tantum non recensuit imagines, verumetiam expresè prohibuit, coram illis sese prosternere,ipsumque in eis colere ac venerari. Quando cœlum ac terram,aquam & omnia quæ in eis ad vtilitatem vsumque hominum condidit, & adhuc perpetuò conseruat, intuemur, atque iis fruimur: sic etiam cùm dat, vt salutiferum eius verbum audire,& sacramentis communicare possimus,in his omnibus rebus diuinam eius maiestatem agnoscere, in corde adorare, ei totos nos subdere, ac deinde propter ipsum omnibus hominibus debitum ac conuenientem honorē iuxta eius verbum deferre & exhibere debemus.Hic ille est honos,quem Dominus sibi offerendum docet: hæ etiam sunt res, in quibus eum sibi prędari vult,nō imagines.Ante illas procūbere, vel aliquē eis cultū exhibere,interdicit.Iā verò adolere,cereos accēdere,vestes &alia ornamēta circumponere, osculari, aliáque id genus, veneratio certè ac cultus sunt. Quare cùm Deus omnes eiusmodi cultus vlli imagini

cuius-

cuiuſcunque rei ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue in aquis infra terram, exhibere, tam expreſsè ſerióque vetet, quis Chriſtianus non videat, quod neque enumerata, neque alia quęcunque argumenta & rationes id efficere poſſint, quod abſque læſione Maieſtatis diuinę coram vlla imagine procumbere, vel aliquem ei honorē cultúmque offerre poſſimus, cuicunque tandem ille cultus aſſignetur & tribuatur.

Sacrum librum, ſigillum, ſceptrum, vel alia magiſtratus, aut alioquin honoratorum hominum inſignia venerari, hoc totum adhuc cum idololatria, ac veneratione imaginum conferri nequit. Eiuſmodi enim ſigna honoris laudabilia habent in S. ſcripturis exempla: cùm è contra veneratio ac cultus imaginum nil niſi damnata exempla habeat, ac multiplicia eáque expreſſa maximéque ſeuera interdicta, crudeliſſimas denique comminationes & pœnas.

Nouit Deus miſeriam noſtram, & ad idololatriam nunquam non propendentem naturam, nempe quod ea, quàm primùm imagines ſibi proponit, in iiſque peculiariter diuinorum beneficiorum memoriam renouare, & vel ipſum, vel ſanctos ſuos in eis honorare, cultúmque illis præſtare intendit, continuò à vera ac fideli contemplatione & conſideratione æterna, & vbique preſentis diuinæ Maieſtatis ac bonitatis ipſius aberret, & conſequenter ab omni quoque vero cultu diuino, quem ei cum perpetua gratiarum actione & celebratione bonitatis ipſius, in ſancto vſu omnium donorum eius, perpetuiſque ac fidelibus charitatis officiis, erga proximos noſtros, preſtare & exhibere debemus. Etenim Originale peccatum naturam noſtram adeò corrupit, omníque pietate vacuam reddidit, vt Deum in verbo & operibus ſuis ſemper refugiat ac reformidet, eúmque neque in viſu, neque auditu, neq; corde perferre poſſit. Quare ſemper cum angulis quibuſdam includere cupit, cultúmque & honorem ipſius eiuſmodi certis locis ac proprio cerebro excogitatis imaginib. & ſignis affigere, vt aliàs omnibus in locis Deo libera, ſine timore ac morſu conſcientiæ omnib. creaturis ac donis Dei abuti poſſet, neminíque vel officiū, vel honorē offerre cogeretur, niſi quatenus id prauis cupiditatibus & affectib. ſuis vtile fore cognoſceret. Hūc pernicioſum morbū ac horribilē peruerſitatē noſtræ naturæ nouit Dominus: quare tam ſeriò prohibuit vllas imagines aut ſimulachra facere, aut ſibi ipſi, vel vllis aliis reb. ſed voluit nos intra limites verbi ſui cōtinere, quod nos docet, ipſum Deū ac Dominū noſtrū in omnib. operib. ac donis eius agnoſcere, ipſiúſque bonitatē & magnificentiā vbiq; vera fide intueri ac venerari, idque iis cultibus, quos ipſe nobis præſcripſit.

Sic quamuis Dominus, reſpecta imbecillitate noſtra, qua fit vt diuinam eius maieſtatem non in omnibus operibus ac donis ſuis rectè agnoſcamus, ac perpetuo, ſicuti debebamus, veneremur, quædam nobis ſacramenta ac ſigna gratię ſuę, & ad bonitatem clementiámque eius cognoſcendam, ac debitis honoribus afficiendam irritamenta inſtituit. Nihilominus tamen ſi ea non in illum finem adhibuerimus, vt ipſum Deum ac Patrem noſtrum in Chriſto Ieſu Domino noſtro ita cognoſcamus, ac venerari diſcamus, vt in eum in operibus ac donis ipſius in-

tueamur, ac venerari studeamus, idque iis honoribus ac cultibus, quos ipse mandauit, tunc omnia eiusmodi signa, ceremonias ac ritus, quos tamen ille ipse instituit, non minus quàm idola & imagines reiicit ac damnat, testatúrque eos sibi esse abominationi & oneri. Quamuis igitur Deus ipse sacram Scripturam nobis tradidit, quemadmodum etiam præstantissima dona magistratuum, aliáque quàmplurima, quæ in hominib. excellunt, quę meritò in maximo pretio & honore habere, cúmque osculandũ, & aliis venerationis indiciis declarare debemus: nihilominus tamen quando non hæc omnia eò diriguntur ac tendunt, vt per ea homo promoueatur, ad Dominum Deum nostrum in Christo Iesu dilecto Filio eius ita apprehendendum, cognoscendum ac venerandum, vt iam hactenus dictum est, non minus abominatio est, quàm idolorum & simulachrorum cultus.

Veruntamen, vt dictum est, Idololatria cum eo quod Deus ipse nobis instituit, nulla ratione conferri potest: nemóque seipsum excusare poterit, prætexendo, quod honorem ac cultum nõ imaginibus, sed Deo & sanctis impendat. Eandem namque excusationem tam Iudæi quàm gentiles idololatriæ suæ prętenderunt dicentes se cultum ac venerationem, quã coram imaginibus exercebant, non imaginib. aut idolis multò minus dęmonibus impendere, sed soli Deo Angelísque eius exhibere. Sat etenim se scire, quod imagines insensibilia hominum opera sint, ex ligno, lapidibus, metallis, aliáque materia confecta, quibus per se nullus omnino cultus aut honor debeatur. Esse tantummodo εἴδωλα, & simulachra Dei atque Angelorum eius. Nihilominus tamen à Prophetis, Apostolis, aliisque diuinis Doctoribus idololatriæ accusantur, & reprehenduntur, vt qui manuum suarum opera adorent & venerentur, imò tanquam cultores diaboli damnantur.

Deus enim eiusmodi cultus, qui sibi in statuis exhibentur, non pro cultibus accipit, sed tanquam abominationem repudiat ac spernit. Adhęc non erant sancti Angeli vel ministri Dei, quibus eiusmodi simulachrorum cultores in idolis honorem suum deferebant, sed nihil aliud erant quàm propria eorum figmenta. Qua ratione omnis honor ac cultus ante imagines & simulachra exhibitus, solis imaginibus & idolis remanebat, erátque merus simulachrorum & idolorum cultus, & honor, quo figmenta & opera humanarum manuum prosequebantur. Solummodo vt ea ratione dęmones quoque colerentur, qui eiusmodi abominationem instituũt, & per falsa miracula ac signa confirmãt. Quare & Lactantius ad Ethnicos scribit, *Si idola non sint quæ ipsi colunt, sed dij qui in cœlis habitant, quare non manus & oculos in cœlum attollunt potius quàm versus idola.*

Ex his omnibus, cuiuis Christiano perspicuum est, quòd quamuis sculptura & cælandi ars per se bonum Dei donum atque opus sit, quò bene vti possumus, nempe cùm imagines & picturas in eum tantummodo finem adhibemus, vt veras & vtiles res per eas in memoriã reuocemus: faciamúsque id sine singulari sumptu: nihilominus tamẽ esse & anere perpetuò damnatũ simulachrorũ cultũ & idololatriam, quando homines

homines coram illis sese prosternunt, manus & oculos ad eas attollunt, luminaria & thymiamata illis accendunt, vestes aliáque id genus ornamenta appendunt, similésque cultus & honores offerunt, ad venerationem Dei & sanctorum eius. Idem & sancti Patres omnes ex verbo Dei agnouerunt & senserunt, vsque ad tempora D. Gregorij. Postea verò vnà cum aliis multis idolatriis simulachrorum quoque cultus exortus est: quem omnis Christianus, qui Domini sui verbum rectè agnoscit, ex toto corde fugiet & abominabitur: non curans quid omnes idolorum propugnatores tam antiqui quàm recentes suæ imaginum veneration i ac cultui prętexant. Id verum est, quod est primum: in quo omnes filij Dei perseuerabunt. Amen.

Decimanona Accusatio.

De Ieiunio.
Ieiunare per se non est bonum opus,
Ieiunare sine spontaneo ac per se incitante spiritu, magis est hominum quàm Dei cultus.
Quomodo teneamur ad Ieiunium.
De discrimine ciborum.
De merito Ieiunij.
De ludibrio quod exercetur cum Horis in diebus Ieiuniorum,
De triduano Ieiunio Pauli.

Caput LI.

HÆc Accusatio instituta est ab Aduersariis contra Articulum de Ieiunio, habétque septem partes.

Prima est, Quod liber doceat, Ieiunium non esse opus per se bonum, aut pium cultum Dei. Verum Deus ipse hoc affirmauit, Es. 58. & omnes S. Patres. Nisi enim plena sui ipsius traditio in omne placitum ac voluntatē Dei fuerit cū Ieiunio coniuncta, ad eámque promouendam suspiciatur Ieiunium, Dominus id reiicit, ac spernit. Hac de re legantur sua ipsius verba apud Prophetam, & omnes sermones doctrinæ S. Patrum de Ieiunio.

Secunda pars est, Librum docere, quod Ieiunium nemini possit mandato imponi. At certum est, omne quod non à spontanea mente & ex amore Dei fit, Domino placere non posse. Ordinanda Ieiunia sunt, & homines ad id admonendi, sicut liber Reformationis docet. Quando autē aliquis non ex cōtritione ac dolore de peccatis suis, serióque desiderio donum orandi & inuocandi, corpúsque suum subiiciendi ieiunat, sed tantum ex coactione mandatorum hominum, vel consuetudine, de illo testatur Dominus, quòd frustrà se colat, imò non se, sed potius homines qui ei ieiunium iniunxerunt.

Tertia pars est, Librum habere, quòd veteres nullum Ieiunium prœceperint: sed tantum consueuisse eos ad id admonere, & conscientias, quā-

tum ad Ieiunium pertinet, reliquisse liberas, neque damnasse eos, qui ieiunare aut nollent, aut non possent. Huic autem dogmati vetustissimus doctor & martyr Irenæus, ad Victorem Episcopum Romanum scribens, testimonium perhibet, vt legitur in lib. 5. Eccles. Hist. Euseb. cap. 34. & in Hist. Tripart. lib. 9. cap. 38. Chrysost. Homil. x. in Genesin. Neque aliquid habetur in Epistola Augustini ad Casulanum, quam Aduersarij citant, quod huic doctrinæ repugnet. D. Augustinus eo in loco docet, quemlibet hoc modo & tempore ieinnare debere, quo in Ecclesiis ad quas fortè deuenerit, ieiunatur, si tamen, quod bonum Christianum decet, non velit aliis esse scandalo, nec quenquam sibi. Non autem propterea damnari iubet eos qui ieiunare non possent, aut non vellent.

Verum est, si quæ Ecclesia verum ac pium Ieiunium obseruaret, sicut aliquando obseruata sunt, quorum (proh dolor) neque Aduersarij, neque alij multa exempla demonstrare possunt, tunc qui cùm per valetudinem posset, Ecclesię verò Dei se conformare non vellet, is sanè non minus peccaret, ac si diem Solis, aliósque sacros conuentus celebrare & obseruare recusaret. Quapropter Dominus quoque exterminationem è populo suo minatus est his, qui anniuersarios Ieiunij dies non vnà cum populo obseruabant. Leuit. 23. Quamobrem quod Epiphanius contra Arrianos scripsit, & Aduersarij hoc loco citarunt, Libro Reformationis nullo modo contrarium est. Non enim iubet vt ieiunia publicè ordinata & instituta contemnantur, aut tanquam Iudaica vituperentur, quemadmodum ab Arrianis fiebat: sed docet vt ea rectè ac Christianè obseruentur. Hoc tantum reprehendit Liber, quòd Ieiunia præcipiuntur, & peccatum mortale iudicatur, si quis ea neglexerit: quódque hac oratione conscientiæ non sine periculo constringantur, docet, quemadmodum etiam ipsa Ieiuniorum indictio doctrinę & obseruationi sanctorum Patrum penitus aduersatur. Illi enim quando dies & tempora ad ieiunandum ordinarunt, vnicuique conscientiam suam liberam reliquerunt, & apud seipsum perpendere, quídnam in viribus eius esset, aut non. Postea ordinatum est, vt super hac re quilibet pastorem ac medicum suum consuleret. Sed quid longa disputatione opus est, cùm proh dolor, nullibi extent vera ieiuniorum exempla? Conuenítne vt multę ferantur leges, nouísque peccatis conscientię onerentur, vbi Deus nihil præcepit, & hominum quoque mandata nemo obseruat? Iudicet omnis cui vera pietas cordi est.

Quarta pars est, Librum delectum ciborum tanquam rem inutilem nihili ducere. Resp. Verum est. Per seipsum sine eo ieiunio, & extra hunc finem, vt per eum corpus ad cultum Dei promoueatur. Et hoc idem docent omnes S. Patres. Videatur liber, & legantur sermones Patrum de Ieiunio. Et quis dicere queat, quod aliquid

mo-

momenti habeat, apud Deum, siue piscibus, siue alterius generis carnibus homines se saturent & recreent? Veram humiliationem carnis ad ministerium Spiritus requirit Dominus. Præter hunc finem delectum ciborum obseruare, Manichaicum potius est quam Christianum.

Veteres quidem in diebus Ieiuniorum à carnibus abstinuerunt, sed non minus piscium quàm aliorum animantium, & nec vinum biberũt. Veruntamen quandocunque id non ad veram & fidelem carnis castigationem, ac promotionem spiritus in omnibus bonis operibus inseruiuit, veteres iuxta verbum Dei illud reiecerunt. Testatur etiam D. Augustinus in lib. de moribus ecclesiæ cap. 14. *quod is qui cum vera veteris Adami humiliatione carnibus vescatur, ac vinum bibat, abstinentius vitam ducat, quàm is qui aliis temporalibus cibis ac potu vtitur, à vino autem & carnibus abstineat.* Legatur Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum. Item in temporibus de tempore adscriptis Augustino, Sermone 157.

Quinta pars rursus est de meritis Ieiunij, & satisfactione pro peccatis. Iam verò promereri aliquid à Deo, postulat æqualitatem inter id per quod aliquid promeremur, & illud quod promeremur. Sicuti etiam Persolutio siue satisfactio æqualitatem requirit inter id quod persoluitur, siue pro quo satisfit, & illud per quod solutio seu satisfactio præstatur. Hac ratione ne ipsi quidem aduersarij dicent, quod ieiunando aliquid à Deo promereri, aut pro peccatis satisfacere possimus. Omnis enim remissio peccatorum ac meritorum suppliciorum venia, omnia denique dona Dei, ex gratuita bonitate & clementia Dei proficiscuntur, Impetrata per vnicum meritum Domini nostri Iesu Christi. Quomodo autem Ieiunium conferat ad impetrandam remissionem peccatorum, ac veniam meritarum pœnarum, auxilium denique ac donationem omnium bonorum Dei, quódque id Dominus remuneret, de his omnibus suprà copiosè dictum est, in Apologia Articuli de Bonis operibus, & Satisfactione.

Sexta pars est, velle librum consuetudinem illam, qua preces vespertinæ per quadragesimam ante meridiem dicuntur, esse blasphemiam quandam & irrisionem diuinæ Maiestatis. Et hanc dicunt immodicam esse hyperbolen, etiam si concedant abusum aliquem esse. At iudicet pius Christianus, quid sit, in conspectum Dei venire, ac vt pro veteri consuetudine videantur post vespertinas preces cibum sumere, eas preces quę ratione nominis sub veſperam fieri debebant, cuiusmodi est, Tetrum chaos illabitur, &c. aliique hymni qui de vespertino tempore sonant, ante meridiem habere, contra quam à Patribus ordinatum est & institutum. Ecce tales támque manifestos & crassos abusus nolunt liberè confiteri: sed scribunt, Etiamsi concedamus abusum aliquem esse.

Quando septimam quęstionem mouerunt, Vtrum quòd Paulus tribus diebus ac noctibus sine cibo ac potu in oratione perseuerauit. Act. 9. ieiunium dici debeat, aut non, sine dubio valdè otiosi fuerunt.

Verum quocunque tandem nomine vocetur, vtinam & nos eodem modo & simili spiritu Ieiunare possemus, quo Paulus, quem Aduersarij in hoc debilitatis ac seruilis timoris, quo consternatus fuerit, temerè accusant.

Quod Ieiunium alia res sit, quàm vulgaris moderatio in cibo & potu, etiam Liber Reformationis docet, sicut etiam de discrimine Ieiuniorum. Legatur Articulus, quemadmodum in Libro propositus est, & facilè patebit Aduersarios sine omni causa contentiones & rixas quærere, tantoperè molestat eos Realis Reformatio.

Vicesima Accusatio.

De Catholica Administratione Sacramentorum, & Ceremoniis in genere.

Cap. LII.

VIcesima Accusatio ab Aduersariis in genere instituta est contra omnes Articulos Libri Reformationis, qui de Sacramentis & externis Ceremoniis tractant. Accusant autem Librum quòd aliam regulam ac formam administrandi Sacramenta præscribat, quàm hactenus in Catholica & Apostolica Ecclesia fuerit vsurpata.

Responsio.

INiuriam faciunt Libro Aduersarij. Cæterùm quo clarius ac pleniùs intelligatur, quænam in administratione Sacramentorum vniformiter in Ecclesiis Christi obseruari debeant, & in quibus salua vnitate & concordia Christiana dissimilitudo inesse possit, videre oportet quænam res in administratione Sacramentorum à Domino peculiariter ordinatæ, & essentiales sint: & vicissim quæ non peculiariter sint à Domino institutæ, sed pro vniuscuiusque gentis ratione & commoditate mutari ac temperari queant.

Hæc autem sunt, quæ Dominus peculiariter instituit, quæque ad Christanam Sacramẽtorum administrationem necessariò requiruntur.

Primum: Vt mysteria & dona Dei in Sacramentis, omnibus qui præsentes sunt, & Sacramentis communicare volunt, fideliter ac dilucidè proponantur & declarentur: ipsi verò ad verè fidelem Sacramentorum perceptionem diligenter admoneantur.

Alterum, vt caueatur, ne cui Sacramenta ministrentur, nisi tantummodo iis quibus ea ordinauit, Dominus, nempe qui gratiam & communionem eius verè & ex animo desiderant.

Tertium, Vt in administratione Sacramentorum eadem signa & verba vsurpẽtur, quę Dominus ad hoc ordinauit; vsurpentur autem ea ratione ac modo, quo ab ipso instituta & mandata sunt.

Quartum, Vt preces & laudes Dei, cum Christianis studio zelóque adhibeantur:

adhibeantur: Hæc quatuor Dominus & per semetipsum, & per Apostolos ac Prophetas suos in omni administratione Sacramentorum exercuit,& exerceri præcepit:Omnes quoque Ecclesiæ Christi ab initio vsque ea obseruarunt. Quare obseruatio eorum vna etiam est ex proprietatibus ac certis notis monstrantibus verè Christianam Ecclesiam.

Cæterum tempus,locum, rationem ac modum doctrinæ adhortatio vid.ad preces,& laudes Dei,administrationis & perceptionis item probationes & ordinationes eorum qui Sacrosancta Sacramenta vel ministraturi sunt vel percepturi: hęc omnia singulis ætatibus ordinarunt ac temperarunt Ecclesiæ Christi,prout ad vniuscuiusque populi ędificationē vtile fore videbatur.Hinc est quod in ratione ac modo his rebus vtendi,omnibus temporibus nonnulla diuersitas ac varietas obseruata est, quandiu Ecclesiæ Christi à piis doctis ac zelo Dei ardentibus Episcopis administratę & gubernatæ fuerunt.Christiani à principio in priuatis domibus, postea in publicis,& ad hanc rem deputatis, Sacramenta administrarunt.Interdum multæ pręces apud ea adhibitæ sunt, interdum paucæ. Meminit Gregorius primus Epistola 63. lib. 7.*Solitos fuisse Apostolos ad sacram Cœnam solam Orationem dominicam dicere. Deinde Ecclesiæ plures precationes & Hymnos apud eam vsurparunt.* In eadem Epistola meminit Papa iste, quid ipse circa S.Cœnæ administrationem ordinauerit & mutarit. Cúmque accusaretur, quod eam ad imitationem & similitudinem Constantinopolitanę Ecclesiæ ordinasset, quódque in ea suam Romanam Ecclesiam Constantinopolitanæ similem facere, eíque sua peculiaria relinquere voluisset, excusat seipsum, ac negat, quòd eam ad imitationem & similitudinem Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinauerit. Adeo non iudicauit necessarium esse,vt in externis ritibus eadem regula, modúsque & forma obseruetur. In eodem quoque loco dicit, *Quod in talibus rebus libenter etiam eos imitari velit, qui sint ipso inferiores.*

Adhæc idem Papa Augustino, quem miserat in Angliam ad tertiam suam quęstionem, Quare Ecclesiæ Iesu Christi differentes ac distinctas consuetudines habeant, cùm tamē sit vna & eadem fides. Et quare alius ritus Missę in Romana Ecclesia obseruetur, & alius in Gallia,his verbis respondet, *Vt sit sanè quod Augustinus iste aliquid inuenisset, siue in Romana siue in Gallicana, siue in quacunque tandem Ecclesia, quod omnipotenti magis placere posset,id diligenter eligeret, & quicquid ex multis Ecclesiis in vnum colligere posset, id in noua Anglorum Ecclesia instituere & ordinare vellet. Non enim ritus propter ciuitates,* inquit, *sed ciuitates propter bonas consuetudines amare debemus,* &c. Meminit etiam D. Augustinus, *quòd suis temporibus in quibusdam locis Quadragesimali tempore ieiunatum fuerit,alibi verò non.* Item,*quod S. Cœna in quibusdam Ecclesiis quotidie celebrata fuerit,in aliquibus verò de Saturni ac Solis, in aliis Die Solis tantum, in aliis feria quarta ante Pascha mane & vesperi.*

Sic olim in administratione omnium Sacramentorum diuersi ritus obseruati fuerunt, quemadmodum in omnibus aliis rebus externis, de quibus in verbo Dei nihil peculiariter & expressè mandatum &

institutum est. Sancti Patres pro vera & reali pietate cultúque Dei zelarunt, non pro signis & ritibus externis, inquibus num, proh dolor, plerique summam rerum collocant, interim veram fidem in Christum, & dilectionem proximi parui pendentes.

Iam verò probandum est, quod omnes Articuli, in quibus Aduersarij vel alij supplicari possent, Librum Reformationis aliam formam administrationis Sacramentorum tradere, quam deceat, sint in Libro Reformationis positi & ordinati, vel iuxta manifestum verbum Dei, vel illi quàm maximè consentientes, sicut etiam antiquæ obseruationi verè Apostolicarum Ecclesiarum: quódque de vsu & obseruatione, quæ ad nos vsque peruenit, nihil vel dissimulatum vel prætermissum sit, nisi quod constat & verbo Dei, & antiquę consuetudini Apostolicarum Ecclesiarum repugnare. Quæ singula deinceps particulatim demonstrabuntur.

Adhæc neque loca Scripturæ, neque alia dicta, quæ hoc loco Aduersarij adduxerunt, vel minima ex parte cum Libro Reformationis pugnant, & iis quæ in illo ordinata & instituta sunt, sed potius cum Aduersariis & abusibus eorum.

Primum enim quod ex Apostolo adducunt, id quod 1. Cor. 11. contra schismata, quæ inter Corinthios exorta erant, scripsit, videatur locus ipse, & apparebit, Apostolum nihil omnio contra dissimilitudinem externorum rituum in administratione Sacramentorum, sed contra hoc scripsisse, quod Corinthij cœperant seipsos in diuersas sectas scindere, adeo vt hîc illi, alteri alij cuipiam adhærere vellent, donec contentiones & rixæ inter eos orirentur. Item, quod apud S. Cœnam Domini se inuicem non expectabant, sed quælibet secta suam propriam Cœnam priuatim celebrabat, opulenti pauperes despiciebant: denique alij apud eam ebrij erant, alij adhuc esuriebant. Hoc est quod D. Paulus, 1. Cor. 12. tanquam impiam dissipationem & schisma meritò vituperauit: non autem, quod Corinthij in externis ritibus non eandem regulam, modúmque & formam obseruarent. Ibi enim ne verbum quidem habetur de similitudine aut dissimilitudine ceremoniarum, nisi quod Apostolus Corinthios in 11. capite reprehendit, *quòd Christi Domini Cœnam non iuxta primam ipsius institutionem seruarent, & quòd non vnam eámque communem Cœnam omnes celebrarent, ídque cum summa religione, ac vera dilectione mutua.* Cui dissimilitudini Aduersaria pars penitus & omnino obnoxia est. Sacram enim cœnam Domini non iuxta hanc formam & rationem, quam Dominus instituit, & Apostolus apud Corinthios collapsam restituere tentauit, administrant. Ea verò est, vt Sacra Cœna Domini tantummodo cum veris discipulis eius, & in vna congregatione vnà tantum celebretur: vt apud eam mysteria Christi præsentibus fideliter exponantur: vt omnia in communi & ab omnibus intellecta lingua peragantur: denique vt ambo Sacramenta communicantibus distribuuntur. Hæc est forma Sacræ Cœna, quam tradidit Christus Dominus,

quámqu

quámque beatus Apostolus in dicto loco ad legitimam obseruationem inter Corinthios restituere voluit, Corinthios redarguit, quod ab ea vtpote à Domino ipso instituta, declinassent. Sic igitur constat, doctrinam Pauli in 1. Cor. cap. 11. Aduersarios eorúmque sectatores reprehendere, non librum, qui hanc veram rationem ac formam, sicut in aliis, ita etiam in hoc Sacramento cupit restituere.

Bonum quidem est, vt sacra Ecclesiæ exercitia non admodum diuersimodè obseruentur, quamuis in ea re, vt dictum est, singularis vniuscuiusque gratis conditio consideranda, neque omnes externę actiones, de quibus nullum habemus peculiare verbum Dei, sunt per omnia in vnam eandémque formam redigendæ. Si verò in illis similitudinem & æqualitatem quærere propositum sit, ad quid respiciendum erit? aut quam rationem ac formam imitari oportebit? Nunquid verbum Dei an humanos abusus? Antiquáne ac verè Apostolicas Ecclesias, an verò recentiores, quæ iam à prima institutione Christi Domini, & Apostolorum tam longè recesserunt?

Aduersarij Schisma vocant, quando à manifestis abusibus eorum recedit ur: id verò pro schismate non agnoscunt, quòd in abusibus suis & à verbo Dei, & à vera & antiqua Apostolicarum Ecclesiarum obseruatione ac consuetudine deflexerunt.

Iam quemadmodum loca S. scripturę, quæ Aduersarij contra Librum adduxerunt, pro libro sunt, & contra ipsos faciunt: sic etiam se habet de aliis sententiis Conciliorum & S. Patrum.

Quartum Concilium Toletanum, quod citant, primum omnium nō vlteriorem similitudinem in externis ceremoniis & exercitiis Ecclesiæ requirit, quàm vt vnaquæque Prouincia vniformiter se gerat cum sua metropolitana Ecclesia, quemadmodum in Capite Toletani, & etiam Distinct. 12. capitulo de his legitur.

Deinde, non postulat vniformitatem in omnibus rebus Ecclesiis enim per se liberum relinquit, baptizandos vel semel vel ter in aquam intingere. Et affirmat, Dissimilitudines consuetudines vnitate fidei retenta nullum Ecclesiæ detrimentum afferre.

Tertiò, non posset similitudinem ceremoniarum secundum abusus, sed potius ad rectum ac verè ædificantem vsum. Hinc est quod ordinat, vt in administratione Cœnæ sacramentum semper prę sentibus tam Clericis, quàm plebi distribuatur. In quo, sicut ferè in omnibus actionibus externis, Aduersarij huic Concilio, sicut & aliis antiquis Conciliis, repugnat, Liber verò Reformationis consentit.

Eadem ratio est & de reliquis dictis, Basilij, Augustini, Leonis, Innocentij, Cęlestini, Calixti, quæ Aduersarij allegarunt. Diuersitas rituum Ecclesiasticorum in eo tantum à Patribus vituperatur, quando deflectitur ab eo, quod ab Apostolis traditum est. Innocentius scribit, Si sacerdotes id obseruare vellent, quod Apostoli tradi-

derunt, non autem quod vnusquisque ex suo ingenio bonum esse iudicat, nullam fore diuersitatem, &c. Videatur Epistola huius Innocentij ab initio.

Aduersarij dicunt, quod omnes Ecclesiæ debeant ad imitationem Romanæ ceremonias ac ritus suos obseruare: cùm tamen illi ipsi melius id sciant. D. Gregorius, vt supra dictum est, Augustino suo, quem in Angliam miserat, præcipiebat, vt in Anglicanis Ecclesiis institueret, quicquid vspiam bonarum consuetudinum inueniret: quódque ea in re non ad locum aliquem, sed ad id, quod Deo melius placeat, respiciendum sit. Ad hæc hodierna die non omnes ritus in Ecclesia Mediolanensi in Italia obseruantur, qui Romæ. *Si fueris Romæ*, inquit Ambrosius ad matrem Augustini, *Romano viuite more: si Mediolani, Mediolanensi.*

Porrò quod de obseruatione Catholicæ & Apostolicę Ecclesię, quam mutare nobis non liceat, introducunt, in eo non Librum quàm semetipsos taxant. Liber enim de ista Apostolicæ Ecclesiæ regula & consuetudine nullo modo recessit, cùm ipsi in ceremoniis suis omnia fermè contraria illi ratione agant,

Etenim apud S. Patres, quorum authoritatem allegant, in omnibus Ecclesiis quàm latè hic mundus patet, inauditum fuit, vnicam actionē diuinam in Ecclesia peregrina & à populo non intellecta lingua peragere: vel S. Cœnam sine communicantibus: vel plures simul quod vnam in vna congregatione celebrare: vel etiam sacramentum circumferre. Multò verò magis inaudita fuit eiusmodi horrenda intemperantia & luxuria vitę. Simonia, & alia id genus vitia, quæ homines isti inualescere passi sunt, & adhuc patiuntur quotidie.

Amplius citant hoc loco Aduersarij, id quod D. Chrysostomus commemorat, de antiqua consuetudine baptizandi, Homil. 40. in priorem ad Corinth. *quod videlicet omnis, quin adulta ætate baptizandus erat, post omnem confessionem debuit dicere, Credo resurrectionem mortuorum, atque hoc dicto in Baptismum descendere.* Item de Oratione solenni in officio Missæ pro infidelibus, ludęis, schismaticis & Catechumenis, qui Baptismum nondum perceperant. Homil. 1. de Adam & Eua. *Quódque ea non inaniter dicat à Domino peti: non obscurè significans, quanti debeat vniuersalis Ecclesiæ ritus & vsus in sacramentorum administrationem communiúmque orationum lex æstimari, & quantum ad Christianæ doctrinæ confirmationem, & intellectum Scripturæ, adferant momenti.*

Verùm hęc omnia nihil contra librum Reformationis faciunt, sed penitus & ex diametro cum Aduersariis eorúmque assęclis pugnant. Iamdudum enim ab ea consuetudine, fidem Resurrectionis ad extremum circa Baptismum confitendi, in genere nihil nouerunt. Ad hęc dictas supplicationes pro infidelibus & Catechumenis non in omnibus missis, sed tantum die Veneris ante pascha recitare solent. Liber Reformationis autem preces pro infidelibus ad oratio-

nem

nem celebrationémq; S. Cœnæ instituit & ordinauit. Ad hęc constituit etiam, vt Articulus de Resurrectione apud Baptismum longè clarius ac diligentius doceatur & explicetur, quam fiat apud Aduersarios.

Meminit etiam D. Chrysostomus, quòd Oratio pro infidelibus debeat fieri etiam D. Chrysostomus, quod Aduersarij quoque non obseruant: Suas enim precationes pro se dicunt in Latina lingua, sine intellectu & commiseratione precibúsque populi, qui præsens est. Liber verò Reformationis hanc consuetudinem obseruare iubet, quemadmodum ab antiquis obseruata est. Citant etiam Aduersarij, id quod Imperator Iustinianus mandat in Authent. de Ecclesiis diuersis, cap. 1. de communibus supplicationibus apud Baptismum & S. Cœnam Domini. Quod non minus, quam priora contra ipsos facit, non contra Librum Reformationis. Eo enim in loco mandat Imperator, idque ex authoritate verbi Dei & Canonum, vt publicæ, quæ dicuntur, supplicationes ita dicantur, vt populus eas intelligat, & ad laudandum Deum per illas excitetur, suumque Amen subiicere possit. Allegat etiam D. Paulum, 1. Cor. 14. qui Orationem in Ecclesia non intellectam damnat ac prohibet, vt quæ presentes ædificare non valeat. Ecce ad hunc modum solent Aduersarij de magnis nominibus quæ citant, gloriari: Ea verò si proprius ac penitius introspiciantur, deprehenditur, quod pro Libro contra Aduersarios & omnes eorum sectatores faciant: cùm tamen illa tanquam cum Libro Reformationis pugnantia, producant. Deus dignetur aliquando oculos eorum aperire.

Postremò adducunt grauissimam sententiam Cypriani & Augustini contra Schismaticam nouitatem. Si verò quid schisma sit, intelligere & cognoscere noluerimus, sicut debemus, & quemadmodum id sancti Patres agnoscunt & intelligunt, quos Aduersarij hoc loco citarunt, tunc id tantummodo schisma est, vbi quis à Communione Vniuersalis Ecclesiæ Christi, eiúsque ministris & hominibus, qui adhuc excommunicati non sunt, semetipsum separat, ita vt cum eis Doctrinam Christi audire, Sacramenta percipere, & orare, eósque pro Christianis agnoscere & iudicare nolit. Qua ratione Aduersarij hodierna die à multis veris Ecclesiis Christi se scindunt. Cui schismati & Liber Reformationis, & omnes veri Christiani aduersantur. Verum vbi tantummodo abusus corriguntur, vel liberę obseruationes & consuetudines mutantur, tamen ad ædificationem, id à Patribus istis (*non*) vocatur schisma. Quare etiam hæc dicta Patrum, non Librum Reformationis, sed Aduersarios schismatis condemnant.

Vicesima prima Accusatio Aduersariorum.

De Administratione S. Baptismatis.

Cap. LIII.

Hæc Accusatio instituta ab Aduersariis est, tantummodo propter externa signa, formámque verborum & rituum, de quibus neque Dominus, neque Apostoli vel verbum præceperunt, neque veteres S. Patres quicquam simile ordinarunt aut obseruarunt: quæque ad verè fidelem & ædificantem huius Sacrosancti Sacramenti perceptionem non faciunt, quinpotius multò magis eam impediunt. Quicquid enim est essentialium rerum in pia administratione huius Sacramenti. Cuiusmodi est, vt homines ad id Christianè percipiendum benè præparentur: mysteria S. Baptismatis diligenter explicentur, omniáque quæ ad hoc à Domino ordinata sunt, in Ecclesia Dei summa cum Religione ad efficacem fidei & omnis pietatis ædificationem peragantur, hoc totum apud Aduersarios penitus peruersum est & abolitũ. Singulis horis, ac quouis tempore, etiam cùm infans non est in singulari discrimine vitæ, Baptismum ministrant.

Vtrum pauci an verò Christiani præsentes adsint, de eo parum curant.

Sic neque illud emendatur, quòd sæpenumero patrimi & alij homines ad Baptismum accersuntur, qui manifestis & ex communicationem meritis sceleribus sunt contaminati: quódque communiter plurima mandana vanitas, impius risus ac iocus ibi exercentur.

Adhæc omnia dicuntur ibi peregrina & ignota lingua, impiáque festinatione signa quoque sine omni explicatione significationis eorum vsurpantur, ita vt apud populum per se nihil aliud adferre possit, quàm vt homines omnia quæ apud Baptismum quærunt in externis verbis ac signis Sacerdotum ponant, non autem in merito & operatione Domini nostri Iesu Christi, de qua ne verbo quidem edocentur, ac sæpenumerò ne Sacerdotes quidem ipsi aliquid nouerunt aut cogitant.

Hac ratione tota Baptismatis actio turpissimè peruertitur, & quicquid Dominus & Apostoli in ea ad ædificationem Ecclesiarum suarum ordinarunt, & antiqui Patres quàm fidelissimè obseruarunt, quantum ad Baptizantes & officium eorum pertinet, penitus aufertur & aboletur. Hunc Abusum Aduersarij non redarguunt, hanc abominationem ne verbo quidem attingunt, imò excusant & defendunt quantum possunt: nobis verò qui eiusmodi falsos abusus & abominationes amouere, & veram, antiquam, Christianam atque Apostolicam S. Baptismatis administrationem restituere, ac rursus in opus perducere, conamur, summis viribus obsistunt.

Nempe vt Baptismus saltem diebus Dominicis, quibus tota Ecclesia

Ecclesia conuenire solet, & ad eiusmodi diuinas actiones, aptior est, nec non in peculiari præsentia probatorum Christianorum administretur. Id quod antiquæ obseruationi consentaneum est, qua S. Baptismus bis tantum in anno, nempe in festo Paschatis & Pentecostes ministrabatur, hanc solam ob causam, vt hæc actio tantò maiore cum solennitate, ac religione populi perageretur. Huic ordinationi ex diametro repugnat, quod Baptismus omnibus temporibus atque etiam nõnunquam cùm homines benè poti sunt, & vix vno aut altero præsente, imò interdum talibus hominibus, qui apud nullam eiusmodi actionem tolerandi sunt, administratur.

Sic quod ordinauimus, vt omnes actiones S. Baptismatis summa reuerentia & religione tractentur, vniuersa fides Christiana quàm diligentissimè & clarissimè explicetur, huiúsque sacramenti mysteria, perspicuè exponantur, quò omnium astantium, & totius Ecclesiæ fides in Dominum nostrum Iesum Christum confirmetur ac prouehatur ad fructum pietatis, id sanè ab ipso spiritu S. in omnibus exercitiis Ecclesiasticis, præsertim verò in administratione Baptismatis requisitum est, & à S. Patribus semper hoc modo obseruatum. Quid verò huic simile apud Aduersarios circa Baptismum eorum reperitur, imò verò quid non penitus contrarium ac repugnans? Iudicium esto penes Christianos.

Atque hæc sit generalis defensio libri Reformationis, quantum ad hunc articulum pertinet.

Quò verò ad singulas quoque Aduersariorum obiectiones respondeatur, seruabimus ordinem quem ipsi instituerunt, & ad vnamquámque obiectionem suam propriam responsionem subjiciemus.

Prima pars huius Accusationis.

Quomodo de nomine infantis interrogandum sit.

Cap. LIV.

PRIMA accusatio est, librum Reformationis antiquam baptizandi consuetudinem in eo violasse, quod non iubet primum omnium, infante ad fores templi allato, de nomine eius interrogare.

Responsio.

IN hac Accusatione prima statim fronte vides Christiane lector, cuiusmodi culices exiguæ mutationis Aduersarij colorare velint, quãtos verò Camelos omnimodæ peruersionis omnium eorum, quæ Dominus, Apostoli & veteres S. Patres ordinarunt, præceperunt, ac fideliter obseruarunt.

Liber enim iubet de nomine infantis interrogare, idque etiam ante-

exorcismum. Quid verò in hoc erratum est? Si Aduersarij & alij operam darent, vt Baptizatorum nomina scripto mandarentur, per quod postea de baptizatis diligenter inquireretur, omnéque studium adhiberetur, vt Christo Domino rectè educarentur, suóque tempore ad publicum Catechismum in Ecclesiam adducerentur: ac postquam aliquid percepissent, ad propriam fidei confessionem, suique ipsorum in plenam communionem & obedientiam Christi traditionem adhiberentur, hoc demum esset antiquam Ecclesię consuetudinem rectè obseruare. Veteres enim propter hanc solam causam de nominibus baptizatorum interrogarunt, eáque diligenter inscripserunt & obseruarunt. Memmit Dionysius, quòd suis temporibus sacerdotes & baptizandi & patrinorum eius nomina soliti fuerint inscribere.

Vides Christiane lector, de quibus rebus Aduersarij certent. De ædificante vsu & consuetudine interrogandi & dandi nomina, nihil omnino solliciti sunt: sed de eo tantum contendunt. Quando de nomine baptizandi quærendum sit. Sic de inanibus ceremoniis plurimum solliciti sunt, de vero autem & ædificante talium rerum vsu nihil omnino curant.

Altera Pars.

De Exsufflatione.

Cap. LV.

ALtera Accusatio est de Exsufflatione, nempe quod Baptizans debeat ter Diabolum à puero exufflare, quod signum liber Reformationis prætermisit.

Responsio.

VSus huius signi peruetustus quidem est, non autem vel à Domino, vel ab Apostolis ordinatus, neque à quoquam vllo tempore agnitus tanquam necessarius. Quamobrem manet in libera dispensatione Ecclesiæ, quemadmodum aliæ traditiones humanæ.

In eo quod per illum signum significatur, tota res peadet, nempe vt homines apud Baptismum probè admoneantur, nos omnes sub potestate diaboli natos esse, ab eóque per solum Dominum nostrum Iesum Christum liberari, & bono spiritu fidei omniúmque virtutum donari ae perfundi.

Quam significationem S. Patres, Augustinus & Chrysostomus, iis in locis quæ ab Aduersariis citata sunt, clarè proponunt, & testantur. Iam igitur iudicato Christiane Lector, vtri doctrinam istam Ecclesię Christi maiori cum fructu proponant: num hi, qui ipsam claris & ab omnibus intellectis verbis, in tota Ecclesia Christi, ex certo ac manifesto verbo Dei tradunt, explicant & inculcant, idque sine signo exufflationis, quemadmodum liber Reformationis ordinauit: an verò ij, qui nullum

lum intelligibile verbum hac de re dicunt, populúmque nihil omnino docent, sed tantummodo nõ intellectum Exufflationis signum, in præsentia paucorum hominum, qui id neque intelligunt, neque magnifaciunt, vsurpant & exercent, qui abusus apud Aduersarios validissimè regnat.

Quare autem signum Exufflationis in Libro prætermissum sit, id postea ostendetur, cùm ad Obiectionem de Exorcismo respondebitur, nec non in doctrina de Libertate, veróque & ædificante horum signorum vsu, quę apud S. Baptismum adhiberi solent.

Tertia pars.

De Exorcismo salis.

Cap. LVI.

TERTIÒ accusant librum, propterea quod Salis adiurationem & benedictionem, eiúsque immissionem in os baptizandi, prętermisit.

Porrò Exorcismum Salis conantur Aduersarij tribus argumentis confirmare. Quorum primum ducitur à miraculis quibusdam editis per virtutem aquæ benedictæ, Vt quod Marcellus Apameæ Episcopus, ignem quem templo cuiusdam idoli subiecerat, quémque Diabolus subinde antea extinxerat, per aquam benedictam fecerit ardere, vt Hist. Trip. commemoret.

Alterum est, quod Narcissus Hierosolymorum Episcopus oratione & benedictione effecerit, vt aqua in lampadibus instar olei arderet. Hist. Eccle. lib. 6. cap. 7. Tertium, Quod Iudæus quidam ad Christianismum conuersus caminum calcis, quem alij Iudęi nondum conuersi ita incantauerant, vt ardere nollet, per virtutem aquæ ardere fecerit. Epiphan. lib. 1. Tom. 2.

Responsio.

EX istis historiis quàm certę sunt, tam certò confirmant Aduersarij Salis Adiurationem. At nunquid egregia, si diis placet, argumentatio est. Quidam sancti per aquam benedictam miracula ediderunt, Ergo, Cùm ministratur Baptismus, adiurari debet Sal, imponendus in os baptizandi? Quare id non potius ex illo probant, quod Dominus sputo balbutientis linguam soluit, atque eodem cęci nati oculos aperuit? Vel ex eo quod Apostoli infirmos sanabant per Vnctionem olei? Vel denique, quod Helisæus aquam iniecto sale salubrem reddidit?

Alterum argumentum sumptum est, à signo Crucis, quod vim habeat omnem artem magicam, omnéque veneficium & diabolos ipsos pellendi, quódque eo veteres omnibus rebus benedixerint. Eodem loco nonnulla etiam Patrum dicta perperam citant, signóque crucis hoc opus attribuunt, quod veteres S. Patres soli crucifixo adscribunt, &

ab iis tantummodo cognosci potest, qui vera fide in Crucifixum credunt.

At rursus vide quàm eleganter ratiocinentur. Quidam signo crucis miracula operati sunt, & omnibus rebus benedixerunt. Ergo Adiurandus est Sal, qui Baptizandis in os immittitur.

Et quidem si verum esset, id quod Aduersarij scribunt, dæmones vbicunque viderint signum crucis, fugere, eóque in loco permanere non posse: admodum sancti essent sacerdotes, penitúsque à diabolo liberi, qui multas Missas celebrant: in eis enim infinita crucis signa quotidie faciunt.

Christiani tam veteres quàm recentiores hoc signum crucis libenter sanè in omnibus actionibus, & vsu omnium creaturarum adhibuerunt. Verum hoc ideo tantùm fecerunt, vt & semetipsos admonerent, & aliis confiterentur, quod omne auxilium, omnísque benedictio Dei in quibuscunque rebus ex sola gratia Dei nobis contingat, quam Christus Iesus filius Dei morte sua in cruce nobis impetrauit, ac promeritus est. Et hac sola ratione huius signi vsus Christianus est, & pius. At putare, quod signum ipsum per se virtutem quandam habeat, & sine religioso ac verè fideli respectu in Christum crucifixum, sicut Aduersarij eo multipliciter abutuntur, id superstitiosum est & magicum.

Tertium argumentum est, & scripturam testari, quod propter peccatum omnes res quæ humano vsui subseruiunt, maledictæ sint, & obnoxiæ potestati diaboli: rursus autem per orationem & verbum Dei sanctificentur, vt Paulus scribit. Quod verum est: Quomodo autem inde consequitur, Salem exorcizandum esse?

Verbum Dei debet ad fidelem hominem, non ad salem aliam creaturam sensu destitutam pronuntiari. Sic etiam Oratio ad Deum, ídque vt à fidelibus percipiatur, non ad salem dici dirigíque debet. Iam verò in Exorcismo suo salem alloquuntur, qui tamen non audit, dicentes: Adiuro te creatura salis, in nomine Patris, &c. Dicunt etiam Deum præcepisse, vt per seruos suos sanctificetur pro populo, qui ad fidem peruenit, vt in nomine sanctæ Trinitatis fiat salutare sacramentum, ad effugandum inimicum. Verum vbi præcepit Dominus hoc seruis suis?

Orant præterea in hoc suo exorcismo, vt Deus salem benedicere & sanctificare dignetur, vt efficiatur sal exorcizatum in salutem credentium, & sit omnibus eum sumentibus animæ sanitas & corporis. At quis Apostolorum, aut quis Martyrum docuit, hac ratione salem alloqui, & adiurare? Aut quis eorum vnquam vel verbo meminit eiusmodi mandati diuini de Exorcismo salis?

Ecce cuiusmodi probationes Aduersarij pro suo exorcismo satis adducunt? Debent sanè Christiani omnia quæ vsurpant, in nomine Domini vsurpare: verbúmque Dei in omnium donorum ipsius vsu diligenter respicere, ac confiteri, quod testatur, Dominum à principio nobis omnia in bonum condidisse, ac deinceps per sanguinem

dilecti-

dilecti Filij sui rursus sanctificasse, posteaquàm propter peccata nostra maledictioni subiecta fuerant. Adhæc Patrem per Dominum nostrum Iesum Christum semper ex animo inuocare debent, vt ipsis largiri velit, quo gratuitam eius benedictionem, quam dilectus Filius eius per mortem suam nobis acquisiuit, in omnibus rebus sentire ac percipere queant.

Et hoc debent Christiani in vsu omnium rerum, non salis tantum præstare. In eo verò nullus est exorcismus, quod Aduersarij probare frustrà in se receperunt.

Porrò quod Aduersarij eodem in loco scribunt, Ecclesiam ab initio credidisse, quod Creaturæ per benedictionem purificentur, & virtutem adipiscantur inseruiendi nobis ad salutem per fidem, id pleniori explicatione opus habet. Deus operatur omnia in omnibus, suisque creaturis vtitur prout vult, vel ad puniendos vel iuuandos homines: ipsiúsque est omnis virtus, per quam creaturæ nobis salutiferæ sunt.

Quòd autem per verba Benedictionis noua quædam vis creaturis indatur, quę in ipsis maneat ac perduret, de eo quemadmodum nullum habetur ex verbo Dei testimonium, cui soli Christiani fidem habent, ita nec veteres Ecclesiæ quicquam crediderunt.

Iam verò quantum pertinet ad vsum salis adiurati, nempe quod in os baptizandi immittitur, manifestum est, eam consuetudinem non esse vetustam. Eius enim nec Tertullianus, nec Dionysius meminerunt. Significatio bona est, videlicet quod Christus Dominus in sacramento Baptismi det suis Spiritum ac sapientiam Crucis, & mortificationem veteris Adami, per quam homo à putredine malarum cupiditatum præseruetur, perinde vt alias carnes à putrefactione ministerio ac virtute salis conseruari solent.

Verum quinam plus vtilitatis & ædificationis significatione ista adferunt, num qui solum ac nudum signum missionis salis in os Baptizandi apud Baptismum, sine vlla ipsius explicatione coram paucis quibusdam hominibus vsurpant, an verò ij qui signum quidem prætermittunt, significationem autem apud Baptismum coram tota Ecclesia Christi, semper ex S. scriptura claris ac perspicuis rationibus, summáque cum religione declarant & inculcant?

Quarta pars.

De Adiuratione diaboli.

Cap. LVII.

QVARTA accusatio est de Exorcismo diaboli, qui ex infantibus eiurari debeat, quódque in libro Reformationis Exorcismus Catechismo postpositus sit.

EXorcismi, quibus potestas Satanę à Baptizandis eiuratur, antiquę consuetudinis & obseruationis sunt. Verum tamen est, quod nullum habemus à Christo Domino nostro de illis mandatum, neque etiam à S. Apostolis. Ac verisimile quidem est, hunc Exorcismum, & diaboli ex Baptizandis eiurationem etiam esse non mandatam operis Apostolorum imitationem, qui eius, sicut præceptum, ita etiam potestatem habuerunt, quorum vtrumque iamdudum apud nos desiit.

Hoc quidem verum est, quod omnes qui Christo Domino nondum incorporati sunt, sint sub potestate diaboli, à qua solus Dominus nos liberat & redimit. Quando autem Deum per Dominum nostrum Iesum Christum super infantes nostros inuocamus, vt eos ab omni potestate diaboli liberare, & in regnum filij sui transferre velit: & hoc ab eo oramus vera & solida fide, freti promissione Dei, quòd noster & seminis nostri Deus & Seruator esse velit, quódque Christus Dominus dixit, *Sinite pueros venire ad me, & benedixit eis: atque hac fide infantes nostros baptizamus*, tunc reuera diabolus ab eiusmodi infantibus propulsus & abactus est. Nam in S. Baptismo purgantur à peccatis, & Christo Domino nostro induuntur. Et de hoc mandatum habemus ac promissionem Dei.

Cæterum cum diabolo ipso multa loqui, ipsum adiurare, eique præcipere vt exeat ab infantibus, perinde ac si infantes à diabolo obsessi sint, quemadmodum erant hi, è quibus Christus Dominus & Apostoli, ad hunc modum præcipiendo & adiurando, dęmonia eiecerunt atque eiurarunt, de eo sanè neque mandatum neque promissionem habemus Domini. Et alioquin quoque satis horribiliter sonat.

Aliud námque est, In potestate diaboli esse propter peccatum, sicut nos omnes, proh dolor, in ea nati sumus: atque etiam omnes hi sunt, qui in spontanea peccata prolabuntur: aliud verò, A diabolo obsessum esse. Cum igitur ad eos, qui à voluntariis ac grauibus peccatis absoluuntur, atque hoc modo rursus ex potestate diaboli eripiuntur, inque regnum Christi transferuntur, dici non soleat, *Exi immunde spiritus*, vel Præcipio tibi vt exeas ab hoc seruo Christi, &c. quomodo quadrat, vt hoc modo super infantes dicatur? Ad hæc constat, quod homines huic non mandatæ diaboli adiurationi, quam nõ intelligunt, longè plus tribuerint, quàm conueniat. Quare etiam propter abusum meritò prætermissa est. Liber tamen hanc rationem nõ penitus omisit, sed temperauit iuxta id, quod in verbo Dei nobis mandatum & promissum est: Et hoc omnibus Christianis facilè satisfaciet.

Iam quod Aduersarij accusant Librum, propterea quod Exorcismum Catechismo postposuit, id quod Ecclesiæ aduersetur, demonstrandum illis erat, vbinam Catholica Christiana Ecclesia præceperit, vt Exorcismus antè Catechismum administretur. Dionysius nullam penitus mentionem facit de tali Exorcismo, nempe quòd is qui Baptismum ministrat, diabolum à Baptizando eiurare debeat, Adhæc cum Baptizare sit Chri-

sit Christo Domino incorporare, reuera etiam est diabolum expellere: quod opus & mandatum Dei per humanum istud figmentum obscuratur & obtenebratur.

Causa verò propter quam Liber Reformationis Catechismum Exorcismo præposuit, est præceptum Domini, qui nobis mandauit, vt mysteria eius in Ecclesia fidelium cum intellectu & ad ædificationem fidei tractemus, eorúmque ignorationem & contemptum, quantum fieri potest, caueamus. Iam verò certum est, Infantes, qui ad Baptismum afferantur, nihil eorum quæ ibi aguntur intelligere. Adhæc nullum habemus præceptum, quod aliquid ibi debeamus cũ diabolo loqui. Quamobrem debemus ex authoritate mandati diuini, omnes actiones ibi ita instituere, vt etiam præsentes per eas ædificentur, vera fide pro infantibus orent, sacrúmque Baptismum infantibus vera deuotione petant, ac percipiant.

Cùm igitur adhuc, proh dolor! homines propter non intellectam baptizandi consuetudinem, parum admodum de S. Baptismo sciant, Catechismus autem instructio sit, quæ tantum ad eos qui intelligunt, fieri potest, consequitur sanè, Catechismum ex authoritate verbi Dei reliquis omnibus præmittendum esse, cúmque præsentes probè edocti & ad diuinam hanc actionem præparati fuerint, tum demum preces pro infantibus fundi, & Exorcismum peragi debere.

Et in hac parte rursus demonstrant Aduersarij, quod nihil aliud nisi impias contentiones ac suggillationes contra opus Christi quærant. Commemorant ipsi, quanta religione, diligentia & grauitate veteres Catechismum multis diebus ante perceptionem Baptismatis, ídque cum intelligentibus exercuerint. Cur igitur id non respiciunt, & grauissimę ignorationi ac cœcitati populi subueniunt, qui adeò nihil amplius nouit de istis tam sublimibus maximéque necessariis mysteriis? Verùm id ipsos non multum angit, de eóque nihil omnino solliciti sunt, etiamsi tota Religio Christi collaberetur ac penitus intercideret, dummodo ipsis Domino eorum, præeminentia ac pompa salua & incorrupta maneret.

Quinta & octaua pars.

De Catechismo.

Cap. LVIII.

QVINTA & octaua Accusationes hæ sunt, Librum Reformationis præcipere, vt Catechismus non erga paruulos, sed erga parentes & sponsores seruetur: quódque patrini ita pro se, suóque nomine diabolo abrenuncient, & ad omnes symboli Apostolici articulos respondeant, ac si ipsi rebaptizandi essent.

Responsio.

ECce calumniam, & immeritam prorsus reprehensionem. Debet ne verbum Dei ad illos proferri, qui id non intelligunt, hoc est, vt D.

Paulus ignoscit, inaniter & in auram verba facere? Paruuli sanè non intelligunt, quid ad ipsos dicatur: parentes verò patrini & alij, qui ad Baptismum infantium accedere solent, possunt Catechismum intelligere, eóque etiam opus habent. Quare igitur is non erga ipsos seruaretur & dirigeretur?

Quod verò Liber Reformationis ordinat, vt Patrini diabolo renuncient, ac fidem profiteantur, non tantum pro se, sed etiam pro infantibus, id quidem & ipsis susceptoribus, & vniuersæ Ecclesiæ vtile est ad ædificationem, nihilque derogat infantibus. An verò plus paruulo confert, quando minister ad ipsum dicit, Renuncias? Credis? (quæ verba non intelligit) & deinde Patrini infantis loco respondeant, Renuncio, Credo, perinde ac si infans ipse hæc verba proferat, quod tamen non facit, quàm si Patrini interrogentur, Vtrum pro se & pro paruulo diabolo renuncient, ac Christo credant: id quod ipsi intelligere possunt: ac deinde responsionem suam dent, quod facere possunt, paruuli verò non possunt? Verũ quod scenicũ est, quod superstitioni affine, siue ædificet, siue nõ ædificet: siue verbo Dei consentaneũ sit, siue dissentaneũ, id homines isti propugnant. Etiamsi enim quis dicat, Sponsionem nomine paruulorum factam maiorem habere vim, ipsos commonefaciendi, & arctius in conscientia ligandi, manifestum tamen est, quòd quoscunque infantes, postea quam ad adultam ætatem peruenerunt, gratia sua Dominus non iuuat, vt ad propriam fidem cordis perueniant, quæ eos ad personalem confessionem Domini, ac seriam diaboli abrenunciationem impellat, his parum admodum, imo nihil omnino prodesse possit, quod Patrini nominibus eorum spoponderunt ac promiserunt.

Super hęc omnia Aduersarij rursus apertam calumniam hoc loco admiserunt. Cùm enim Liber Reformationis ordinat, vt Patrini pro se & paruulis diabolo renuncient, fidémque profiteantur, omittunt Aduersarij appendicem illam (Et pro paruulis) & postea subiungunt (ac si ipsi rebaptizandi essent) perinde ac si non quotidie nobis opus sit renuntiare diabolo, nostrámque fidem confiteri: Et quasi in isto tam cæco & impio mundo, non sit necessarium talia à plerísque Patrinis fcisciari.

In summa, Liber iubet eos catechizari, qui id percipere & intelligere, ex eóque seipsos ędificare possunt. Requirit, vt paruulorũ nomine diabolo renuncietur, ac fidei confessio fiat. Quæ omnia cum verbo Dei concordant. Quamuis non postulet, vt simulemus nos loqui cum infante, & quasi infans ipse respondeat, quorum neutrum fit. Quamobrem quantum adhoc attinet, nemo Christianus Librum Reformationis reprehendet. Et quamuis hęc cõsuetudo satis antiqua sit, vt Patrini infãtiũ loco interrogentur & respondeãt, quasi interrogẽtur & respõdeãt infãtes ipsi, eã tamẽ neque Dominus, neq; Apostoli vllo in loco præceperũt: éstque mandato Domini longè magis consentaneum, vt omnia dicantur & agantur, quemadmodum in seipsis sunt, ac reuera fiunt quàm simpli-

pliciſſimè, idque ea ratione, vt veram in Eccleſia Chriſti ædificationem promouere ac propagare poſſint.

Sexta & nona pars.

De vnctione olei & Chriſmate.

Cap. LIX.

HÆc quidem peruetuſta ceremonia eſt, iámque temporibus Cypriani vſurpata. Quis verò audiuit noſtro ſeculo populum de myſtica ſignificatione eius edoceri? Et quoniam Epiſcopi Chriſmatis conſecrationem, & vnctionem olei ſibi ſolis vendicarunt, à pleriſque in maiori precio habita fuit quàm Baptiſmus ipſe.

Quoniam verò Thomas quoque & alij ſcholaſtici Doctores fatentur, vſum illius præſentis & omnium ſignorum quorum ſuperius facta mentio eſt, non eſſe neceſſarium: item ſigna ipſa non eſſe ſacramenta Eccleſiæ, ſanè nulla Eccleſia Chriſti condemnari poterit, etiamſi hoc ſigno non vtatur. Omne enim quod fidem in Chriſtum non ædificat, id in Eccleſiis Chriſti non eſt vſurpandum. Iam qui ſecundum veritatem iudicare vellet, prout noſtro tempore res comparatæ ſunt, & hoc ſignum Chriſmatis ſeu vnctionis fidei in Chriſtum vel vtilitatis vel detrimenti adferat, is certè quantumuis antiquum ſit, ac multa de myſtica eius ſignificatione apud Patres ſcripta reperiantur, non magnoperè pro eo decertabit. Attamen quoniam peruetuſtæ obſeruationis apud Chriſtianos fuit, ſi per ipſum curſus Euangelij efficaciter promoueri poſſet, eiúſque ſignificatio rectè intelligeretur, piéque ac Chriſtianè vſurparetur, ita vt homines probè ſcirent, ſignum illud per ſe nihil largiri, aut Baptiſmum meliorem reddere: ſed tantum ſignaculum vnctionis Spiritus ſancti, quam à Domino nos orare oportet, quámque ipſe nobis largiri vult, ſine qua nihil diuinarum rerum intelligere, amare, aut opere perficere poſſumus: hac demum ratione piè, & ad ædificationem vtiliter hoc ſignum vſurpari poſſet. In eo verò diligentiſſimè cauendum eſt, nedum Euangelij propagatio, & vnitas Eccleſiæ prætexitur, hoſtibus Chriſti blandiamur, fugiamus crucem ipſius, atque obſcuremus gratiam eius. Veri enim fideles ac Filij Dei facilè adduci & perſuaderi poterunt, vt in hiſce rebus inſtitutione Domini ſint contenti, ſicut etiam ſuperſtitioſum iſtorum ſignorum abuſum facillimè perſpiciunt, ac libentiſſimè vitant.

Septima Pars.

De Consecratione aquæ Baptismi & columna cerea.

Cap. LX.

SEPTIMA Accusatio est de Consecratione aquæ Baptismi & de Columna cereæ candelæ, quorum vtrumque admodum antiquæ obseruationis est. Et tamen de vtroque nihil amplius in S. literis traditum est, quàm quod D. Paulus 1. Tim. 4. docet de sanctificatione omnium rerum per verbum & orationem. Aduersarij verò Consecrationem istam peregrina lingua administrant, contrà consuetudinem antiquorum. Adhæc eò superstitionis apud plerósque deuenit, quasi per eam peculiaris quædam vis aquæ tribuatur, & Baptismus simplici aqua iuxta verbum Domini ministratus, non tam bonus atque efficax sit, quàm qui cum aqua consecrata datur. Is autem grauis abusus est, & fidei in Christum horrenda offensio.

Quod si verò per hanc Consecrationem vera ædificatio in Ecclesiis Christi promoueri posset, de precatione aliqua scripturæ consentanea conueniendum esset, in qua Dominus inuocaretur, vt daret, quò aqua ad S. Baptismum salutariter nobis inseruiret, iuxta verbum ipsius: ita vt nihil vlterius ibi fieret, quàm quod D. Paulus docet, cùm inquit, Quod omnia quæ Deus in vsum & vtilitatem nostram condidit, per verbum & orationem sanctificentur: omnísque abesset superstitio.

Multa signa adhibere, vt Vnctionem Olei, Exufflationem, Cereorum insertionem, aliáque id genus plurima, de quibus nullum extat mandatum Domini: cúmque multa externa & significantia signa vsurpare, Iudaicum potius sit quàm Christianum: adhæc cùm ea populus non intelligat, certè in eorum vsu & obseruatione magis incredulitatis & Iudaicæ seruitutis discrimen, quàm Christiana ædificatio expectanda est. Iam verò contra Deum est, non omnia eiusmodi pericula euitare, ac non potius certam ædificationem quærere.

Finis omnium Ecclesiasticorum rituum est ædificatio fidei in Christum 1. Cor. 14. quàm longè melius per simplex ac probè intellectum verbũ Dei in populo promouere possumus: quàm si plurima adhibeamus muta signa, præsertim si mystica eorum significatio populo non explicetur, quemadmodum apud Aduersarios fieri solet.

Quando de Columna Cereæ candelæ Prudentium citant, nimis latè versus eius extendunt. Illi enim tãtummodo de cereo paschali sonant, cuius olim vsus in Ecclesia fuit, quando tota nocte paschali habebantur vigiliæ, vt hominibus lucem præberet. Hanc veteres, quemadmodum omnes alias res, per verbum & orationem sanctificarunt. De hac vero candela cerea, quam homines persuasi sunt, vt infantibus ad Baptismum præferãt, vt ea sicut in quibusdam locis fieri solet, Pastoribus relinquatur: & quæ aliis in locis ad id adhibetur, vt infantes legitimè

nati

nati ab illegitimis discernantur, in aliis denique ob alias quasdam impias causas vsurpatur, de ea, inquam, nec Prudentius, nec alius quisquam ex antiquis vel verbo mẽtionem fecit. Probè inspiciantur versus, quos Aduersarij adduxerunt, qui ita incipiunt:

O res digna Deus, quàm tibi roscida
Noctis principio grex tuus offerat, Lucem, &c.

Totus enim iste hymnus de iis tantummodo candelis cauit, quę olim in nocte Paschali ad tenebras depellendas accendebantur. In quibus piè ac Christianè seipsos admonuerunt Christi Domini, lucis mundi: quemadmodum etiam columnę igneæ, per quam Deus populum suum eduxit ex Ægypto, & quæ typum gerebat Christi. Verum de talibus rebus ne verbo quidem docent Aduersarij populum, sed tantummodo mutis quibusdam & non intellectis signa omnia sua perficiunt.

Decima pars.

De veste alba.

Cap. LXI.

VSVS vestis albę etiam peruetustus est. Verum quantò magis necessarium est, de eo elaborare, quomodo Christum Dominum induamus, eóque conuestiamur? Eò sunt omnia in libro Reformationis, idque iuxta eam rationem ac formam quam ipsum verbum Dei præscribit, quod de veste alba nullam mentionem facit.

De pluralitate signorum, quæ ad administrationem Baptismatis accesserunt, generalis responsio.

Cap. LXII.

VETERES ad excitandam & augendam religionem deuotionémque populi apud Baptismum, & ad maiorẽ administrationi mysterióque illius authoritatem & solennitatem conciliandam, plurima signa, & spirituales ceremonias adhibuerũt. Eas verò diligenter quoque ac fideliter populo explicuerunt, & ad verè fidelem præsentiam, omnimodámque fidei in Christum ędificationem, cũ perspicuis & intelligibilibus lectionibus, orationibus ac hymnis excitarunt & adduxerunt.

Aduersarij verò longo iam tempore hęc signa & externos ritus sine intellectu, sine deuotione, sinéque omni ædificatione, imò partim ad ludicrum, partim ad impium & superstitiosum spectaculum vsurparunt. Quamobrem neque de S. Patribus gloriari, neque eorum authoritatem istis Ecclesiis obiicere possunt, quę mysteria & dona Dei apud

Baptismum intelligibili lingua, verèque religiosa & deuota tractatione declarant, prædicant, & tradunt, quamuis non omnia signa ad hanc rem vsurpent, quæ ab antiquis adhibita & vsurpata sunt.

Estque inter Aduersarios, qui externa quidem signa cum veteribus vsurparit, opus autem veræ ædificationis ac piæ emendationis non demonstrant: & inter eas Ecclesias, quæ opus Christianæ ædificationis summa diligentia declarant, tam multa verò signa ritúsque externos, sicut olim antiqui fecerunt, non adhibent, consimilis ratio ac si hospes quidam primò à bonis & honestis amicis exceptus fuisset, qui ipsum splendidè ac lautè, non tàtum exquisitis epulis, sed multis quoque ceremoniis, ac reuerentiæ signis tractassent: posteà verò ad alios homines perueniret, qui omnia quidem honoris ac reuerentiæ signa illi exhiberent, quæ primi boni ac veri eius amici erga ipsum demonstrauerant, nihil autem cibi & potus ei ministrarent, imò potius iocosè ac ludierè quâ feriò & in honorē eius talibus ceremoniis ac gestibus vterétur, adeò vt amor & reuerētia, quā primi eius amici erga ipsum demonstrauerāt, penitus ibi non deprehenderetur: Tertiò tandē ad alios, eósque rursus veros amicos venire, qui lautissimos ac pretiosissimos ei cibos apponerēt, perinde vt à primis factū erat, idque etiam cū mediocri honoris declaratione, lōgè tamē paucioribus ceremoniis, quā à primis illis fiebat. Iā si medij, ficti ac falsi eius amici de tertiis istis cōqueri vellēt, quod hospitē istum honorificè non tractassent, quemadmodū primi eum tractauerant: ipsi verò multū gloriarentur, quod eum non minus solenniter ac splēdidè quā primi, excepissent, tunc si vel hospiti vel alij cuipiam honesto viro sententia super hoc negotio pronūcianda foret, annon dicturus esset, tertios veros amicos hospitem benè ac honorificè, iuxta amorem & amicitiam primorum excepisse: inter medios autē, qui derisores potius & gesticulatores, quàm bonos amicos sese demōstrauerant, malè ac contumelioscè eū tractasse, cámque amicitiam, quam primi illi exhibuerant, penitus erga eum non declarasse?

Ad eundem modum pij de istis Ecclesiis Christi iudicabunt, quæ sacrosancta sacramenta iuxta institutionē Christi & Apostolorū summa cū religione ac deuotione administrāt: fideliter quoque declarant, quid Dominus in sacramentis suis nobis faciat & præstet: adhæc precationes & laudes Dei toti Ecclesię intelligibiliter proponunt, ad efficacem pietatis ædificationem, quòd veterum Patrum deuotionem & ardorem probè imitatæ sint, etiamsi pauciora signa adhibeant. De Aduersariis verò pronuntiabunt, quòd dictus hospes ab illusoribus suis, qui multas inanes ceremonias, sine reali beneficentia, ei exhibuerunt, multis contumeliis ac ludibriis fuerit affectus.

Argumentum sanè est, quod Christianos meritò nonnihil mouet, Omne id quod in diuturna cōsuetudine atque obseruatione veterū verorū Christianorū fuit, parui pēdendum, & temerè abrogandū non esse. Attamen nulli rei maior authoritas tribuenda est, quā iis quę sunt nobis à Deo in ipsius verbo præcepta, in primisq; & antè omnia respiciēdum est ad finem omnium Ecclesiasticorū rituum, quantumuis antiqui sint,

sint, nempe ad ædificationem fidei in Christum Dominum, atque ita de omnibus ceremoniis ac ritibus iudicandum, prout ad istam fidei ædificationem conferunt.

Iam verò candelas infantibus præferre: eos primum omnium extra templum excipere: in faciem eorum insufflare, signo crucis eos signare: salem adiurare, & adiuratum in os eorum imponere, diabolo seueriter præcipere, vt ab infantibus exeat: manus eis imponere: nasum & aures sputo linire, ac peculiaria ad id verba proferre: Sermonem ad pueros ipsos, perinde ac si quid dicatur intelligant, dirigere: oleo denique & Chrismate eos aliquoties inungere, quid omnes istæ ceremoniæ ac signa, quemadmodum & ea quoque, quæ ad Consecrationem aquæ baptismatis adhibentur, ad pietatem conferre, eámque promouere possunt, vbi ea non cum bono puro ac fideli intellectu seriáque & ardenti deuotione vsurpantur?

At verò manifestum est quod communiter his signis omnibus Aduersarij sine omni vero intellectu & fide, sicut etiam sine vlla pia ac Christiana deuotione, abutuntur. Quamobrem necessarium est, vt magis vel ad Iudaicam seruituтem, vel ad Ethnicam superstitionem, & grauem meriti Domini nostri Iesu Christi & Sacrosancti Baptismi offuscationem, faciant, quàm ad vllam ędificationem fideique propagationem: Cùm igitur hoc constet, & præterea omnia hæc signa ab humana ratione, sine mandato Domini & Apostolorum excogitata sint, atque in tam grauem & abominandum in conspectu Dei abusum prolapsa, sanè non minus piè mutantur, quàm Rex Ezechias æneum serpentem confregit, quod signum Dominus ipse fieri præceperat.

Et quando Aduersarij antiquum talium signorum vsum, & quod à vetustioribus quoque S. Patribus fuerit obseruatus, extollunt, dicendum illis est, Quare non potius antiquos veréque ædificantes ritus & ordinationes S. Patrũ vrgeant, quàm non necessaria & ad ędificationem nullam vim habentia signa. Nempe vt verbũ Dei & Sacrosancta Sacramenta iuxta institutionem Christi ad verè ædificantem intellectum dispensarẽt, Christianam disciplinam, imprimis autem Clericorum, diligentiùs obseruarent; quã facere solent: item vt ad verum & ędificantẽ vsum eorum signorum pro quibus pugnant, melius attenderent: nẽpe vt cum intellectu & Christiana deuotione illa populo proponerẽt, nõ autẽ adeo penitus Iudaicè & Ethnicè, hoc est, sine omni intellectu & Religione, cum graui infidelitate, falsáque fiducia exercerent & vsurparent. Tantummodo enim à fideli talium signorum vsu tota res pendet, sine quo necesse est, vt ea omnia pernicioſam adferant fidei in Christum oblęsionem, sintque propterea abominabilia & detestanda coram oculis Domini. Verum de inani putamine, mutis videlicet signis ac ceremoniis Aduersarij decertant, nucleum autẽ verę emendationis negligunt.

Nos autem ordinauimus, quod & verbum Dei & S. Patres imprimis requirunt, nempe quod ad pietatem efficaciter prodest, ac necessariò requiritur. De signis istis, quæ per se libera sunt & non præceptæ obseruationes, quæque hoc tempore si cumulentur, magis ad

obscurationem meriti Christi, & impedimentum fidei in ipsum faciũt, tam multa ordinauimus vsurpanda, atque sperari à nobis poterat, hoc tempore ad prouectum pietatis conductura. In eo antiquum ac bonum vsum S. Patrum, quem Aduersarij in omnibus essentialibus & verè vtilibus articulis omnino peruertunt, rectè ac benè obseruauimus, quemadmodum S. Patres obseruare nos docuerunt, ipsique sine dubio obseruaturi essent, si distorto hoc seculo Ecclesiis præesse deberent. Propter hanc piam talium signorum moderationem nemo nos meritò reprehendere potest. Adhæc nulli Eccl-się aut Episcopo hac in re subiecti & obnoxij sumus. Vniuersum enim Episcopale munus nobis demandatum est, quod ad ædificationem gregis Christi fidei ac curæ nostrę commendati, liberè obire ac administrare debemus.

Iam qui omnia ea quæ in defensione huius articuli hactenus adducta sunt, piè cognoscere & ponderare volet, is facilè videbit, temerariam & impudentem calumniam esse contra Archiepiscopum & Patrem eorum, qua scribunt Christianas Apostolicas & Catholicas Baptizandi formas ordinationes & consuetudines in vniuersum ferè per Librum Reformationis abrogari, nouum verò quoddam & inauditum commentum in eorum locum induci: cùm in ea forma baptizandi, quæ in libro præscripta, ne minimum quiddam abrogetur eorum quæ à Christianis semper & vbique fuerunt obseruata. Sat constat, quomodo Apostoli baptizarint. Ad hęc nihil quicquam in hac forma introductum est, quod non antiquum sit, & ex verbo Dei, ac veteri consuetudine verę ac Christianæ ordinationis Baptismi desumptum.

Adhuc magis temeraria calumnia est, quod Aduersarij scribunt, Librum non apud vnam formam permanere, sed multiiugas formas instituere, permittere quoque potestatem vnicuilibet Pastori, pro arbitrio suo formas illas prolongandi & abbreuiandi, Baptismus interdum ministrandus est, cùm tota Ecclesia simul est collecta; interdum aliis temporibus, quibus non tota Ecclesia est congregata, interdum cùm necessitas vrget in priuatis ædibus. Iam verò prout singulis temporibus præsentiam ędificatio requirit, & necessitas infantis tolerare potest, explicatio ac solennitas Baptismi vel prolongetur, vel decurtetur, nunquid hæc est illicita mutatio formę Baptizandi? Hic videatur, quid homines isti de vera Sacramentorum dispensatione curent. Quando hæc actio tantummodo peculiaribus quibusdam & ad eam rem deputatis & conceptis verbis ac signis, instar magicarum actionum peragitur, siue verba ac signa ab hominibus intelligantur, siue non: siue meliores inde, siue deteriores fiant: præclarè rem omnem transactam esse putant. Quicquid enim in eum finem ordinatum est ac tendit, vt populus hæc mysteria rectè intelligat, & in fide Christi efficaciter ędificetur, id à calumniis & suggillationibus eorum tutum ac liberum esse sequit.

Hacte-

Hactenus de forma baptizandi.

Quædam accusationes pertinentes ad doctrinam de Baptismo.
Quicquid ex carnali generatione prouenit peccatum est.
Quomodo peccata parentum imputentur filiis.
Quàm grande peccatum sit, apud S. Baptisma indignè apparere.
De peccato originali in infantibus.

CAP. LXIII.

PRAETER hæc omnia calumniantur etiam aliquos articulos Christianæ doctrinæ. Ac primum id quod in libro Reformationis scriptum est, in forma Catechismi apud Baptismum, Paruulos nempe venenatos esse & maculatos sicut & nos, inauditum dogma esse scribunt.

Responsio.

HOc loco pro solita improbitate sua hæc verba omittunt: (In sua natura) In hoc enim tantummodo æqualitas commaculationis & impuritatis, quam paruuli cum adultis habent, consistit. Libri enim sententia penitus non est, quòd infantes qui adhuc nihil fecerunt mali, perinde atque nos adulti, qui, proh dolor, multis etiam actualibus peccatis contaminati sumus, venenati sint & commaculati. De natura hoc loco dicitur, quæ certè in paruulis recens natis eodem modo infecta & contaminata est, quo in adultis: imò longè vehementius in his qui nondum regenerati sunt quàm in adultis renatis, in quibus Spiritus Christi eiusmodi venenum & impuritatem aliqua ex parte abstulit & debilitauit.

Secundò calumniantur etiam hoc dogma libri Reformationis, nempe quòd omnia facta nostra ac vita tota, quæ ex naturali natiuitate deriuatur, sit damnata, maledicta, mera mors, peccatum & æterna damnatione digna. Hoc durum esse dicunt censere de multis præclaris & per virtutem egregiè gestis operibus gentilium, nec quadrare cum dicto Pauli, Rom. 1. eò denique tendere, ac si peccato Adæ imago & similitudo Dei ad quam creatus est homo, prorsus & penitus sit extincta, Quod sacræ Scripturæ, & Patribus omnibus sit contrarium.

Responsio.

ECce quales isti doctores sint, qui non dubitant scribere, quòd hoc censere durum sit, cùm tamen sit ex præcipuis capitibus Christianę fidei nostrę, quicquid ex fide non est, id esse peccatum & maledictum, Rom. 14. Quantumuis igitur pręclara facinora Gentiles ediderint, vel potius Deus in ipsis & per ipsos, ea tamen, quatenus ex naturali ipsorũ natiuitate deriuata sunt, quæ deprauata est, & semper Deo repugnat, Rom. 8. non ad gloriã Dei, ex vera fide profecta sunt, atque idcirco pec-

cata fuerunt in conspectu Domini, & maledicta. Id quod D. Augustinus passim tam diligenter probat claris & inuictis testimoniis scripturæ, ex quibus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 25. concludit omnium infidelium virtutes vitia potius esse quàm virtutes. *Etiam ipse (inquit) talium virtutes vitia sunt potius quàm virtutes. Quamobrem? Quia in Deum non diriguntur: tales enim Deum non cognoscunt, nec venerantur, quemadmodum à nobis agnosci ac coli vult.*

Hoc non tantum benè quadrat cum dicto Pauli, Rom. 1. verum etiam ex eo concluditur. Ibi enim scribit palàm fieri iram Dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia detinent: propterea quod id quod de Deo cognosci potest, manifestum est, & à Deo patefactum: ipsi verò cùm Deum cognouissent, eum tamen non vt Deum glorificarunt, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas. Post hæc recensет Apostolus omnes venenatos fructus innatę impietatis, qui partim apud gentiles, partim apud Iudæos eruperunt. Vnde concludit, *vniuersum mundum Deo obnoxium esse, & sub peccato: quódque omnes peccarint, & sint destituti gloria Dei posséntque per solum Christum, qui impium & peccatorem iustificat, ad iustitiam peruenire*, Rom. 3. Ex quo loco D. Augustinus benè colligit, *Cũ Deus sit, qui peccatores iustificat, & Christus Dominus nos omnes, cùm adhuc essemus inimici Dei, cum Deo reconciliarit, omnes igitur qui nondum per Christum iustificati sunt, perpetuò impios ac hostes Dei manere.*

Ex hoc verò non sequitur, Imaginem Dei in hominibus prorsus ac penitus esse extinctam: siquidem imaginem Dei in homine in eo collocare velimus, quod aliquam cognitionem ac voluntatem boni habeat, quemadmodum nonnulli Patrum & scholastici doctores faciunt.

Nam infideles quoque aliquem adhuc intellectum, voluntatem, ac memoriam boni habent, quæ etiam Dominus in ipsis in tantum ad id quod bonum est dirigit, vt propria conscientia eos accuset, quandocúnque bonum illud non exequuntur: etiamsi sine spiritu regenerante verum bonum non rectè cognoscere aut suscipere possint.

Si verò imaginem Dei in homine ponamus in cognitione & voluntate veri boni, quemadmodum S. scriptura, & antiquiores Patres de ea loqui solent, certissimum est eam in homine penitus esse extinctam, ac necesse esse, vt tota per Christum Dominum restauretur. Vnde est quod renouatio nostri ad imaginem Dei Regeneratio dicitur, sine qua nemo hominum quicquam boni rectè intelligere aut velle potest.

Hic non est qui intelligat, non qui exquirat Deum: omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est vsque ad vnum, Psal. 14. Verum de hoc copiosiùs in articulo de Peccato originali suprà disputatum est.

Tertiò calumniantur Aduersarij, in precatione quadam posita in libro Reformationis orari, non hoc tantum, ne Dominus imputet parvulo aut baptizato peccatum & iniustitiam Adæ, verumetiam ne parẽtum suorum totiúsque populi peccata ei imputentur. Quam precationem inauditam & à Catholica fide alienam esse scribunt.

Si

Responsio.

SI hæc precatio Catholica non est, quare igitur Daniel hunc in modum confessus est? *Ob peccata nostra, & ob iniquitatem Patrum nostrorum Hierusalem, & tuus populus ludibrio sunt omnibus vicinis nobis regionibus.* Daniel. 9. Et quare Dominus ipse minatus est; se vindicaturum iniquitatem Patrum, qui ipsum odio prosequuntur in filiis, in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Ex quibus dictis etiam D. Augustinus, qui tamen verè Catholicus doctor est, agnoscit hanc opinionem à Catholica fide non alienam. Cui neque illud repugnat, quod Dominus per Ezechielem loquitur, cap. 18. nempe quod filius non sit portaturus iniquitatem Patris. Ibi enim loquitur de iusto filio, & huic iniquitas iniusti Patris nihil nocebit, quemadmodum è contra filio iniusto iusti Patris iustitia non proderit. Infantes autem nondum renati, nec dum iustificati sunt, atque idcirco participes iniquitatis ac pœnarum suorum parentum, iuxta ipsius Domini comminationem. Quamobrem filij Israël, qui Patrum suorum impietatem fuerant imitati, & ipsi quoque iniusti atque impij euaserant, rectè per Hieremiam orant, *Patres nostri peccauerunt, & nos baiulamus iniquitates eorum.* Thren. 5. Forma igitur orandi pro paruulis nondum regeneratis, ne Deus illis imputet parentum suorum & totius populi peccata, à Scriptura non dissonat. Orationes igitur quæ in S. Scriptura habentur etiam coram Deo confitentur peccata regum suorum, Sacerdotum & totius populi, veniámque & remissionem eorum petunt.

Quartò reprehendunt etiam id quòd Liber affirmat, illos qui indignè adstiterint, vbi confertur Baptismus peccare æquè atque ij qui corpus & sanguinem Domini indignè tractant & sumunt. Quam comparationem dicunt nusquam reperiri in S. Scripturis. Perinde ac si nihil apud illos valeat, nisi quod in S. Literis expressè docetur. Sat sciunt, quod quicquid ex S. Scriptura consequitur, id apud nos quoque valere debeat.

Responsio.

SI Scriptura docet, Baptismum esse incorporationem in Christum, sepelitionem in mortem Christi, induitionem Christi: item quod Deus Pater, Filius, & Spiritus S. vnicus & æternus Deus sit, qui infantem baptizet. Iam qui indignè apud Sanctissimam hanc veréque diuinam actionem apparet, vtrum ille non perinde seipsum reum faciat mortis ac passionis Christi, læsæque maiestatis diuinæ, atque is qui corpus & sanguinem Domini sumit & tractat indignè, iudicium esto penes Christianos, qui Scripturæ credunt, & considerant quid Dominus Esa. 1. & 29. & Dominus, Matth. 15. & Psal. 50. de indigna apparitione & præsentia apud diuinorum verborum & Sacramentorum tractationem testantur.

Accusatio de conditione apud Baptismum in necessitate.

Cap. LXIV.

VLTERIVS reprehendunt Aduersarij, quod in Libro Reformationis nouus eorum abusus reiicitur, in Conditionali illa locutione, quam vsurpant apud Baptismum paruulorum, qui in necessitate baptisati sunt, cùm dicunt, Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.

Responsio.

QVî fit, vt hoc loco non etiam antiquos Patres & Concilia citent? Sed quicquid semel in abusum apud eos peruenit, quamuis ineptũ & absurdum sit, id propugnant, atque omnino defendere conantur: Deo autem gloriam dare nolunt, vt vel vnum aliquem errorem fateretur. Cæterum fideles probè nouerunt, Christum Dominum non iussisse, simpliciter agere, & baptizare eos de quibus constat, quod baptizati non sint: non autem mandasse, vt propter dubitationem nostram verba eius dubiè & ambiguè proponamus. Ad eundem quoque modum antiqua Concilia & S. Patres ordinarunt, atque obseruarunt, vt testatur Canon. 39. Concilij Aphricani, quem etiam Gratianus. Dist. 4. de Consec. introduxit. In quo Canone præcipitur, vt infantes sine omni dubitatione baptizentur, quoties de eorum baptismo non inueniuntur certissimi testes. Idem iubet & Leo Pontifex 1. Epistola 35. & 90. Vbi igitur certi testes non sunt, quare homines non directè neque minimè dubiis verbis baptizarentur? Vbi verò tales habentur, quare repeteretur Baptismus?

Can. placuit.

Vltima Pars.

Qua lingua debeat Ministrari Baptismus.

Cap. LXV.

POSTREMÒ accusant Librum, propterea quod ordinauit, vt vernacula lingua vsurpetur, item vt Baptismus diebus dominicis cum tota Ecclesia est congregata, ministretur. Dicunt ista vniuersaliter, aut saltem cum præscientia præpositorum instituenda & ordinanda fuisse.

Responsio.

ADeò nihil valet apud homines istos principatus Christi & Spiritus S. qui tam seriò mandauit, vt omnia in Ecclesia sua intelligibiliter, summaque cũ grauitate & Religione peragantur, quò præsentes omnes in fide Christi ædificari queant, vt hoc mandatum Dei velint hominibus remitti, donec id vel omnibus, vel saltem huic magistratui placeat,

placeat, cui adeò displicet, quicquid Christo Domino arridet.

Is autem cuilibet Episcopo mandauit, docere suos obseruare quęcunque ipse pręcepit. Nemo autem est Episcopus Episcoporum, nisi solus Christus Dominus, quemadmodum D. Cyprianus testatur. Neque etiam Concilia, quæ de similitudine & conformitate externorum rituum decernunt, vnquam plus postulârunt, quàm vt quilibet Metropolitanus in sua Prouincia eiusmodi conformitatem instituerent.

Vicesima secunda Accusatio.

De Confirmatione.

Caput LXVI.

PRæsens Accusatio Libri Reformationis est de Confirmatione. Ac rursus tota controuersia est de signis, non autem de re ipsa, & vera fidei ædificatione. Imprimis verò vehementer pugnant pro signo Chrismatis, de quo suprà dictum est.

Videat autem Christianus Lector quot contrarietates & absurditates adducant. Primum omnium citant testimonia, quę ex Chrismate sacramentum faciunt, non minus, quàm sit S. Baptismus. Quod si verum est, iam non tantum septem, sed octo sacramenta habent: cùm tamen iamdudum de septenario sacramentorum numero decertarint. Si verò ex Chrismate & confirmatione rem vnam faciunt, ac deinde contendunt, administrationem huius Sacramenti solis Episcopis competere, sequetur Sacerdotibus non licere Chrismate vti: id quod cum ipsorum consuetudine non concordat.

Longè verò absurdius est, quod ex Historia Ecclesiastica citant, de Nouato hæretico, nempe quod cum ea quæ Baptismum consequi soleant, non essent solenniter in eo adimpleta, nec esset signaculo Chrismatis consummatus, nunquam potuerit Spiritum sanctum promereri. Annon est hoc virtutem Baptismi exinanire? Quomodo est incorporatio in Christum, si Baptizati Spiritum sanctum impetrare non possunt, nisi prius Chrismate inungantur? Certè Doctores Scholastici Chrisma tantummodo sacramentale quid esse agnouerunt, quod per se necessariũ non sit, nõ autẽ sacramentũ. Sic etiã Confirmationẽ pro Sacramẽto nõ necessario. Adducũt etiam in principio huius Accusationis concionẽ quandam, Cypriani nomine inscriptam, quam probè sciunt non esse Cypriani. In ea enim commemoratur, quomodo in die Cœnæ Dominicæ, quando Chrisma consecrabatur, carceres pateant, & condemnati libertate donentur, id quod longè adhuc aberat temporibus Cypriani. Porrò quod ex vero Cypriano adducunt, Ecclesiam vnum habere duntaxat altare, id contra ipsos facit: Plurima enim habent altaria. Verum absurditatibus istis, quarum adhuc longè plures supersunt, prętermissis, hæc sit generalis responsio ad Accusationem istam.

Primo: Chrisma vetustum quidem est, sed ad Confirmationem non semper adhibitum, sola autem impositio manuum semper fuit vsurpata.

Secundò: Chrisma in se consideratum non est ad salutem necessarium. Quomodo autem piè & Christianè vsurpari possit, suprà in Articulo de Baptismo indicatum est. Quod D. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. scribit, Sacramentum Chrismatis in genere visibilium sacramentorum sacrosanctum esse, sicut ipse Baptismus est, id sine dubio de sancto huius signi vsu intellexit, non de institutione ac virtute, quod non dubiè Aduersarij ipsi fatentur. Alioquin enim octo Sacramenta eos profiteri necesse est.

Tertiò, Etiamsi Episcopi Impositionem manuum & Confirmationem sibi solis vendicarunt, hoc tamen nunquam ordinatum fuit, vt esset necessaria lex, sed ad honorem muneris Episcopalis, id quod D. Hieronymus testatur aduersus Luciferianos. Adhæc cùm Aduersarij tanto tẽpore permiserint, vt Episcopi Confirmationem per alios, qui Episcopi non sunt, administrarent, non est, quod de eo tantoperè conquerantur, quòd nos istud officium ac ministerium idoneis Pastoribus & visitatoribus commendauimus, quando scil. Suffraganeus eo fungi non potest. Quod enim aliquis titulum Episcopatus Cyrenensis, vel Bethleemitani pecunia redimit, ac deinde Episcopalem Ordinationem manifesta falsitate verborum, quæ in ea recitantur, suscipit, id nondum verum Episcopum facit: non magis quàm maritum efficit, si cui solum nomen tribuitur, ac matrimonialis benedictio: sponsam verò non habeat, cui coniugalem fidem & obseruantiam præstet. Ad verum Episcopum requiritur, vt etiam Ecclesiam ac populum suum habeat, in eóque quicquid est Episcopalium munerum administret. Canones quoque non minus præceperũt, vt quilibet Episcopus Confirmationẽ & Ordinationẽ apud suos propria persona exequatur, vt quod presbyteris facere non liceat. Quãuis etiã istæ Cõstitutiones, quas Auersarij ipsi citãt, presbyteris potestatẽ faciunt, in necessitate Cõfirmãdi, & id meritò quidẽ. Presbyter. n. & Episcopus vnũ sunt, vna Ordinatio, & vna eadémq; dignitas, quẽadmodum D. Hieronymus, & alij S. Patres testantur. Nomẽnq; Episcopi, & præcellentia dignitatis ac potestatis vni ex presbyteris ob id solummodo tributa est, vt omnia in Ecclesia concinniori ordine maiorique consensu peragerentur. Sed videatur Articulus ipse in Libro Reformationis, ac deinde respiciatur ad verbum, & veram populi Christi ædificationem, suáque sponte consensus in hoc negotio sese efferet.

Quartò, Quantum ad formam & Ordinationem Confirmationis propositam in libro pertinet, quam Aduersarij ita penitus abiiciunt, conferatur ea cum doctrina S. scripturæ, ac videatur, vtrum aliquid in ea insit, quod non sit ex verbo Dei depromptum. Cùm è contra Aduersariorum non intellecta, planéque histrionica actio, quam sub Confirmationis nomine exercent, partim S. scripturę, partim veteris Ecclesiæ consuetudini & obseruationi repugnet.

Hæc

Hæc verò grauissima Calumnia est, quòd ex interrogatione in Libro Reformationis posita, qua ad puerum dicitur, Placétne tibi, & vis persistere in eo, quod Patrini tui apud Sanctum Baptisma pro te abrenunciarunt Diabolo & mundo? inferunt, Librum Reformationis semel Baptizatis liberam facere optionem, vtrum velint in eo quod in Baptismo ipsorum nomine Patrini professi sunt, permanere. Id quod nec interrogatio in se, nec forma verborum importat, sed potius contrarium. Hæc enim verba. Placet igitur tibi, talem quæstionem efficiunt, in qua significatur, non aliter quàm affirmatiuè ad eam respondendum esse. Iam verò debent sanè pueri fidem suam etiam propria persona profiteri: adhæc siue libera eis detur optio, siue non, certè in Baptismo suo non permanebunt, nisi Deus gratiam eis impertiat, cuius virtute id ipsum etiam velint.

Iosua dicebat ad populum Israëliticum, Ios. vlt. postquàm populus circumcisus fuerat, *Quod si vobis displicuerit seruire Domino, eligite vobis hodie cui seruiatis.* Sic Helias: *Quousque claudicatis vos in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, sin Baal, ite post eum.* 1. Reg. 18. His dictis noluerũt hi sancti viri liberã optionẽ dare populo, vel sequẽdi Dominũ, vel eo desertũ, post deos alienos abeũdi: sed propriã ac spontaneã eius professionem requisiuerũt, Domino seruiendi & adhærendi. Iã verò Liber Reformationis interrogationem istam, de qua Aduersarij pugnant, non adeò liberam posuit, sicut Iosua & Helias. Non enim habetur in ea, Placétne tibi manere in Baptismo tuo, aut non? Sed Ergo tibi placet. Quare nulla hoc loco iusta Aduersariis causa calumniandi fuit. Adhæc multum abest vt ista interrogandi forma occãsionem præbeat rebaptizationi amplectendæ: imò magis continebit homines in Ecclesiis Christi: quorum plerique hanc solam ob causam ab Anabaptistis seducti sunt, quod hi sacram scripturam illis obiecerunt, postulantem, vt quilibet per semetipsum fidem suam profiteatur, fœdus Domini suscipiat, eique se staturum polliceatur.

Quod hactenus à pueris in Confirmatione factum non est, & apud Baptismum eorum fieri non potest. Atque hinc Anabaptistæ rudes ac simplices homines, quoad Baptismum paruulorum, tantò facilius in errorem perduxerunt.

Quare cùm constet, hanc Interrogandi formam cum S. scripturis consentire, & iuxta verbum Dei positam esse, nemo eam, quasi non satis circumspectè ac considerate positum, reprehendere potest. Adhęc nouit Dominus, quod bono pióque consilio ordinata sit, nempe vt pueri eò facilius ac melius possent in communione & disciplina Ecclesiæ contineri, & in fide Christi ædificari.

Vicesima tertia Accusatio.

De S. Cœna Domini.
De Transsubstantiatione.
De Reformatione Sacramentorum.

Cap. LXVI.

HÆc accusatio instituta est de S Cœna, sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Continetur autem octo capitibus.

Quorum primum est, de Transsubstantiatione, hoc est, transmutatione seu conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. In quo Aduersarij librum Reformationis accusant, ponentem, Nos communicationem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino percipere. Et dicunt librum velle, quod in hoc Sacramento generum diuersorum res duę nobis: Vna, Panis & vinum: altera, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu. In contrariam partem conantur ipsi probare, & testimoniis Scripturæ, & authoritate Patrum, quod in S. Cœna post Consecrationem factam non amplius sit panis & vinum, sicut ante consecrationem fuit.

Defensio libri Reformationis ex verbo Dei.

VEris Christianis indubitatum est, Omnibus in rebus verbo Dei quàm simplicissimè credendum esse, iuxta illud & loquendum, & agendum. Iam testatur verbum Dei Domini discipulis suis benedictum ac fractum panem dedisse, sic etiam calicem, ac dixisse, *Hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus.* Ex quibus verbis Spiritus sanctus per Paulum inquit 1. Cor. 11. *ita quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini.* Ad eundem modum loquitur, 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est.* Quo in loco rursus expresse Panis nominatur tanquam signum: & communicatio corporis Christi, tanquam id quod hoc signo traditur ac percipitur. Eandem loquendi consuetudinem imitatur liber Reformationis, in eo quod fatetur: & communicatio corporis Christi, tanquam id quod signo traditur ac percipitur. Eandem loquendi consuetudinem imitatur liber Reformationis, in eo quod fatetur, duas res in S. Cœna dari & accipi, Visibilem nempe, panem & vinum: & inuisibilem, Corpus & sanguinem Domini. Rectè igitur & cum Scriptura consentaneè loquitur liber.

Solutio obiectionis deducta ex S. literis.

COntra hanc doctrinam nihil aliud adducunt Aduersarij ex S. literis, quàm hæc verba Domini, *Hoc est corpus meum, &c.* & aiunt, Dominum non dixisse, *Hic est panis, & vinum*, aut, Cum istis vel sub istis est corpus & sanguis meus, sed, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*

Responsio.

Responsio.

NEque etiam dixit Dominus, Hæ sunt species corporis & sanguinis mei, & sub istis speciebus latet Corpus & sanguis meus, vt Aduersarij loquuntur, qui & ipsi diuersorum generum res duas ponunt, Vnam, species panis & vini, alteram corpus & sanguinem suum, sub, vel cum pane & vino tradere, quam sub vel cum accidentibus panis & vini. Ad hæc cùm nullum miraculum sine verbo Dei ponendum sit, vt omnes à Deo docti confitentur, & spiritus S. per Paulum, non accidentia panis & vini, sed panem & vinum dicat, meritò etiam Christiani hoc modo credunt & loquuntur: nullúmque ibi miraculum conuersionis substantię panis & vini in corpus & sanguinem Domini statuunt.

Verba Domini verba sunt traditionis & exhibitionis rerum inuisibilium per visibilia signa. Eiusmodi locutiones hanc habent naturam, vt à signis quidem incipiant, sed ad id quod cum signis traditur, penitus dirigantur. Sic cùm Dominus signo insufflationis discipulis suis spiritum S. daret, verba eius à signo quidem incipiunt, cęterum ad inuisibile donum Spiritus sancti omnia referuntur. Accipite, inquit, non, hunc afflatum meum, & sub eo vel cum eo Spiritum sanctum, sed dicit, Accipite Spiritum sanctum, cuicunque remiseritis peccata, remissa erunt, &c. Et tamen nemo Christianorum negat, Dominum hoc quoque loco duas res discipulis suis tradidisse: Vnam, signum halitus seu afflatus sui, alteram Spiritum sanctum, cum vel sub signo halitus.

Locus iste videtur in lib. depraua-tus.

Ad hac ex iisdem verbis Cœnæ certissimè concluditur, quod in eiusmodi locutionibus Domini, quibus per visibilia signa diuina dona tradit, necesse sit, non eam esse sententiam, quasi signum insignatum transmutetur. Dominus enim dicit, Calix est sanguis meus, id quod nemo ita intelligit, quasi calix in sanguinem Christi conuertatur. Sic cùm dicit in Luca & Paulo, Hoc poculum nouum Testamentum est, nemo est, qui calicem pro ipso nouo Testamento accipiat: sed omnes veri fideles intelligunt, Dominum vnà cum calice & potu qui in calice erat, sanguinem suum dare voluisse, ad confirmationem noui Testamenti, & non dicere Calicem vel vinum in calice, vel etiam sanguinem suum esse essentialiter ipsum nouum Testamentum.

Cùm igitur ex his verbis Domini constet, Eiusmodi verba (hoc est) in talibus locutionibus, in quibus Dominus vnà cum visibilibus signis inuisibilia dona prębet: non hoc significare, quod propterea signa in res signatas essentialiter conuerti oporteat. Cúmque spiritus S. per Paulum etiam post consecrationem panem & vinum dicat, tanquam signa: corpus verò & sanguinem Domini, vt dona, quæ cum visibilibus signis exhibentur, certè à modo loquendi S. scripturę non est alienum dicere, Sub, vel Cum pane & vino corpus & sanguinem Christi dari: ab eodem verò abhorrere, si dicatur, Sub vel Cum accidentibus panis & vini. Vbi enim spiritus S. dicit Panem & vinum nostrum non est ponere, Accidentia panis & vini.

Quæ fuerit sententia veteris Ecclesiæ super hac re.

ADuersarij dicunt, Omnes Catholicos Patres verba Christi in Cœna ita intellexisse quod post Consecrationem non sit amplius panis & vinum, sicut ante Consecrationem erat.

Responsio.

QVod S. Patres isthæc Domini verba sic intellexerint, vt existimarent, post Consecrationem non amplius adesse panem & vinum, sicut ante eam, videlicet, non simplicem tantum ac merum panem & vinum, sine corpore & sanguine Domini, id certum est. S. Patres enim agnouerunt & docuerunt, quod post Consecrationem corpus quoque & sanguis Christi exhibeatur, non nuda tantum & inania signa. Quod verò propterea panis & vinum in sua natura non adsint, sed tantummodo accidentia panis & vini, id veteres Catholici Patres, neque docuerunt, imò ne cogitarunt quidem. Neque enim in hoc Sacramento essentialem, sed sacramentalem panis & vini mutationem agnouerunt: de qua Irenæus in his verbis, quæ ab Aduersariis mutila & decurtata adducta sunt, in hunc modum loquitur.

Quemadmodum panis terrenus, accepta vocatione à verbo Dei, non est amplius communis panis, sed efficitur Eucharistia, quę constat ex duabus rebus, nimirum terrena & cœlesti: ita & corpora nostra illam sumentia, non sunt amplius corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Hæc ille.

Sic Damascenus l. 4. c. 14. panis communionis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati.

Hæc sunt integra verba Irenæi. In quibus primò notandum est, quod dicit *vocationem non inuocationem*, sicut Aduersarij hanc vocem interpretati sunt. Secundò, quod dicit, Non est amplius communis panis, non autem, Non amplius est panis. Tertiò, quod non solum dicit, Efficitur Eucharistia, sed Efficitur Eucharistia ex duabus rebus, constans nimirum terrena & cœlesti: quam appendicem Aduersarij resciderunt. Iam cùm dicat Eucharistiam ex duabus rebus constare, nimirum terrena & cœlesti, quid aliud est terrena res, quàm illud ipsum quod Dominus & Apostoli dicunt esse panem & vinum. Res enim dicit, non accidentia rei sicut etiam cœlestis res hoc loco est verum corpus & verus sanguis Christi, non accidentia corporis & sanguinis Domini.

Postremò in iisdem verbis animaduertendum est, quod dicit, Nostra quoque corpora Eucharistiam sumentia, non amplius esse corruptibilia: id quod reuera nondum est, transmutatione naturę nostrę: sed vt Irenæus inquit, spe resurrectionis.

Quòd si quis cauillari velit, Accidentia esse res, & quando Irenæus inquit, non est amplius communis panis, intelligendum esse corpus Domini sub specie panis, ex eo tamen quod Papa Gelasius in libro contra Eutychen & Nestorium de duabus in Christo naturis, scripsit, adeò clarum & manifestum est, vt à nemine contradici queat, Antiquam Ecclesiam de essentiali transmutatione panis in hoc Sacramento nihil

penitus

penitus scripsisse. Sic enim scripsit.

Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propterea quod & per eadem diuinę efficiuntur consortes naturę, & tamen esse non desinit substantia vel creatura panis & vini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo euidenter ostenditur, hoc nobis in Christo Domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus & sumus, vt sicut in hanc, scilicet in diuinam transeant, sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen in sua proprietate naturę: sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam virtutémque veraciter repręsentant, ex quibus constat propriè permanentibus vnum Christum, quia integrum verúmque permanere demonstrant.

Hîc vides Christiane Lector, quomodo Papa iste veram & Catholicam doctrinam Christianarum Ecclesiarum de pane & vino in sacramento tradat. Substantia, inquit, & natura panis & vini esse non desinit. Et quamuis ibi panis & vinum per efficientiam virtutémque Spiritus sancti transeat in substantiam diuinam: permaneant tamen in sua proprietate naturæ. Sicut etiam in Christo Domino ambæ naturæ in substantia sua integra maneant, etiamsi vnus tantum Christus sit, in cuius persona ambę simul sint vnitæ. Hæc fuit Catholica doctrina & sententia de hoc sacramento temporibus huius Papæ, accepta ab initio ab Apostolis, & diligenter obseruata, qui Papa vixit anno 487.

Antiquus Doctor Tertullianus, in primo libro contra Marcionem, qui visibiles istas res ab vnico vero Deo negabat esse conditas, cùm per Sacramenta probare vult, has visibiles res esse vnici ac veri Dei creaturas, inter cætera scribit, Deum panem creaturam suam non abiecisse, quandoquidem illo corpus suum repręsentauit: non dicit species vel accidentia panis. Et lib. 4. contra eundem dicit: Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. Quibus verbis declarat quomodo veteres hęc verba intellexerint quibus dixerunt, Quod Dominus panem corpus suum, vinum verò, sanguinem suum fecerit: nempe ita, quòd panem & vinum fecerit figuras corporis & sanguinis sui, eas verò non inanes & vacuas, sed quibus reuera corpus & sanguinem suum præbeat.

Ad eundem modum scribit D. Cyprianus in lib. 2. Epistola 3. *In vino intelligi & ostendi sanguinem Domini.* Et August. lib. 4. cap. 10. de Trinitate inquit, *Panem esse figuram corporis Christi in Sacramento*, non dicit, Accidentia panis.

Hinc igitur perspicuum est, antiquas Ecclesias de Transsubstantiatione panis & vini in corporis & sanguinem Domini, ita vt non amplius sit panis & vinum, sed duntaxat eorum species & accidentia, nihil penitus sciuisse, quin potius contrariam sententiam habuisse, nempe quod panis & vinum maneant, in sua natura non mutata.

Solutio obiectionum ductarum ex Scriptis Patrum.

ADducunt Aduersarij quædam dicta Patrum, quæ de transmutatione panis & vini in substantiam Christi loquuntur. Ex quibus se concluſuros arbitrantur, quod S. Patres crediderint, substantiam panis & vini exinaniri vel conuerti in Corpus & Sanguinem Christi.

Responsio.

VErum non est, quemadmodum paulò antè ex Irenæo & Gelasio manifestè comprobatum est. Gelasius enim hæc ambo liberè ponit, nempe quòd panis & vinum transeat in substantiam corporis & sanguinis Christi, perficiente spiritu Sancto: & tamen nihilominus maneant in naturæ suæ proprietate; item quod substantia panis & vini esse non desinat.

At hoc quidem dicunt S. Patres, quod in S. Cœna post Consecrationem non amplius sit communis panis & vinum, sed Sacramenta, per quæ nobis verum corpus, & verus sanguis Christi præbeatur, in cibum & potum ad vitam æternam. Hoc verò & Liber quoque fatetur.

Porrò quod nõnulli ex S. Patribus scribunt, Panem & vinum mutari in hoc Sacramento, & mutari quidem in substantiam corporis & sanguinis Christi, neque huic contradicit Liber Reformationis, in eo sensu, in quo S. Patres hæc verba vsurparunt.

Quoniam enim hîc per institutionem, verbum ac virtutem Domini ea signa, quæ ante Consecrationem nihil aliud quàm panis & vinum sunt, ac tantummodo terrenum & corruptibilem cibum subministrãt, post Consecrationem sunt Sacramenta, per quæ iam cœlestem & incorruptibilem cibum percipimus, insignis certè atque admiranda mutatio ibi facta est in substantiam & essentiam Domini nostri Iesu Christi: quandoquidem iam cum istis signis corpus & sanguis eius substantia eius, imò ille ipse reuera nobis exhibetur. Hanc verò Transmutationem & conuersionem S. Patres solummodo Sacramentalem, non autem naturalem intellexerunt. Neque enim voluerunt substantiam panis & vini secundum naturam in substantiam corporis & sanguinis Christi conuerti, ita vt non amplius substantia panis & vini, sed sola accidentia maneant. Spiritualis hæc & Sacramentalis actio est, in qua mentem nostram à signis, ad id quod Deus cum signis nobis tradit, nempe ad Christum Dominum nostrum ipsum penitus dirigere & infigere debemus. Ad hoc volunt S. Patres suis scriptis & tam sublimibus locutionibus promouere, & in hunc finem tam grandi & sublimi genere dicendi vtuntur.

Quod autem verum sit, S. Patres his verbis Transmutandi & Conuertendi non de naturali Transmutatione & Conuersione panis & vini loqui, sed de spirituali & Sacramentali: nempe quod id quod ibi nobis Sacramentaliter, & tanquam verum donum Domini, ad quod omnis ista actio instituta est, perhibetur, non panis & vinum sit, sed substantia & essentia Christi, Christus Dominus ipse, id præter ea quæ paulò

ante

ex Gelasio adducta sunt, vel hinc quoque deprehendi potest. Quod S. Patres in iisdem illis locutionibus de hoc Sacramento, & cum de Trãsmutatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi loquuntur, eandem illam conuersionem probant ac declarant per conuersionem nostri ipsorum in substantiam Domini. Quemadmodum ex dicto Eusebij Emiseni, quod Aduersarij primo loco adduxerunt, videre manifestum est, qui inter cętera sic scribit.

Quanta itaque & quàm celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, quomodo tibi nouum & impossibile esse non debeat, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur: teipsum qui in Christo es regeneratus interroga: dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, & à salutis via intrinsecus mortuus exulabas: subitò initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis annouatus in Corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transiliisti. Hæc ille. *De Cõsec. Dist. 2. cap. Quia corpus.*

Cùm igitur mutatio nostri in corpus Christi Domini, quæ per regenerationem sit, debeat nos docere, quomodo panis in corpus Christi permutetur, sicut dictus Eusebius Emisenus testatur, certè sequitur necessariò Panem & vinum iuxta sententiam S. Patrum non ita mutari, vt non amplius sit substantia panis & vini, sed tantummodo accidentia: quandoquidem transpositio nostri in corpus Christi ad hunc modum sit, vt nihilominus natura, & substantia nostra maneat, non autem permutetur, vel exinaniatur.

Quod siquis dictum Chrysostomi vrgeat, quod Aduersarij adduxerunt, in quo Sacramentum istud assimilat ceræ quæ igni adhibita & admota, per ignem ita mutatur, vt de substantia eius nihil remaneat, monendus is erit, vt totum Chrysostomi dictum intueatur: ab Aduersariis enim mutilum adductum est. Id verò sic se habet: Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit ne sic cogites. Quemadmodum enim cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, Sic & hîc puta, mysteria consumi corporis substantia. Quare cùm acceditis, ne putetis vos ab homine accipere corpus Christi, sed à Seraphim qui astet, & cum forcipe tradat vobis carbonem ignitum, quem Esayas vidit. Putate salutarem sanguinem quasi ex diuino & impolluto latere profluere, & accipite cum labiis puris & immaculatis. *Hæc verba habẽtur in homilia Chrysostomi, quam habet de Eucharistia in Encenniis to. 5. pag. 468. In Homil. ad Antiochenos 60: talia habet to. 4. pag. 582.*

Hæc sunt verba Chrysostomi, quibus non obscurum est, hunc nostrum Patrem curasse modis omnibus, vt animos communicantium à crassioribus ac visibilibus signis, ad inuisibilia dona, à pane & vino, ad corpus & sanguinem Domini meditandum euocaret. Primùm dicit, Num vides panem? num vinum absit. Attamen panis & vinum videtur, quantum de illis in sensum oculorum incurrit, quod etiam Aduersarij fatentur. Verum Chrysostomus vult, *mentem nostram adeò in Christum intẽtam ac defixam esse, vt nihil amplius corporeum in oculis retineat.* Postea dicit, *Mysteria consumi substantia corporis, quemadmodum cera consumitur stri vulnera figimus linguam, &c.* *Sic Cyprianus de Cœna Domini: Nos cruci haremus: sanguinẽ fugimus & intra ipsa redẽptoris no-*

ab igne. Iã verò cera igni ita assimilatur, ita in eũ cõuertitur, vt ne species quidem ceræ amplius superſit, qua ratione Aduersarij ipſi non dicent, Sacramenta à ſubſtantia corporis conſumi. Poſtremò dicit, *Nos non debere putare, quòd corpus Christi ab homine accipiamus, ſanguinem ſaluificum ex diuino & impolluto latere profluentem.* Quibus verbis miniſtrum quoque ex oculis & mentibus noſtris remouere vult, quæ tamen omnia fidei opera ſunt, de ſubſtantia miniſtri, & ſymbolorum nihil vlterius mutantia, quam quòd hæc omnia ad fidei miniſterium trahunt. Idem Pater ſcribens in ſextum caput Ioannis hæc verba habet: Vt autem non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in carnem Ieſu Chriſti conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Cùm enim ſuum in nos amorem iudicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Similem ſententiam habet ſuper 26. caput Matth. Sic & Cyrillus loquitur in 15. caput Ioan. Item Hilarius lib. 8. de Trinitate, nempe, quòd per hoc Sacramentum Chriſtus corporaliter, carnaliter, & naturaliter in nobis habitet, & in vnum ſe nobiſcum redegerit. Theophilactus ſcribens ſuper Marcum, inquit, *corpus Chriſti in panem mutari.* Item, *quod Deus retineat ſpecies ſeu accidentia panis & vini: tranſelementet verò in virtutem carnis & ſanguinis.*

Iam cùm S. Patres in iiſdem locutionibus, quibus affirmant, panem in corpus Chriſti, & viciſſim corpus Chriſti in panem conuerti, etiam dicant, quòd nos qui hoc Sacramentum percipimus, per illud in Chriſtum mutemur, vnáque caro, & vnum corpus cum ipſo efficiamur. Item quod Corpus & ſanguis Chriſti, in panem & vinum: Et panis ac vinum in virtutem corporis & ſanguinis Chriſti transformentur, & tranſelemententur, quis adhuc dubitare poterit, S. Patres de nulla alia tranſmutatione panis & vini, in corpus & ſanguinem Chriſti: aut, corporis & ſanguinis Chriſti in naturam panis & vini loqui, quam, quod cum hoc pane & vino ſubſtantia, verum ſcilicet & eſſentiale corpus & ſanguinis Chriſti nobis communicetur. In quo verò natura & ſubſtantia panis & vini in ſe ipſa non magis commutatur aut exinanitur, quàm eſſentia & natura noſtra per hoc Sacramentum mutatur & deſtruitur.

Adhuc vnam ſententiam citant ex ſcripto quodam de S. Cœna Domini, quod D. Cypriano adſcribitur: quæ ſic ſe habet. *Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſeſe infudit eſſentia.* Hæc ille. Hoc loco conſideretur ſimilitudo humanæ & diuinæ naturæ in Chriſto, quam etiam Papa Gela-

Expende ſimilitudinem an ita in Chriſto humanitas appareat.

maneat ipſa natura humanitatis. Ibi in Cypriano: Solus filius patri conſubſtantialis eſt, ſolũ &c. noſtra verò & ipſius conjunctio *nec miſcet perſonas, nec vnit ſubſtantias ſed affectus conſociat & confederat voluntates.*

ſius

fius producit. Ambæ naturæ Christi ita sunt in vna persona vnitæ, vt vnus Christus vtrámque naturam integram & incorruptam habeat. Verùm cùm in terris versaretur, altera visibilis erat, altera inuisibilis. Sic etiam de Sacramento iudicandum est; Illud enim consimili modo vtramque rem habet, cœlestem, corpus & sanguinem Domini, & terrestrem, panem & vinum, in se vnitam, hanc quidem visibilem, illam verò inuisibilem: vtramque tamen verè, & vnamquámque in seipsa integram miniméque permutatam. Adhuc tamen aliquo modo dici potest, panem non modò quantum ad effigiem, sed etiam quantum ad naturam ipsam in corpus Christi commutari, propterea quod ipsum essentiale Christi corpus, & non solummodo effigiem ac figuram eius in pane percipimus. Interim tamen, quemadmodum Verbum caro factũ est, & vtraque natura, diuina & humana, quælibet per se integra & inuiolata permansit, ita & hic panis caro efficitur, qui tamen idcircò panis esse non desinit. Quoniam verò per panem verum & naturale corpus Christi nobis communicatur, & non effigies vel figura panis, ideò in hoc sermone dicitur, panem non effigie, sed natura mutatum esse. Et ad hunc modum S. Patres istam panis & vini in hoc Sacramento mutationem intellexerunt.

Quando igitur Aduersarij talia dicta Patrum obiiciunt, concedendum est veterem Ecclesiam credidisse, quod panis & vinũ in sacra Cœna in substantiam corporis & sanguinis Christi permutentur, verũ sacramentaliter tantum, non naturaliter, nempe hoc modo, quod in hoc sacramento iam non substantia panis & vini (quantum videlicet ad sacramentalẽ istam actionem pertinet) sed substantia corporis & sanguinis Christi præbeatur, cum signis tamen panis & vini: & quoniam hoc ipsum, quod in hoc sacramento ipsum Christum Dominum percipimus, natura & essentia huius sacramenti est, non autem quod cibus ac potus corporis nobis porrigitur, cuiusmodi est natura & substãtia panis, si in se consideretur, ideò dicunt antiqui Patres, quod symbola ista panis & vini, non tantum quo ad effigiem commutentur, hoc est, non tantummodo vt species ac figuræ ad representãdum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi proponantur: sed quod in natura sua transmutentur, hoc est, quod earum rerum, vt quæ sacramenta Christi iam sunt, alia, nempe Sacramentalis natura & substantia sit, videlicet ad naturam essentiámque Christi sacramentaliter nobis communicandam, quæ sacramentalis earum rerum natura non existebat prius.

Cyprianus in sermone de vnctione chrismatis non hac medendis corporibus est vnctio instituta, quia sanctificatis elemẽtis, iam non propria natura præbet.

Ad hęc omnia verò, quemadmodum permutatio nostri, quæ hîc fit, quam Patres consimili modo substantialem, & naturalem faciunt, quã conuersionem panis & vini, vt hactenus sæpe dictum est, ad hunc modum fit, vt nihilominus natura nostra esse non desinat, sed tantùm ad conuersionem ac vitam Christi erigatur & sanctificetur: & hoc iuxta sententiam Patrum consistit, quod natura & essentia panis & vini maneat, non autem deperdatur & esse desinat.

effectum, sed virtus diuina potentius operatur.

Concilium Lateranense sub Innocentio 3. Romæ celebratũ anno Domini 1215.

Quamobrem cùm verisimile sit Concilium Innocentij, nihil noui (id enim ei non licebat) sed illud tantum, quod & in sacris literis, & veterum Ecclesiarum fide continetur, tradere ac declarare voluisse, meritò debent & verba eius iuxta sententiam antiquorum exponi atque intelligi, atque idcircò cùm hoc Concilium dicat, corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini reuera existere, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, sine dubio verus istorum verborum intellectus hic erit, quod sub pane & vino, quę species sunt ac figuræ corporis & sanguinis Christi, verum corpus verúsque sanguis Christi sit & præbeatur: quódque inibi panis & vinum transsubstantientur, transelemententur, & essentialiter conuertantur in substantiam corporis & sanguinis Christi, nempe sacramentaliter: ita vt iam in istis sacramentis Christum Dominum ipsum in substantia eius verè percipiamus, non autem symbola & simulachra tantum, panem & vinum. Manet igitur figmentum de exinanitione, & transsubstantiatione panis & vini in hoc sacramento, & mirabilis accidentium conseruatio, inuentum scholasticum, quod neque Sacræ scripturæ, neque veteris Ecclesię testimoniis est communitum.

Iste Innocẽtius in lib. de officio missæ, superquæst. quale corpus Christus dederit in Cœna, mortale an immortale, passibile an impassibile: respondet: Ego diuina sacramenta magis veneranda quam discutienda profiteor simplicitate fidei, ratus sufficere quod tale dedit quale voluit, & rursus, quale dederit ipse nouit. In fine tamen ita concludit, potest tamen salua fide concedi, quod tale tunc dedit quale tunc habuit, mortale scil. & passibile, non quod posset pati sub sacramẽto. sed quod sub sacramẽto potuit dari. Nunc autem sumitur à nobis immortale & impassibile, nec tamen maiorem nunc habet efficaciam, sicut nec maiorem potestatem, &c. Quædam harum marginalium notarum à pontificio suppositæ sunt, proinde auctori non adscribendæ: qualis & hæc est.

Quod si quis datam vocabuli (transsubstantiatis) explicationem, quo Concilium Innocentij vtitur, iuxta intellectum antiquorum admittere nolit, sed velit ad figmentum scholasticum referre, huic respondendum est, Concilio non licere nouos articulos fidei condere, sed tantũmodo traditos iam declarare & confirmare.

De verbis Domini secundum Lucã, Serm. 29.

Augustinum quoque adducunt Aduersarij, quamuis perperam, sic enim sonant verba eius, ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur: vbi verba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus Domini appellatur. In quibus verbis non legitur id, quod Aduersarij posuerunt, *iam non amplius panis reputatur*: sed, *iam non panis dicitur, sed corpus Domini appellatur.* Et si enim ibi panis manet, quoniam autem verum donum, quod perhibetur, non panis sed corpus Christi est meritò Sacramentum, à præstantiori denominatur.

Hæc sententia in primitiuo exemplari antididagmatis vernacula lingua conscripti, perperam citata erat, ab interprete verò eius plenè est restituta.

Circa hęc verba Augustini nomine inscripta, rursus animaduertat Christianus lector, quod Aduersarij perpetuò solent, ex incertioribus scriptis testimonia proferre, verũ enim est, quod hęc citata verba legãtur in libro de verbis Domini secundum Euangelistã Lucã: inueniũtur tamen etiã in 4. cap. lib. 5. de Sacramẽtis, qui Ambrosio tribuitur. Vnde patet, vel librum vel potius vtrunque, falsò nominibus Ambrosij & Augustini

Augustini insigniri. Cæterum quicquid vllibi scriptum inueniunt quod abusibus ac nouis eorum abusibus patrocinari videtur, id tanquam Catholicæ Ecclesiæ testimonium producunt, siue per se credibile sit, siue incredibile. Ad extremum, vt Christianus Lector videat, etiam Papam ipsum & Concilium suũ figmentum Transsubstantiationis creditu non necessarium iudicasse, legat sessionem postremam Concilij Florentini habiti anno 1439. & inueniet Ecclesiam Græcam, Latinę fuisse coniunctam: cúmque consensissent de articulis quibusdam, voluisse Papam vlterius progredi, & illos adigere ad Transsubstantiationem tractandam & recipiendam, vt Latini sentiebant. Ibi reluctati Græci sunt, & ea de re agere noluerunt, neque perpelli vllis argumentis potuerunt, vt de ea consensus iniretur. Iam verò Christiana concordia & consensus cum nemine iniri potest, qui vel in vno aliquo necessario fidei articulo non idem sentit. Quamobrem cùm Papa & Concilium eius, Christianam concordiam cum Orientalibus Ecclesiis inierint articulo isto prætermisso, manifestum est, Papam & vniuersum Concilium Florentinum, Articulum de Transubstantiatione panis & vini, non necessarium iudicasse.

His omnibus satis comprobatum est, commentum de essentiali transmutatione Panis & vini in S. Cœna, ita vt Panis & vinum esse desinat, ex his dictis Antiquorum, quæ hoc loco Aduersarij adduxerunt, nullo modo concludi posse, sed potius contrarium. Temerè igitur & sine omni causa Librum Reformationis accusarunt.

Altera Pars.

De Conseruando Sacramento.

Cap. LXVII.

Hic reprehendunt Librum Reformationis præcipientem, vt Pastores quoties voluerint Cœnam Domini peragere, numerent populum, quem ad communicandum admiserunt, & pro numero eorum accipiant particulas. Quicquid verò fuerit residuum, statim ipsi sumant, nec quicquam eis reseruent, reponant, aut deferant aliquò, cùm hoc nõ sit verbo Dei conforme. Quodque liber ponat, Contrarium facientes, verbo Dei iudicari & perpetuò iudicari debere.

Ad hæc in malam & sinistram suspicionem protrahere conantur, id quod in Libro Reformationis tanquam causa allatum est, propter quã minister quicquid post communionem residuum est, sumere, & nihil ex eo reseruare debent, nimirum, ad auferendos & cauendos varios scrupulos, & inutiles quæstiones. Scribunt enim, Quod autem præcepti sui causam adferunt talem, nimirum ad auferendos varios scrupulos, &c. vnicuilibet in promptu est secum diiudicare quò spectet.

Defensio Libri ex S. Literis.

ADuersarij nihil ex verbo Dei contra Librum Reformationis proferunt: neque enim aliquid in S. Scriptura continetur, quod vel in speciem cum eo super hoc negotio pugnans adferri possit. Verba Domini clara sunt, *Accipite, comedite, Accipite, bibite.* Hoc si fecerimus, vtique Sacramentum continuò comedemus ac bibemus, non autem reseruabimus aut circumferemus.

Cùmque Dominus promiserit, vbi duo vel tres in suo nomine congregati fuerint, se fore in medio ipsorum, iusserítque consolari infirmos, certè non est indecorum, vt fideles apud infirmum conueniant, ibíque totam S. Cœnæ actionem expediant. Ad hæc præcipit Deus, omnia scandala euitare. Iam verò constat, quod ex reseruatione, inclusione, & circumportatione Sacramenti omnis generis errores & abusus oborti sint, de quo postea in articulo de veneratione Sacramenti dicetur. Quare cùm Dominus de reseruatione & inclusione huius Sacramenti nihil præceperit, quin potius eiusmodi quid mandarit, per quod talis custodia Sacramenti consistere non potest. Piè igitur & Christianè in Libro Reformationis est sublata.

De Obseruatione veteris Ecclesiæ.

HOc loco meminisse oportet, nullam Obseruationem posse esse Catholicam, nisi in Ecclesia Christi semper & vbique, & ab omnibus veris Ecclesiis fuerit obseruata. Talis verò non est custodia Sacramenti, multò minus Expositio & deportatio. Quamobrem tanquam Catholica Ecclesiæ ordinatio vel obseruatio agnosci, aut alicui obtrudi nequit.

Isychius qui discipulus fuit Nazianzeni narrat, quod suo tempore in Ecclesiis quicquid de Sacramento residuum factum fuisset, igni fuerit consumptum, ad imitationem eius, quod de Oblatione Sanctificationis Sacerdotum cap. 8. Leuit. scriptum est, nempe quod omne residuum de Sacramento comburi deberet. Videatur apud istum Doctorem lib. 2. in locum citatum. Simile quid scripsit & Origenes Homil. 5. cum inquit, Nam & Dominus panem, quem discipulis dabat, dicens eis, *Accipite & manducate*, non distulit, nec seruari iussit in crastinum. Item Burcardus in decreto suo vetustissimum canonem Clementis Papæ citat, qui inter cætera sic habet. Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore & tremore Clericorum, & diligentia consumantur. Legitur apud Ambrosium super tertium caput Epistolæ Pauli ad Timotheum. Suo tempore singulis diebus dominicis offerendum, hoc est S. Domini Cœnam administrandam fuisse, etiamsi non quotidie pro peregrinis, pro incolis tamen vel bis in heddomada.

De Consec. Distinct. 11. cap. Tribus gradibus.

Ex quibus

Ex quibus verbis colligi potest, Sacramentum temporibus Ambrosij in Ecclesia communiter reseruatum non fuisse. Si enim reseruatum fuisset, potuisset ex eo peregrinis & incolis ministrari, neque opus fuisset S. Cœnam celebrare.

Verum tamen est, quod quædam apud antiquos Ecclesiæ residuum de S. Cœna reseruarint, & peregrinis, infirmisque transmiserint. Verum longè alia ratione ac modo, quàm apud nos ante paucos annos reseruari consueuit.

Cyprianus in sermone de Lapsis meminit cuiusdam mulieris, quæ Sacramentum in arca conseruarit. Et Tertullianus lib. 2. ad vxorem, scribit, Christianos sua ætate sacramentum apud se reseruasse, & ante omnes reliquos cibos sumere consueuisse. Hieronymus quoque in Apologia pro libris aduersus Iouinianum commemorat, Hanc fuisse cõsuetudinem Romę, vt fideles quotidie corpus Christi acciperent, & post nuptialem concubitum in priuatis domibus, non in Ecclesia.

Vnde colligi potest, eos vel diebus istis, quibus Sacramentum in Ecclesia percipiebant, etiam partem aliquam eius accepisse, & ad sumendum in priuatis domibus reseruasse, quemadmodum fecit mulier illa, cuius Cyprianus meminit: vel id de mensa Domini per alios in priuatas domos sibi deportari curauisse.

Hoc etiam ex eo conjici potest, quod ipsi Aduersarij hoc loco adduxerunt, nempe ex ea consuetudine, qua Romani Episcopi olim solebãt peregrinis Catholicis Episcopis, qui Romam venissent, Eucharistiam solenniter transmittere.

Ex eo quoque quod de sacerdote quodam commemorant, qui cùm per corporis ægrotum & excommunicatum Serapionem accedere non posset, misit Eucharistiam per puerum ad domum infirmi, quò Ecclesiæ reconciliaretur. *Hist. Eccles. Eus. lib. 5. cap. 24. Apud eundem lib. 6. ca. 34.*

Item de Exuperio Tholozano Episcopo, quem commẽdat Hieronymus, propterea quod aurum & argentum, quod Ecclesia habuerat, pauperibus distribuisset, & corpus Domini canistro vimineo inclusum, & sanguinem in vitro portasset. Sicut ex eo quoque, quod D. Ambrosius narrat de Satyro fratre suo, qui in naufragio constitutus sacramentum in orario inuoluit, atque inde tantò confidentiùs seipsum in mare deiecit. *Dist. 2. de Cõsecratione ca. peruenit ex Concilio Rhemẽ si statuitur, ne Eucharistia tradatur laico vel fœminæ deferẽda deinceps.*

Hæc omnia probant Sacramentum in nonnullis Ecclesiis reseruari quidem solitum fuisse, verum longè alia ratione, quàm nunc reseruari solet, ad externam videlicet pompam & venerationem, cum auro, argento, candelis, contemplatione, corporali adoratione, ac similibus gestibus: sed asseruabatur ad sumendum, idque sine omni externa pompa, cultúque diuino, qui symbolo fuisset exhibitus. Laici enim imò etiam mulieres ac pueri sacramenta in manus accipiebant, in communibus vasis reseruabant, hominibus transmittebant, de collis denique suspendebant, quo modo Aduersarij sine dubio non concedent, sacramenta asseruanda esse. Tales igitur historię, nihil minùs quàm sacramenti reseruationem confirmant, quam Aduer-

sarij defendunt. Et quoniam negari non potest, in Reseruatione Sacramenti, ab Antiquis vsurpata, abusum reperiri, Christianum magis est, Sacramenta continuò secundum verbum Domini sumere, quemadmodum saniores ex veteribus facere consueuerunt, & verba Domini propriè requirunt, etiamsi nonnulli antiquorum, quantum ad hanc rem pertinet secum ipsis dispensarint.

Solutio Obiectionum ex Patribus.

ADuersarij duo argumenta ex decretis Conciliorum adferunt, Vnum est, Ecclesiæ vsum ostendi posse hanc sacramenti conseruationem ad annos plus mille trecentos obseruasse. Librum igitur peccare, quòd eiusmodi consuetudinem tollit.

Responsio.

NOn minus ostendi potest, quasdam Ecclesias Sacramentum non nodò non reseruasse, sed id facere prohibuisse videtur in primitiuo exemplari sic haberi: verumetiam celebrari penitus prohibuisse. In quarum numero est etiam Romana Ecclesia. Ergo Aduersarij malè faciunt reseruando sacramentum, præsertim, cùm istam consuetudinem aliæ quoque Ecclesiæ deinceps obseruarint, sitque per se verbo Dei magis consentanea, quàm altera. Verum hæc concludendi ratio nihil valet, Quædam antiquę Ecclesię aliquid fecerunt, Ergo, Et nos quoque idem facere debemus. Aduersarij sine dubio difficulter mulieri Sacramentum in manus daturi essent, vt id domum deferret, & in cistula reconderet, vel puero, vt id patri suo adferret, & communicaret. Quod tamen antiquæ fecerunt Ecclesiæ, id quod Aduersarij ipsi citant.

Imò neque ista adhuc bona consequentia est, Omnes antiquæ Ecclesię in genere id obseruarunt, Ergo, Nobis quoque obseruandum est. Hęc argumentandi ratio nemini minus tolerabilis foret, quàm Aduersariis. Fermè enim nihil omnino amplius eorum reuera obseruant, quę ab antiquis Ecclesiis communiter fuerunt obseruata, cùm in reliquis ordinationibus omnibus, tum maximè in hoc Sacramento, quemadmodum deinceps copiosè demonstrabitur. Hæc autem conclusio tantum valet, Veteres Ecclesiæ aliquid iuxta verbum Dei obseruarunt, éstque adhuc nostris temporibus vtile ad fidelium ædificationem. Quare & nos quoque illud obseruare debemus.

Veteres Ecclesiæ omnes ante M.CCC. annos communiter hunc ritum obseruarunt, vt eo tempore quod inter Pascha & Pentecosten intercedit, populus non flexis genibus, sed erectus stans oraret: quo gratiam resurrectionis aliquo modo præfigurare voluerunt. Quia verò nullum extat de eo mandatum in verbo Domini, eáque ceremonia non singularem ad ædificationem vim apud nos habet, nemo certè est, qui eam tanquam necessariam requirat. Consimili modo nemo præceptum illud Apostolorum vrgebit, de non manducando sanguine, aut suffocato: quod tamen Apostoli ex instinctu Spiritus S. & secundum Verbum Dei, quod de charitate loquitur, mandauerunt. Eiusmodi enim abstinentia iamdudum non amplius ad Christianam concordiam & ędificationem

cationem confert, quemadmoduum Apostolorum tempore facicbat.

Quando igitur ex veterum Ecclesiarum observationibus aliquid concluditur, nobis quoque observandum esse, probandum est, id non ab aliquibus tantum Ecclesiis, sed ad omnibus, & iuxta normam verbi Dei observatum fuisse, tanquam ad salutem hominum necessarium, vel saltē adeo vtile, vt in eundem finem apud nos quoque conducere queat. Iam verò reseruare Sacramentum, non modò non apud omnes Ecclesias, sed etiam præter verbum Dei in vsu fuit, vt iam antea commonstratum est. Adhæc quoniam nostro tempore in tam horrendum abusum, & superstitionem pertractum est, maximè etiam est scandalosum: iure igitur ac meritò abrogatum. Hactenus ad primam argumentationem.

Iam ad adulterum argumentum. Citant Aduersarij quendam Canonem Concilij cuiusdam VVormacienſis, ad cúmque ornandum alterum adducunt Concilij Lateranensis, celebrati sub Innocentio III. Item Papæ Honorij, qui decreuerūt vt presbyter Eucharistiam semper paratam habeat, vt quando quis infirmatus fuerit, statim communicet, ne sine communione moriatur, cui subiungunt Catholicam fidem non admittere, vt credatur, Deum Ecclesiæ suæ præpositos & Episcopos, qui toties in eius causa & nomine congregati, de hac re definierunt, tam fœdè & enormiter prolabi & errare fuisse.

Responsio.

QVod S. Patres etiam in Conciliis, & in nomine promissionéque Dei congregati errare possint, id in pluribus Conciliis repertum est: nec in particularibus tantum Conciliis, verumetiam vniuersalibus, vt in Arimínensi, & Ephesino secundo. In quibus multi quidem erant S. Patres, qui sine dubio in nomine Domini, & ad vtilitatem Ecclesiæ promouendam congregati erant, humana tamen imbecillitate superati, erroneis opinionibus astipulabantur. In magno concilio Chalcedonensi ex instinctu Episcopi Constantinopolitani per vniuersum Concilium decernebatur, vt ipse Episcopis Antiochiæ & Alexandriæ imperaret, quod Leo Papa tanquam impium recipere noluit. Quid multis opus est? Omnia antiqua Concilia ex verbo Dei decreuerunt, vt ministri Ecclesiæ cum consensu & probatione populi eligerentur, vt ij spiritualibus tantum rebus, non mundanis incumbant: sacramenta, & omnes actiones Ecclesię, in lingua populo intellecta administrent: vtque hoc sacrosanctum Sacramentum, de quo in prętentia sermo est, populo integrum distribuatur: denique id genus multa & ordinarunt, & ipsi obseruarunt, quæ ex authoritate verbi Dei ad ministerium Ecclesię requiruntur. Quibus omnibus Aduersarij contrarium faciunt. Quod si obseruatu necessarium est, quicquid Concilia & in doctrina & in ritibus Ecclesię decreuerunt & obseruarunt, quî fit vt ipsi adeo directè contrarium faciant, prętertim in eiusmodi rebus, in quibus antiqua Concilia nihil aliud quàm quod Deus ipse prętepit decreuerunt.

Vt in epistolis suis. 51. 52. 53.

Hoc verò indubitatum est, omnes homines errare posse, etiam in nomine Iesu Christi congregatos, quandiu in hac carne, quę infinitis er-

rorib. implicata est, versatur. Adhęc quãta ignoratia, quãta ministerij Ecclesiastici desolatio fuerit temporib. istorũ Conciliorũ, quæ Aduersarij hoc loco citant, neminem, qui eorum temporũ historias nouit, latet, Neminem igitur ligant talium Conciliorum decreta, ad prætermittendum id quod verbo Dei quammaximè cõsentaneum, & à priscis quoque Ecclesiis obseruatum & ordinatum est, cuiusmodi est sacrosanctum Sacramentum totum sumere, nihilque de eo reseruare: obseruandum verò, quod & S. scripturæ dissentaneum est, & nostro tempore ad nullam ædificationem vim habet.

Responsio ad duas calumnias contra librum Reformationis.

IN libro Reformationis positum est, æternum Dei verbum esse, quod nos saluos faciat, si ei fidem adhibeamus: damnet autem si ei diffidamus. Quare cùm clara sint Domini verba, accipite, comedite: accipite, bibite: nos ab iis quoquomodo discedere, aut quicquam circa hanc Sacramenti actionem innouare aut immutare nullomodo debere. Ex his verbis Aduersarij talem calumniam nectunt, scribentes, Librum ponere, quod contrarium facientes verbo Dei iudicentur & damnentur perpetuò. Perinde ac si Liber omnes Ecclesias & Christianos, qui aliquando Sacramentum reseruarunt, perpetuò condemnare vellet. Verum ita non est, nam liber non dicit (contrarium facientes) sed solummodo, quòd sacra scriptura expressè doceat, verbum Dei creditum saluos facere, non creditum condemnare, Rom. 1. Io. 12.

Verum quidem est, qui vel vnum Domini verbum non sequitur, is nec fidem habet ei. Porrò qui vel vni verbo Dei Saluatoris nostri non credit, is nulli rectè credit, quemadmodum debebat. Nihilominus tamen, qui principali verbo Dei sacrosancto Euangelio, de redemptione facta per D. nostrum Iesum Christum, verè credit, ex eóque Christum Dominum nostrum pro Seruatore suo agnoscit ac recipit, is per eundem Christum Dominum, assequitur remissionem incredulitatis suæ, qua, proh dolor, omnis nostra vita scatet, & ex qua reliqua omnia peccata oriuntur & existunt. Vbi enim plena fides verbi Dei est, ibi nulla transgressio, nullúmque peccatum locum habere potest.

Hoc modo Liber Reformationis non damnat veteres Ecclesias, & Christianos, qui sacramentum ex ignorantia, quódque verbum Christi non satis inspexerunt, & ob oculos posuerunt, reseruarunt. Operam verò dat vt homines à graui abusu qui hactenus inualuit, quíque admodum longè ab institutione Christi recessit, & neque ordinationes, neque exempla veterum pro se habet, auertat & abducat. Interim verum est, quod qui post sufficientem veritatis instructionem in eiusmodi errore & abusu obstinatè perseuerare vellet, is certè non haberet quod remissionem peccatorum speraret, hoc pacto enim fidem Christi penitus abiiceret.

Idem iudicium D. Cyprianus quoque tulit, de abusu Sacramenti, qui suo tempore apud nonnullos obortus erat, & aliquandiu etiam duraverat: qui in calice non vinum, sed aquam vsurpabant. Postremò suspicionem, quam

nem, quam Aduersarij contra Librum mouere conantur, quasi authores eius de hoc sacramento & potentia Christi, in Cœna non rectè sentiãt, Liber Reformationis ipse plenissimè diluit, in eo quod veram exhibitionem & perceptionẽ corporis & sanguinis Christi in S. Cœna in tam multis locis liberè & expresse fatetur atque docet.

Tertia pars.

Vbi Sacramentum Eucharistiæ debeat consecrari: & de communione infirmorum.

Cap. LXVIII.

TERTIA pars vigesimæ tertiæ Accusationis est, contra id quod in Libro Reformationis ordinatum est, de Communione ægrotantium & eorum, qui remotius ab Ecclesia habitant, Hic dicunt, Per Ordinationem istam, ordinarunt tempus, locum & modum S. Cœnam Domini administrandi transiliri. Tempus, Quod visitationes ęgrotantium omni tempore ante & post prandia, secundum infirmi commoditatem, fieri debeant, comederit licet pastor, aut ieiunet. Veterem verò esse ordinationem Ecclesiarum, vt hoc sacramentum non nisi ieiuni tractent, & percipiant. Locum, Illum enim esse tantummodo Altare Ecclesiæ aiunt. Libũ verò velle, vt sacramentũ pro infirmis in domibus eorũ cõficiatur: permittere quoq; qui remotius ab Ecclesia habitãt, vt Cœnã Dei cõuenienti tempore in propriis domibus & habitationibus seruent. Modum: Quod Eucharistia non sine solenni gratiarum actione celebrari debeat: sacerdos verò qui illud administrat, de eo simul quoque communicet. Librum verò Reformationis nihil amplius requirere, cùm sacramentum apud infirmos conficiendum est, quàm vt Pastor verba institutionis huius sacramenti vnà cum oratione dominica super panem & vinum pronunciet: sacerdoti verò non imponere legem simul communicandi. Ad exaggerandas autem & amplificandas accusationes istas, plurima Patrum & Conciliorum dicta producunt, nullum verò testimonium S. scripturæ, neque enim vel vnum aliquod habent.

Defensio libri sumpta ex verbo Dei.

DAt nobis Dominus corpus & sanguinem suum, vt magis ac magis in ipso viuamus, & ipse vicissim in nobis, Ioan. 6. Iubet nos quoque vt S. Cœnam in memoriam sui celebremus, quo in fide erga ipsum, omnique pietate confirmemur, ac de gratia noui Testamenti, & beata resurrectione certiores reddamur. Eiusmodi consolatio ac confirmatio fidei omnibus Christianis maximoperè prodest, afflictis verò & laborantibus summè necessaria.

Ex quo consequitur, hanc consolationem nemini Christiano, minimè verò omniũ infirmis & ægrotãtibus subtrahẽdã esse. Iã verò Cõsolatio ista fideiq; corroboratio maxima ex parte per verba Domini, per quæ

Sacramenta conficiuntur, hominibus communicatur. Quare conuenit, vt apud ægrotos integra Cœna Domini administretur, eísque salutifera verba Domini, *Accipite & comedite: accipite & bibite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*, summa cum religione proponantur, & vniuersa S. Cœnæ actio apud ipsos peragatur.

Etenim Dominus dixit, Sabbathum esse propter hominem: & adduxit quoque factum sacerdotis Abimelech, eúmque rectè fecisse pronunciauit, quando Dauidi, ac sociis eius panes propositionis dedit, cùm nulli alij in promptu essent, Marc. 2. In quo docuit Dominus, *Externas ceremonias & ordinationes ita debere Filius Dei inseruire, vt corporali quoque necessitati eorum cedant.* Quantò magis igitur spirituali? Hac de causa ab antiquo datur ægrotis sacramentum, etiam post sumptum cibum, quando necessitas exigit: quemadmodum Apostoli quoque in principio non ieiuni, sed vnà cum reliquo cibo id sumpserunt. Hinc factum est, vt nonnullæ Ecclesię tempore Augustini hanc consuetudinem obseruarent, vt in die Cœnę Dominicæ etiam post cœnam S. Cœnam Domini celebrarent & sumerent.

Nihilominus tamen, vbi necessitas fidelium non aliter exigit, ordo iste violandus non est, nempe vt S. Cœna Domini manè & à ieiunis celebretur, quo maiori cum religione ac deuotione mentis omnia peragantur. Cyprianus tamen non eandem quam Augustinus eius consuetudinis rationem assignat, qua S. Cœna manè, non vesperi, sicut fecit Dominus, celebrari debeat, Propterea quod totus populus vespertino tempore non ita facilè vt matutino cogi possit, quò sacramentum coram tota fraternitate administretur. Quin & hanc quoque, quòd in hoc Sacramento memoriam Resurrectionis Domini recolimus ac celebramus.

Quamobrem S. Cœna iuxta communem quidem cursum ac consuetudinem ante reliquos cibos administrari ac sumi debet: vbi verò necessitas infirmorum aliter postulat, debet ordinatio ista necessitati eorum cedere. Et quemadmodum minister non peccat, si in tali casu non ieiunus sacramentum ægroto ministrat, nec malè faciunt infirmi, qui illud non ieiuni percipiunt, sic etiam non peccat minister, qui cùm res ita tulerit, non ieiunus in vtilitatem ægroti sacramentum conficit, vel etiam simul communicat. Quamuis conuenientius est, homines diligenter adhortari, quemadmodum ordinat liber Reformationis, vt ministros Ecclesiæ ad ægrotos suos in tempore vocent. Hoc pacto enim ita rem componere poterunt, vt S. Cœnam cum ægrotis mane celebrent, quod vt commodè fieri possit, Ministri operam dare debent. At tamen si aliter eueniat, infirmi neque temporis, neque vllarum externarum ceremoniarum causa tanto solatio priuandi sunt. Hactenus de tempore & ieiunio.

Quantum ad locum attinet, consimilis ratio est. Vult quidem Dominus, quo augustius, & ad vniuersę Ecclesię suæ ædificationem vtilius, sacramentum administretur, vt fideles qui id præstare valent, in vna

Ecclesia

Ecclesia conueniant, sese mutuo expectent, ibique de eadem mensa & altari, *vnum panem, vnúmque calicem, & cum his communionem corporis & sanguinis sui omnes percipiant, quemadmodum ipsi omnes vnus panis & vnum corpus in Domino sunt.* 1. Cor. 10. & 11.

Nihilominus tamen actio ista, sicut non ad Ieiunium, ita nec ad locum alligata est. Nam & Apostoli ipsi, & post eos S. Martyres in priuatis ædibus panem fregerunt, Act. 2. Porrò sicut se res habet de Tempore & loco, sic etiam de modo & ratione S. Cœnæ. Apud eam semper debet solennis memoria Christi cum oratione celebrari, quemadmodum in libro Reformationis ordinatum est. Estque rursus manifesta calumnia, quòd Aduersarij dicunt, Librum velle, vt tantummodo verba institutionis, Accipite & comedite, &c. simul cum oratione Dominica apud infirmum pronuncientur. At videatur Liber, plures enim lectiones, exhortationes, gratiarum actiones & Orationes præscribit. Memoria verò Christi & precationes vel prolongari vel abbreuiari debent, prout astantibus quàmmaximè ad ædificationem conducere videbitur. Gregorius primus lib. 7. epist. 63. testatur, Apostolos solam orationem ad hanc actionem recitasse, qui tamen S. Cœnam optima ratione ac forma administrarunt.

Porrò quod minister, qui sacramentum conficit, simul quoque de eo communicare debeat, id bonum est, & nihil illi contrarium in libro Reformationis ordinatum. Ex hoc omnibus constat, Librum Reformationis de Communione apud infirmos, vel generosos, aliósque qui interdum ad Ecclesiam commodè accedere non possunt, administranda nihil ordinasse, quod non in S. literis suum fundamentum habeat.

De fide & obseruatione veterum circa hanc rem.

Videantur omnia hæc loca, quæ Aduersarij adduxerunt, & nullum inuenietur in eis verbum, quod cum his, quę in libro Reformationis ordinata, hic verò fusius explicata sunt, pugnet. Nam & ipsi Patres in vtraque Ordinatione loci scilicet & temporis, necessitatem quæ nullam legem patitur, excipiunt. Et hoc habetur in cap. Sicut non, dist. 1. ab aduersariis adducto, expresse positum. *Quemadmodum etiam claram habemus de missis in priuatis Oratiis celebrandis, quoties ad Ecclesiam homines non facilè accedere possunt*, cap. Si quis, dist. eadem. *Ad hæc iamdudum vsu receptum est, vt ieiunium ægrotorum non respiciatur.*

Cęterum in eo quod Canones quosdam & dicta Patrum de Conuenticulis & antaltaribus citant, rursus animum suum nimis contra librum Reformationis concitatum atque inflammatum demonstrant. Neque enim sine dubio tam insani ac cæci fuerunt: vt non potuerint videre, canones istos, dictáque Patrum, contra eos tantum facere, qui ab Ecclesia se separant, & priuata conuenticula habent: qui seorsim altaria erigunt atque hoc modo schismata incipiunt: non autem loqui, neque de infirmis, neque aliis, qui ad publicos conuentus facilè venire non possunt.

Eiusmodi peruersum & exacerbatum animum Aduersariorum magis

adhuc declarat, quod ipsi tam manifestè ac multipliciter ordinationem istam transgrediuntur, quam hoc loco contra librum Reformationis adducunt. Omnia enim loca priuatis templis & altaribus repleuerunt, neque adhuc eo fuerunt contenti: qui diplomata quoque dederunt, vt cum consecratis suis lapidibus in omnibus angulis, & vbicunque id ab eis requireretur, Missam celebrare possent.

Hactenus de loco & modo S. Cœnæ.

Quarta pars.

De veneratione, expositione & circumportatione sacramenti.

Caput LXIX.

HOc loco accusant Aduersarij librum, propterea quod hæc omnia affirmet esse non exiguum abusum Sacramenti.

Defensio Libri ex verbo Dei.

Abusum esse Christiani agnoscunt, quotiescunque aliquid vsurpatur, quàm à Domino ad vsurpandum est institutũ. Iam verò Christus Dominus noster cũ panem & vinum in manus accepisset, & Patri gratias egisset, discipulis vtrumque dedit, eósque panem manducare, ac de poculo bibere iussit, dicens simul, *Hoc est corpus meũ, & Hic est sanguis meus*, &c. *Hoc facite in mei commemorationem.* Quid? Sine dubio id ipsum, quod ipse ibi fecit, & mandauit fieri. Quid autem hoc erat? Sacramenta post solennem gratiarum actionem dispensare, in eísque percipere & manducare corpus suum, quod pro nobis traditum est: & bibere sanguinem eius, qui pro nobis effusus est, in remissionem peccatorum, & confirmationem noui fœderis gratię & adoptionis diuinę: idque ad fideliũ eius commemorationem: nempe vt ibi mortem & resurrectionem, atque amplissima eius beneficia nobis præstita & promissa vera mentis deuotione perpendamus, annunciemus, prædicemus & extollamus, quò fide in ipsum, & in omni pietate crescamus ac promoueamus. Hic demum ille vsus est S. Cœnę quẽ Dominus mandauit & instituit, id quod omnes Christiani fatebuntur.

Quamobrem nõ leuem, sed grauissimum huius sacrosancti sacramẽti abusum esse oportet, tantummodo spectaculũ ex eo facere, illud ostendere ac deportare, solummodo vt homines id contemplentur, adorent, coram eo se prosternant, auro & argento, aliísque externis & corporalibus seruitiis venerentur, sine dispensatione & sumptione, sine pœnitentia peccatorum, veráque fide in Christum Dominum nostrum, cum perseueratione in manifestis peccatis contra conscientiam, & cum tam superstitiosa & idololatrica persuasione, quasi hæc Sacramẽti actio quã Sacerdos in Missa exercet: contemplatio quoque & externa Sacramenti veneratio, ab hominibus qui absque contritione ac pœnitentia peccatorum

rorum suorum, absque vera fide in Christum in apertis scelerib. & flagitiis perseuerant, omnia mala propellat, & omnia bona tã ad præsentẽ, quã ad futurã vitã adferat. Hoc est qđ liber Reformationis reprehẽdit.

Rursus igitur manifesta Calumnia est, quod Aduersarij scribunt, Librum contendere, quod illi omnes hoc sacramento abutantur, qui præsentes astiterint, nisi sacramẽtaliter simul cõmunicent: atq; etiam ij, qui corã sacramẽto isto in genua prociderint. Hęc enim nullibi in toto libro eiuscemodi nudis verbis posita reperiuntur. Sed docet Liber, eos demũ hoc sacramento abuti, qui sine pœnitentia peccatorũ, sinéque vera fide in Christum sacramenti istius administrationi & tractationi adstant, sacramenta intuentur, & externis seruitiis venerantur: sibíq; persuadent, se per hanc externam quantumuis impœnitentem & infidelem assistentiam, contemplationem, ac venerationem, gratiam Dei cũ temporali & æterna benedictione promerituros. Hoc docet liber Reformationis pro abusu agnoscere, horrere ac fugere, non autem quemadmodum Aduersarij falsò ei attribuunt.

De vero cultu ac veneratione Christi Domini in hoc Sacramento.

Cap. LXX.

PORRÒ quò certius simplices ac rudes homines intelligant, quæ sit veneratio Christi in hoc Sacramento, eiúsque honorificus vsus, primũ omniũ probè cognoscendum est, quid venerari propriè significet, & quæ sit vera veneratio ac cultus Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi. Ex quibus cognitis etiam elucebit, Quomodo Christum in S. Cœna rectè colere debeamus.

Venerari igitur nihil aliud est, quàm his quos honore quis afficere vult, beneuolentię ac pręclaræ de ipsis existimationis signa demonstrare. Cuiusmodi sunt, Prædicare aliquem verbis, genuflectere, procumbere, & talibus signis obedientiam erga eos declarare, dona ac munera offerre, solennes memorias ac spectacula instituere. Hæc omnia peculiaris beneuolentiæ & existimationis indicia sunt. Quibus igitur ea exhibentur, eos etiam honore affici certum est.

Iam verò sicut hi quibus honores deferuntur, diuersi sunt: ita diuersa quoque sunt honoris & reuerentiæ signa. Qui superiores nobis sunt, eos alia ratione honoramus, quã vel inferiores, vel æquales. Sic etiam aliter summos magistratus veneramur, aliter eos qui sunt inferioris ordinis. Quosdam sola capitis nudatione, & inclinatione corporis, alios flexione genuum, alios penitus in terram procidendo, manus osculando, aliísque id genus seruitiis ac reuerentię signis veneramur. Ad eundem modum volentes alicui honoris gratia dona & munuscula offerre: ibi quoque discrimẽ obseruamus, & vnicuiq; id quod ei maximè cõgruũ esse, & acceptũ gratũq. fore iudicatur, in honorẽ offerre solem'. Magnis principib. magna quoq. dona dãtur, si non dignitate ac valore suo, saltẽ æstimatione & acceptatione eorum, quibus offerũtur. Cũ enim veneratio debeat esse singularis beneuolẽtię & existimationis declaratio, pru-

dentes homines, quando muneribus aliquem honorare volunt. Primũ omnium voluntatem ac ſtudium illius conſiderant. Si enim rebus bellicis, vel arte equeſtri delectatur, equum ferocem ac bellicum ei potius donant, quam lenem aliquem gradarium vel etiam mulam. Si verò venationis ſtudio capiatur, canem venaticum potius & accipitrem, quam tenerum aliquem catellum, aut ſuauiter canentem luſciniam. Conſimili modo & in aliis muneribus ac donis ſe gerunt.

Cùm igitur naturæ inſtinctus doceat, vnicuique honorem exhibendum eſſe, pro exiſtimatione ac pretio in quo habetur, item in veneratione primum omnium conſiderandum eſſe, quibus rebus delectetur is, quem honore afficere propoſuimus: Deus autem & redemptor noſter Chriſtus ſupremus omnium ſit, ac ſolus omni honore dignus, imò tantæ ſublimitatis ac celſitudinis, vt nihil habeamus, quo dignum illi honorem exhibere poſſimus, certè in cultu Diuino ante omnia eò reſpiciendũ erit, Quomodo velit à nobis coli, & quid ei à nobis præſtitum gratum & acceptum eſſe queat.

Sacram itaque ſcripturam, ex qua ſola hac de re certiores reddi poſſumus, propius intuentes, inuenimus. Deum ac Dominum noſtrum talem à nobis honorem & cultum poſtulare. Primùm vt ei in verbo ſuo veram & indubitatam fidẽ adhibeamus: eámque liberè profiteamur, nimirũ auida auditione, diligenti meditatione, ac fideli obſeruatione mandatorum eius: grata vſurpatione ſacramentorũ, denique plena traditione noſtri in obedientiam illius, in omni vita ac conſeruatione noſtra. Vbi hæc quoque venerationis ſigna continentur, vt in annunciatione ipſius, honorifica cõmemoratione nominis eius, auditione verbi illius, celebratione ſacramentorũ, gratiæ deniq; & auxilij eius imploratione, ſeipsũ inclinare, genua flectere, vel penitꝰ in terrã procũbere, manus & oculos ad cœlũ attollere, dona atq; oblationes vouere & offerre.

Quibus omnibus hoc quoque coniunctũ eſt, dona & oblationes Dei eleganter, purè & honorificè adferre, inſtrumenta verbi Dei & ſacramentorum ſolenniter apparare & vſurpare, quemadmodum magnorũ Principum cubicula & vaſa, aliáque omnia quibus vtuntur, ſingulariter ornari ſolent. Vbi tamen non dicitur, cubicula vel vaſa per ſe honorari, ſed ornari in honorem Domini.

Ex eiuſmodi venerationis proprietate permiſit Dominus antiquo populo ſuo, vt ſibi in honorem primò Tabernaculum, deinde templũ, altare, & omnia vaſa myſtica auro, argento, gemmis, ſerico, aliiſque id genus ornamentis ornarent: acceptauit quoque quod coram arca fœderis procidebant, ad eámque ſicut etiam in cœlum, manus & oculos attollebant, promptámque obedientiã erga ipſum iuxta verbum illius, & ſicut ſe patefecerat, colique mandauerat, hac ratione profitebantur ac declarabant, cum ardenti deſiderio auxilij eius & imploratione.

Iam verò in nouo Teſtamento Dominus neque de Templo, neque vllis aliis inſtrumentis religionis, ſicut in veteri, vel vnum præceptum dedit. Ille ipſe & Apoſtoli domos & vaſa communia ad ſacros conuentus & religionis exercitia vſurparunt: & vbicunque homines in nomine

mine suo cõueniant, ibi se in medio eorum fore promisit. Adhęc dixit, Aduenisse tẽpus, quo veri adoratores, neq; in Hierusalẽ, neq; super mõtẽ Garizim (nec vllius alterius tẽpli deinceps ædificandi meminit) adoraturi sint, sed in spiritu & veritate, quocunque tandẽ in loco id fiat.

Ex quo consequitur, Nos de ea veneratione Dei quæ ornãdis instrumentis religionis, siue ea templa sint, siue templorũ vasa mystica, præstatur, nullum neque mandatũ, neque exemplum Domini vel Apostolorum eius habere, sed potius contrariũ. Nã Christus ipse & Apostoli ea quã simplicissimè & quemadmodum in communi vlu versabantur, suis sine vlla singulari pompa & ornatu vsurparunt, sicut multi S. Patrũ post eos fecerunt, idque tanquam Christianæ professioni proprium magisque decorum approbarunt.

Vide Cyprianum Sermone de vnctione Chrismatis in principio de ornamentis visibilibus, &c. Item Origenem in Numeros Homil. 23. cap. 28.

Cùm igitur hac de re neque præceptũ, neque exemplum habeamus, nemo sibi certò persuadere potest, gratũ & acceptum Deo cultum esse, sumptuosa tẽpla extruere: eáque eleganter ornare, aureásque & argenteas patinas, calices, sacraria, & id genus alia pro sacramentis instruere. Imò qui diligenter considerare volet, quæ sit Christianæ professionis proprietas ac natura, is facilè cognoscet, Omnia inter Christianos ita instituenda & vsurpanda esse, vt humilitatem crucis, contẽptum mundanorum omnium, studiúmque cœlestiũ rerũ præ se ferant: id tantò magis, quã in veteri populo, quantò clariùs spiritualẽ & cœlestẽ conuersationẽ Dominus nobis quã antiquo populo reuelauit. Hinc est, quod D. Hieronymus, & alij S. Patres, eos quos ad singularem vitam spiritualem, cultúmque Dei erudire voluerunt, ab eiusmodi externa pompa templorúmque & vasorum corporali ornatu, sint dehortati.

Legatur id quod scripsit Hieronymus ad Nepotianum, ad Rusticum Monachum & Demetriadem: item quæ Bernardus in Apologia.

De aliis reuerentiæ & honoris signis, vt sunt genua flectere, in terrã se prosternere, manus & oculos in cœlum attollere, quod ea vel ante vel erga panem & calicem Domini exhiberi debeant, nec exemplum nec mandatum habemus Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum eius, sed potius contrariũ. Nam D. Iesus Sacramentum hoc discipulis suis cùm pro more discubuissent, dedit ac dixit, *Accipite, comedite, bibite.* Quicquid verò sumitur, & è vestigio comeditur, bibitúrque quemadmodum discipuli fecerunt, id certè nemo hominibus exponet, vt coram eo se prosternant, in eóque Christum Seruatorem nostrum adorent.

Neque firmum argumentũ est, Christus in hoc sacramento dat corpus & sanguinem suum, imò semetipsum. Ergo flexione genuum manuum & oculorum ad id subleuatione, in eo adorari debet. Christus dicit, se & Patrem venturos ad eum, qui sermones suos custodit, & facturos habitationem apud eum. Et D. Paulus ait, Christum habitare per fidem in cordibus fidelium. Verum inde non sequitur, quod ideireò coram piis & fidelibus hominibus procumbere, manúsque & oculos erga eos attollere debeamus, vt Christum in eis adoremus.

Dat quidem Dominus seipsum in nobis in sacramento verè & essen-

tialiter, verum non ea ratione, vt corporalibus oculis eũ contẽplemur, sed oculis fidei, quemadmodum omnes ore fidei eum percipimus, ac verè manducamus. Hæc actio cœlestis est, non huius mundi. Nemo sanè fatetur, se cogitare, quod Dominus localiter in sacramento includatur, vel loco affigatur. Canitur sursum corda, non, Huc corda. Necesse enim est, vt mens humana ex vniuerso mundo vltra omnia sensibilia sese attollat, ac Dominum per fidem in cœlesti gloria sua apprehendat, percipiat ac manducet.

Quamobrem efficit quidem vera fides, vt apud sanctissimam hanc actionem procidamus, aut genua flectamus, quando sacrosancta verba Domini, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, &c. *Accipite bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus*, &c. audimus. Eodem modo cùm sacratissimum hunc cibum & potum in sacramentis percipimus. Cæterum existimare, quod gratum & acceptum cultum Domino nostro Iesu Christo præstemus, quando coram sacramento, cùm id ostenditur, exponitur, aut deportatur, nos ipsos prosternimus, genua flectimus, ipsum intuemur, manus & oculos versus id attollimus, etiamsi illud non sumamus, comedamus, & bibamus, id certè non modo non ex verbo Dei probari potest, verumetiam iuxta verbum Domini, *Accipite, comedite, bibite*, nequit consistere, vt iam ante demonstratum est, & vnicuilibet fideli in promptu est cognoscere.

Quod enim continuò manducatur & bibitur, id sanè exponi aut deportari nequit.

Adhæc veneratio ac cultus Dei etiam non potest, sed potius oportet contẽptum esse Christi Domini velle manifestum eius mandatum iuxta cæcam stolidámque rationem nostram mutare & corrigere.

Cúmque hoc modo homines coram pane & calice sese prosternunt, manus & oculos erga ipsum attollunt, de quo nec Dominus, nec Apostoli quicquam docuerunt: sacramentis verò non communicant, nec verba Domini meditantur & perpendunt, quod tamen Dominus admodũ seriò mandauit, quid aliud hoc iudicare potest, quàm quod Christum Dominũ nostrũ localiter in panẽ includantur, vel pani affigant, eúmque hac ratione rursus in terrestrem hanc conuersationem & vitã detrahere velint? Cùm tamen deberent seipsos per fidem continuò à visibilibus signis ad inuisibilia dona: à terrena conuersatione, ad cœlestem attollere, ac Christum Dominum & Deum nostrum in Spiritu & veritate adorare, hoc est, intimis animi cogitationibus meditari, quod Christus pro nobis factus ac perpessus sit: cũ perpetuis laudibus celebrare, ei pro tam immensis beneficiis gratias agere, fidem in ipsum confirmare, amorẽ erga proximum inflammare, denique seipsos in omnem eius obedientiam plenissimè tradere. Hæc demum vera esset veneratio Christi Domini nostri in hoc sacramento, hic verus ac honorificus huius sacramenti vsus.

Quod si quis Arcam fœderis objicere velit, & Propitiatorium quod Dominus antiquo populo proposuit, vt coram eo adorarent, seipsos prosternerent, manus & oculos erga illud attollerent, nulla tamen

conse-

consequentia abhac Arca fœderis & Propitiatorio ad Sacramentũ duci potest. Dominus enim vtrunque antiquo populo suo cum amplissimis promissionibus in hunc finem ordinauit & sanctificauit, vt eum ibi adorarent, ac semetipsos per hoc symbolum & Sacramentum, de diuina ac clementi eius præsentia, promptæque voluntatis ad exaudiendum, admonerent, atque hoc modo in fide corroborarent, & stabilirent. Panem verò & calicem in S. Cœna Dominus non eò ordinauit, & proposuit, sed ad manducandum & bibendum dedit, cum hac fide, quòd Dominus vnà cum istis symbolis corpus & sanguinem suum tradat in remissionem peccatorum, obligationem noui Testamenti, & solennem sui commemorationem celebrandam.

Hactenus de Veneratione Christi in hoc Sacramento, & verè honorifico eius vsu, ex verbo Dei dictum esto.

Quæ fuerit Antiquorum hac de re sententia ac fides.

QVod Antiqui S. Cœnam suuma cum reuerentia tractauerint, dispensauerint, de eo satis multa indicia & argumenta extant. Quod verò Sacramentum adorauerint, coram eo prociderint, manus & oculos erga illud attulerint, auro & argento ornatum exposuerint vel deportauerint: lucernis, crucibus, suffimentis, cantationibus ac pulsationibus, omnisque generis instrumentis musicis venerati sint, eius non modò nulla reperiuntur vestigia, sed potius talia, ex quibus contrarium euidenter concluditur.

Suprà in articulo de Conseruatione Sacramenti citarunt Aduersarij ipsi, Romanos Episcopos solitos fuisse, peregrinis Catholicis Episcopis, qui Romam venissent, Eucharistiam solemniter transmittere. Commemorarunt quoque Sacerdotem quendam Eucharistiam puero tradidisse, vt eam patri suo adferret, ac ministraret. Adhęc demonstratum in hoc libro est ex D. Cypriano, Tertulliano, & Hieronymo temporibus istorum Patrum Eucharistiam Laicis traditam esse, vt eam domum deportarent, & in cistulis suis ac peculiaribus repositoriis reseruarent. Vnde euidenter consequitur, veteres tunc temporis Eucharistiam non adorasse, neque eo modo, quem Aduersarij defendere conantur, veneratos fuisse, quemadmodum nec Apostoli in prima Cœna eam venerati sunt.

Honorius tertius qui ante paucos annos vixit & scripsit, videlicet Anno 1216. ordinauit vt Sacramentum in loco aliquo ad hoc deputato reponeretur, ac per fideles & pios custodes custodiretur: Sacerdos verò frequenter populum edoceret, vt cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia, vel cùm eadem ad infirmos defertur, se reuerenter inclinet. Ecce hic Papa, qui tantum ante trecentos & viginti nouem annos Papatum tenuit, ordinat primùm vt Sacramentum in aliquo loco & ad id destinato recondatur. Vbi erãt tũc splẽdidè ornata sacraria, & lãpades corã ipsis ardẽtes. Itẽ, Cùm nihil amplius requirat, quàm vt homines coram Eucharistia se reuerenter inclinent, vbi tunc temporis

erat prostratio, aliáque id genus corporalia seruitia, quæ postremis ac deprauatissimis Ecclesiæ temporibus in vsu esse cœperunt ? Verum posteaquam verus huius Sacramenti vsus intercidit, facile fuit diabolo eiusmodi abusus introducere.

Iam verum quidem est, quod veteres in S. Cœna ostensionem panis adhibuerunt. Nam vt Dionysius in tertio capite de Eucharistia meminit, hic mos suo tempore obseruatus fuit, vt sacerdotes panem & Calicem primo velatum proponerent, & postquam Sacramenta confeciſſent, rursus ea detegerent, & in conspectum populi proferrent, ac deinde panem confestim in multas particulas diuiderent, & vnà cum calice omnibus præsentibus distribuerent. Meminit quoque Basilius cuiusdam inuocationis vel Cognominationis, ἐπικλήσεως, quam veteres in ostendendo pane gratiarum actionis, hoc est ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας peculiaribus quibusdam & conceptis verbis, quæ Ecclesia ab antiquis sine scripto tradita acceperat, vsurparunt. Legitur etiam in libello de forma Græcanica. S. Cœnam administrandi, quam ipsi λειτουργίαν, hoc est, publicum officium appellant, quod Sacerdotes etiam proximè ante distributionem, sumptionem ac dispensationem Sacramentorum panem eleuant. In ea Leiturgia, quam Leo Tuscus in Latinam linguam transtulit, legitur, quod Sacerdos panem modicum sustollat. De eleuatione calicis nulla fit ibi mentio : vt verisimile sit, eiusmodi venerationem apud Græcos non fuisse dissimilem illi, qua apud Latinos post dictum Pater noster, panis modicum sustollebatur, & à tergo assistentibus ostendebatur. Quamuis autem hæc de Eleuatione & ostensione panis apud Græcos habentur, nihil tamen inuenitur de procidendo coram pane commonstrato : sed quod populus antequam ostenditur panis, soleat se prosternere, post orationem, in qua Sacerdos Dominum orat, vt se, Presbyteros nempe & diaconos sanctificare ac dignos reddere velit, quò sibi & per se toti populo, per potentem manum eius debet immaculatum corpus, & precioſum sanguinem suum, &c. Hac oratione dicta continuò Sacerdos ac Diaconus in terram prostrati, in silentio dicunt, Deus esto misericors mihi peccatori. Quo facto Diaconus clamat, Attendamus : ac postea Sacerdos panem Domini monstrat, dicendo, Sancta Sanctis. Ad quod Populus (vel vt in aliis exemplaribus legitur, Clerus ac populus : in postremo vero, Clerus) respondit, Vnus Sanctus vnus Dominus Iesus Christus, ad gloriam patris. Amen. Adhunc descripta est hæc Liturgia in postremis Græcis libellis, qui Romæ ac Venetiis impressi sunt. Antiquiores nihil omnino habent de prostratione, neque de Oratione ista, Deus esto misericors mihi peccatori.

In Liturgia Chrysostomi, post dictã precationem Dominicam: In Rubrica sic habetur: Inclinãs igitur Diacon⁹ paululũ caput, & inspiciens Sacerdotem adorantem, adorat & ipse : & orat secretò Gratias agimus tibi rex inuisibilis, &c. In qua oratione hæc profert verba : Respice hic ad inclinantes tibi ipsorum capita : non enim inclinarunt carni & sanguini, sed tibi tremendo Deo, &c.

Ex quibus

Ex quibus omnibus hoc colligi potest, quod etsi monstratio sacramentorum vetusta,& elevatio non admodum recenter ab Ecclesia vsu recepta sit,tamen coram pane monstrato se prosternere,eum adorare, manus & oculos versus ipsum attollere:sacramenta verò, quod Dominus requirit,non percipere, recens est & antiquæ Ecclesiæ ignotus atque inauditus abusus,qui nō magis consistere potest, quàm Adoratio ista,qua veteres Solem,Lunā,stellas,montes & excelsa, æneum serpētem,peculiaria altaria,& alia vel cœlestia vel terrestria diuinæ maiestatis opera & iudicia venerari consueuerant. Ad hoc enim vt coram aliqua creatura procidamus,manus & oculos erga eam attollamus,in eáque hoc pacto Deum pro auxilio & ope inuocemus,non satis est,vt eiusmodi creatura signum sit & imago diuinæ maiestatis ac potentiæ, sed præterea requiritur,vt ad talem vsum sint à Deo destinatæ, nobisque in verbo suo propositæ, quemadmodum paulò antè dictum est. Homo enim,maximè verò pius homo excellentissima imago est, templum & sacrarium Dei ac Domini nostri Iesu Christi : quia non est præstantior vel in cœlo,vel in terra. Sic etiam Sol,Luna,stellæ,& omnis generis animántia,terræque nascentia præclara sunt opera,& indicia,potentiæ,sapientiæ,ac bonitatis diuinæ. Non tamen vult Deus, vt coram eiusmodi creaturis nos prosternamus, eúmque in ipsis adorare tentemus:imò abominabile est in conspectu eius, quemadmodum testatur in scriptura sua.De honoris ac reuerentiæ signis, quæ Magistratibus & excellentibus hominibus exhiberi debent,suprà in articulo de imaginibus satis dictum est.

Quamobrem cùm manifestum verbum Dei habeamus de Sacramētis,nempe quod nos ea,& in eis Dominum ipsum corpus &sanguinem illius percipere,manducare & bibere debeamus (iuxta quod nulla Expositio vel deportatio adorandi causa consistere potest, debemus sanè hæc verba & mandatum Domini imitari,figmenta verò hominum de Expositione & Deportatione dimittere.

Interim verò,quem Dominus in S. Cœna per verbum & sacramentum,vnam cum singulari gratia &benedictione semetipsum tradit nobis,ac præsentem demonstrat,debemus etiam ibi vera fide in spiritu & veritate adorare,idque procidendo in genua, aliisque id genus corporalis reuerentię signis contestari. Quemadmodum legimus Antiquos in terram prostratos , aliisque similibus honoris indiciis Deum adorasse,quoties se per verbum suum vel alia signa peculiariter eis patefecisset.

Seruus Abrahę cùm tantummodo ex responso Rebeccæ animaduerteret,quod Dominus iter eius prosperasset, pronus in terram adorabat,Genes.24.non Rebeccam sed Dominum.Quare etiam manus & oculos suos cœlum versus,non ad Rebeccam sustollebat. Sic Populus Israëliticus pronus in terram adorabat, cùm Moses liberationem ex Ægypto ei annuntiaret.Exod. 4. quemadmodum in simili declaratione ac patefactione gratię diuinæ semper fecit. Quare fidelis quidem & Scripturę consentanea conclusio est. Quoniam in S. Cœna Do-

minum in medio nostrûm habemus, ipséque in sacrosancto sacramẽto se nobis tradit, vt etiam inibi eum adoremus. Verum non propterea debemus manus & oculos erga panem & vinum attollere, perinde ac si Christum Dominum nostrum localiter in eis includere, vel affigere velimus: sed panem & vinum, quàm primum nobis porrecta fuerint, summa cum deuotione mentis accipere, manducare & bibere, Christúmque Dominum nostrum oculis fidei, in verbo ac promissionibus suis adorare, laudare, prædicare, eiáque totos nos cum corpore & anima dedere. Hoc modò in & apud hoc sacramentum, verè ipsum adorabimus in spiritu & veritate.

Nemo equidem est, qui ex pane & vino, vel speciebus panis & vini Christum Dominum ipsum faciat, vel eum localiter in ipsis includat, aut naturaliter eis alliget. Quilibet sinit esse signa, quibus Dominus semetipsum, verum corpus ac verum sanguinem suum nobis exhibet. Quamobrem affirmari non potest, Deo placere, imò ipsum velle, vt coram symbolis istis procidamus, ea adoremus, & alia id genus reuerentię signa illis demõstremus, sicut id debemus facere erga Christum Dominum ipsum. Cúmque nec verbum Dei, nec exemplum de eo habeamus, quod debeamus erga symbola ista adorare, dicat verò aliquis, nos non modò aliorũ sanctorum, verumetiam ipsius Christi Domini nostri exemplum habere, de cœlo, ac veteres de arca fœderis habuisse, tamen argumentum à cœlo, & arca fœderis, ad signa ista nõ concludit, præsertim cùm præceperit nobis Dominus, hæc Symbola S. Cœnæ manducare ac bibere, non autem sicut arcam fœderis adorãda proponere vel custodire. Christianus semper ad verbum Dei intendat, ipsum adoret ac veneretur, quemadmodum Deus præcepit: atque hoc modo in nullum errorem incurret.

Solutio Obiectorum ex Patribus.

PRimò citant Aduersarij duo dicta D. Augustini: vnum ex interpretatione Psal. 98. alterum ex expositione Psal. 21. iuxta vulgatam distinctionem. In primo dicit hic S. Pater, neminem manducare carnem Christi, nisi prius adorauerit. Non dicit nisi adorauerit eam. Nam vt antea dictum est, quotiescunque de diuina maiestate & bonitate vel verbis vel signis peculiariter commonefacti sunt, procidendo adorauerunt: non signa in quibus gloriam suam Deus illis patefecerat, vel erga talia signa, sed Dominum ipsum, idque vel inclinatione, vel prostratione corporis vel manuum versus cœlum eleuatione, vel aliis id genus signis à Domino ipso ad hanc rem destinatis & institutis. Sic & in altero dicto simpliciter positum est, Adorauerunt, non, Adorauerunt carnem Christi.

Verum sit sanè quòd expressè locutus sit de adoratione carnis Iesu Christi, longè tamen aliud est, Carnem Christi adorare, quàm panẽ, vel erga panẽ adorare. Imò vt D. Augustinus inquit, peccamus nõ adorando carnem Domini nostri Iesu Christi. Cæterùm in spiritu & veritate ado-

adoranda est, non in pane tantum, hoc est, oportet vt ipsum Seruatorem nostrum Christum laudemus ac celebremus, quod propter nos caro factus est, carnem suam Patri in cruce pro nobis obtulit, atque etiamnũ in cibum vitæ æternæ nobis communicat: per quam ad salutarẽ ac beatam resurrectionẽ nos perducere vult, cum plena oblatione carnis nostræ, in omnẽ voluntatem eius. Hoc modo fideles omnes Dominũ adorant, eámque adorationem in S. Cœna flexione genuum, aliisque corporalibus honoris ac reuerentiæ signis contestantur, & ante & post huius Sacrosancti Sacramenti perceptionem: quam consuetudinem Liber Reformationis non modò non reiicit, sed etiam docet.

De similitudine & discrimine S. Baptismatis & Cœnæ Dominicæ vlterius agunt Aduersarij, scribentes, Aquam Baptismatis non adorari, quemadmodum adoratur panis Eucharistiæ, cùm non sit ibi corpus Christi reipsa præsens, sicut in S. Cœna, neque fiat ibi vlla transmutatio, sicut in Sacramento altaris. Hanc orationẽ inspiciat ac perpendet Christianus Lector, Quando Baptismus rectè administratur, tunc baptizat Deus Pater, Filius, ac Spiritus S. in cuius nomine baptismus ministratur. Quomodo igitur Christus Dominus non est ibi reipsa præsens? Adhæc cùm fideles in nomine Domini apud Baptismum conueniant, quî fieri posset, vt non esset in medio illorum, iuxta promissionem suam? Præterea iam ante demonstratum est, transmutationem substantiæ panis & vini in Sacramentis Eucharistiæ, falsum esse & inane figmentũ. Verum ponamus, quod reuera talis conuersio fiat, quemadmodum nõnulli Doctores Scholastici confinxerunt, quid tamen valebit ad comprobandum, quòd idcirco debeant homines se coram effigie ac simulachro panis prosternere, & illud adorare? Hinc vnicuilibet Christiano in promptu est cognoscere, quòd ambo Sacramẽta Baptismatis ac Cœnæ dominicæ in eo, quod Aduersarij ponunt, non modò non differant, verumetiam sint similia. Nam Christus Dominus in vtraque re ipse præsens adest, ibíque in spiritu & veritate adorari debet.

Quod verò Aduersarij vlteriùs scribunt, Veritatem & virtutem Sacramenti Baptismatis præcipuè sitam esse in administratione: ac putant ea in re S. Cœnam à Baptismo differre, nouerunt omnes pij Christiani, virtutem ac veritatem Baptismatis non modò præcipuè, sed penitus in administratione positam esse: nempe vt homo baptizetur in nomine Patris Filij, & Spiritus S. Nam vt D. Augustinus ait, *vbi accedit verbum ad elementum, eíque fides habetur, in quem finem ad fideles pronuntiatur, ibi iamprimũ est Sacramentum.* Vnde hic idem Pater vlteriùs dicit, *Et in aqua verbum mundat, Aufer verbum ab aqua, & quid aliud remanebit quàm aqua?* Hęc D. Augustinus in Ioannem, Tract. 80. *Vides aquam sine verbo nihil aliud esse quàm aquam?* Vbi est igitur illa virtus Consecrationis Baptismi? Iam verò verba Baptismi non nisi inter Baptizandum, & ad administrationem huius Sacrrmenti adhibentur. Quare veritas & virtus istius Sacramenti non tantum præcipuè, vt Aduersarij scribunt, in administratione consistit, sed penitus & omnino.

Ad hæc neutrum istorum Sacramentorū ab altero in eo differt, quod vnius essentia ac virtus in administratione collocata sit, alterius verò nō item: quin potius in eo conueniunt, quod vtriusque veritas & virtus in administratione posita est, quæ fieri debet iuxta institutionē Domini, cùm dispensatione verborum eius ac symbolorum, ea omnino ratione, ordine ac modo, quo ipse id prius fecit, nobísque ad faciēdum instituit. Nam quemadmodum in Sacramento Baptismatis ministrum esse oportet, qui Baptismum administret, & eum cui ministratur, ac demū Sacramentum Baptismatis ipsum, quod nō aqua per se, sed in aquam immersio, vel aquæ perfusio, coniuncta cum istis verbis, Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic etiam in S. Cœnæ administratione se res habet. Ibi enim necesse est, esse ministrum & eos qui hoc Sacramentum percipiant, & deinde Sacramēta ipsa, nempe verba & symbola à Domino instituta. Expressè enim mandauit, vt idem faciamus in S. Cœna, quod fecit ipse. Assumpsit autem ad se discipulos suos, acceptóq; pane, gratias egit, fregit, ac dedit discipulis suis, his verbis, & expresso mādato, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, &c. *Accipite, bibite, Hic est sanguis meus*, &c. Hinc acceperunt & obseruarunt Ecclesiæ istam consuetudinem, vt in præparatione seu confectione huius Sacramenti, hæc verba Domini, *Accipite & comedite*, &c. *Accipite & bibite*, &c. pronūcient. Apud veteres cùm Græcos tum Latinos, sacerdotes hęc verba clara & eleuata voce ad vniuersum populum pronunciabant: populus verò ad ea respondebat, Amen. Illud idem requirit Ordinatio in Liturgia Græca, quæ nomine D. Chrysostomi inscribitur, ac non ita pridem Romæ & Venetiis typis excusa est.

Cùm igitur hæc verba, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*, &c. *Accipite bibite, hic est sanguis meus*, &c. tanquam verba Dei & Saluatoris nostri, non quidem inaniter, sed eodem modo quo Dominus ea locutus est, in S. Cœna pronuncianda sint, omnes veri Christiani istis Domini & vnici eorum magistri verbis fidem habebunt, & imitabuntur, atque hoc Sacramentum sine communicantibus, qui id recipiant, nec celebrabunt, nec vsurpabunt. Atque hoc modo virtus & essentia huius Sacramenti non minus in administratione cōsistet, quam Dominus instituit, & præcepit, quàm Sacramenti Baptismatis. Eodémque modo panis sine his verbis Domini, *Accipite, comedite*, &c. *Accipite, bibite*, &c. iisque firmiter creditis, nihil aliud erit, quàm panis: quemadmodum aqua nihil aliud manet quàm aqua, si ab ea Baptismatis verba remoueātur. Dominus enim non simpliciter de pane dixit. Hoc est corpus meū, & de Calice, Hic est sanguis meus: sed postquam panem in manus accepisset, gratias egisset, ac fregisset, tum demum dedit eum discipulis suis, ac dixit, vel potius præcepit, *Accepite comedite, accipite bibite. Et, hoc facite in mei commemorationem.* Post hęc primùm dixit, *Hoc est corpus meū, hic est sanguis meus. Hoc facite in mei commemorationem.* Quoniam igitur Dominus omnia hæc verba sua, & vniuersam S. Cœnæ actionem, quasi in fasciculo colligauerit, nobísque idem facere præceperit, quod fecit ipse: nobis certè nullo modo licet hæc sanctissima verba & actiones dirimere

rimere ac dissecare, vt in sacra Cœna tantummodo Sacramentalia hæc verba pronunciemus, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Mandatum verò Domini, *Accipite, comedite, accipite bibite*, velimus seiungere, quemadmodum Scholastici Doctores fecerunt, seducti per abusum custodiendi ac reseruandi panem & vinum, qui tam antè inuaserat. Ex his clarè patet, Veritatem ac virtutem sacramenti Eucharistię, non minus in administratione verborum Christi ac symbolorum, sicut eam Dominus instituit ac præcepit, collocatã esse, quàm sacramenti Baptismatis, quódque ambo sacramenta, quantum ad hanc rem pertinet, similia sint, & vnius eiusdémque naturæ: non autem discriminata, sicut Aduersarij tradunt, tantummodo vt abusum suum, quo panem vt adoretur exponunt ac deportant, confirmare ac stabilirequeant. Iudicent hæc omnia Christiani ex verbo Domini.

Amplius pergunt accusare Librum Reformationis, quod vniuersam Ecclesiam Christi condemnet, propter expositionem & deportationem huius sacramenti. Et ad ostendendum, quàm iniqua hęc condemnatio sit, adducunt authoritatem D. Irenæi, qui Victorem Papam suis temporibus Ecclesias aliquot particulares propter obseruantias quasdam externas, Euangelio non contrarias damnantem, acriter reprehendit, quod non rectè fecerit, damnando tot & tantas Ecclesias Dei quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent, vt legitur apud Eusebium, in Eccles. Hist. lib. 5. cap. 24.

Hoc loco videas Christiane Lector istorum hominum improbitatem. Liber Reformationis condemnat eum abusum, quo S. Cœnam non quemadmodum Christus instituit & mandauit, administratur ac percipitur, ad corroborationem fidei in Dominum nostrum Iesum Christum, & prouectionem vitę eius in nobis: sed sacramentum tantummodo monstratur, exponitur ac deportatur, ad corporalem venerationem, quam Dominus non præcepit: falsámque fiduciam, quæ in eiusmodi humanis figmentis collocatur, stabiliendam: id quod Christus prohibuit, éstque abominatio in conspectu eius. Hos abusus damnat Liber Reformationis, non autem Catholicas Ecclesias, quibus Dominus facilè ignoscere potest, quod aliquando sacramentis per ignorationem abusæ sint: quamuis Catholica & vniuersalis Ecclesia de hac sacramenti expositione & deportatione nihil omnino nouit: ea enim vel nostris temporibus apud Indos & Græcos non est in vsu: apud Latinos iamprimum antè trecentos annos exorta est, per Papam Vrbanum tertiũ. Quamobrẽ Aduersarij vim & iniuriã inferunt Catholicę Ecclesię, cũ Papisticorũ sacerdotum abusus ei adscribunt. Quemadmodum Liber Reformationis, quoque dicendo, quod vniuersam Ecclesiam Christi condemnet, cũ tantummodo vnum aliquem pernicioſum abusum damnat perfidorum antistitum earum Ecclesiarum, quas adhuc Papa eiusmodi errore implicitos ac irretitos tenet. In quibus tamen adhuc multi quoque Filij Dei sunt, qui ex ignorantia delinquunt, facientes quicquid Antistites eorũ instituunt ac faciunt, quandoquidem ipsi meliora ignorant. Hoc verò non faciunt, quatenus membra sunt & Ecclesia Iesu Christi, sed qua-

tenus infirmi sunt ac multa ignorationis cæcitate circumfusi homines: id quod Deus Pater noster cœlestis, propter dilectum Filium suum, vna cum aliis peccatis & erratis clementer ignoscet, vt antea dictum est.

Quod verò Aduersarij Irenęum obiiciunt, reprehendentem Victorem Papam, attende quæso Christiane Lector, quàm directè & integrè hoc ab eis factum sit. Papa Victor conabatur Ecclesias Asiaticas, aliasque in vicinis prouinciis ex cõmunicare, propterea quod festum Paschatis non eodem tempore obseruabant, quo obseruabatur Romæ: de quo tamen Papa iste nullum omnino verbum Dei habere poterat. Liber verò Reformationis nullam Ecclesiam propter vllam consuetudinem ritúmque externum, qui verbo Dei non aduersatur, excommunicare conatur. Verum sacrosanctum sacramentum Cœnæ Dominicæ ad externam ac superstitiosam pompam exponere & deportare, quemadmodum apud Aduersarios fieri consueuit: veram autem perceptionem & manducationem, quam Dominus præcepit, negligere, horrendus & detestandus est huius sanctissimi sacramenti abusus: & manifestè cum verbo Dei ac fide pugnat. Hic est, quem Liber Reformationis damnat, ac meritò quidem: imò Deus ipse in verbo suo dudum eum condamnauit.

At hoc modo clarum est, Aduersarios in eandem Irenæi reprehensionem incidere, non Librum Reformationis. Ipsi enim plurimas Ecclesias, tanquam schismaticas & hæreticas condemnant, non tantum propter ædificantem externarum & indifferentium rerum mutationem, verumetiam propter necessarios quosdam ritus, à Christo nobis mandatos & institutos, quos Ecclesię istæ libenter in Ecclesiasticum reuocarent, quemadmodum reuera res se habet de tota Correctione S. Cœnæ Dominicæ. Verum de hoc in sequentibus articulis.

De vera Veneratione Christi Domini apud Sacrosanctum Sacramentum.

Cap. LXXI.

PORRÒ Aduersarij vt ostendant Librum Reformationis externam sacramenti venerationem cum auro & argento, immeritò reiicere, allegant præclarum exemplum Constantini Magni, & nonnullos quoque Canones: postea concludunt his verbis, Quicquid in Dei honorem ad honorificam & dignam conseruationem sacramentorum deuotione Christiana impenditur, nequit profectò esse malum.

Responsio. Quid de extruendis & ornandis Templis, item de pretiosis vasis mysticis in Christianismo sentiendum sit, de eo iam antè dictum est, in defensione Articuli de Bonis operibus & Oblationibus. Porrò quantumuis Papa Damasius, vel alij Constantinum prædicauerint, propterea quòd multos calices & patinas ex auro argentóque fabrefactas ad dignissimi istius sacramenti honorem contulisset, laus tamen Exuperij

Lauren-

Laurentij, Ambrosij, & aliorum posterioris temporis sanctorum Patrum, qui eiusmodi pretiosa vasa & ornamenta confregerunt, & inter pauperes distribuerunt, captiuósque per ea redemerunt, S. scripturę longè magis cònsentanea est, nouóque testamento propria.

Canonem Concilij Triburiensis, qui est in ordine decimooctauus, & Gratianus & Aduersarij perperam adduxerunt. Responsum enim D. Bonifacij martyris & Episcopi, quæ in memorato Canone integra ponitur, mutilarunt. Sic enim introducit eam dictus Canon. Cùm Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus esset, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit, Quondam aurei sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus vtebantur: sed nunc contrarium euenit, lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. In eodem loco commemoratur, Seuerinum decimumsextum Romanum Episcopum patinis vitreis Missas celebrari ordinasse.

Interim autem verum est, quod istud Triburiense Concilium ad augenda ornamenta Ecclesiæ, quemadmodum prętendit, interdixit sacramentum confici in vasculis ligneis. Iudicent autem pij ac sapientes Christiani, vtrum Ambrosius, Exuperius, Hieronymus, Chrysostomus, & alij S. Patres, qui adhuc verè aurei sacerdotes erant, verum ornatum Ecclesiarum Christi melius intellexerint, & augere magis cupiuerint, qui vitreis aliisque non pretiosis vasis ad sacramenta vtebantur: aurea verò & argentea ad sustentandos pauperes, captiuósque redimendos vendebant: an verò illi Episcopi, qui in hoc Germanico Concilio, quo tempore lignei sacerdotes, vt D. Martyr & Episcopus Bonifacius conqueritur, Ecclesiis Christi præesse cœperant, congregati fuerant.

Porrò si ad veram originem, & infallibilem regulam Dominum ipsũ & Apostolos eius respicere voluerimus, qui sine dubio omnia adverum Ecclesiæ ornatum, & honorem Sacramentorum conducentia, quàm optimè intellexerunt, ac diligentissimè requisiuerunt, inueniemus eos nullum peculiarem apparatum, sumptum vel ornatum in vasis mysticis vel postulasse, vel ipsos vsurpasse. Nam vt D. Ambrosius inquit, *Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum redemptio captiuorum est*, &c. Quamuis nec iste Canon Concilij Triburiensis amplius aliquid præcipit, quàm ne sacerdotes ligneis calicibus vtantur. Alter Canon, citatus ab Aduersariis, est de decretis recentioris Concilij Rhemis celebrati eo tempore, quo lignei sacerdotes longè vehementiùs inualuerant. *Lib. 2. de Off. cap. 8.*

Postremò quod Aduersarij concludunt, Quicquid in honorem Dei, ad honorificam & dignam conseruationem sacramentorum, deuotione Christiana impenditur, id malum esse non posse, non malè dictum esset, si rectè intelligeretur, quid sit Christiana deuotio, quæ certè existere nullo modo potest, vbi nullum verbum & mandatum Dei extat. Nadab & Abiu offerebant incensa sua, Leuit. 10. Vziahu rex 2. Paralip. 28. adolebat, idque non sine deuotione. Ea, vera diuina non erat, quapropter grauissimè puniebantur à Deo. At quid aliud in ea desi-

derabatur, quàm verbum & mandatum Domini? Non igitur licet ex scelerata pulpa, vt inquit Persius, iudicare quid Deo placeat, & sacrosancta eius sacramenta ornet: sed ex verbo Dei. D. Bernhardus existimat Poëtam istum scribentem contra Ethnicos, maiori cum vituperio & opprobrio nobis obiiciendum esse, ac dicit, Episcopi, quid sibi vult aurum in sacrario? Verum satis de his dictum est in Articulo de bonis operibus.

In Apologia ad Abbatē Climacēsem.

Quinta pars.

De Communione sub vtraque specie.
Arguere abusus, non est condemnare Catholicam Ecclesiam.
De dicto Cypriani Epistola 3. lib. 2. vtique ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur.

Cap. LXXII.

IN hoc articulo quadruplicem accusationem instituunt Aduersarij. Cuius primum caput est, Quod liber Reformationis vniuersam Christi Ecclesiam damnet, quæ laicis, sacramentum illud longo iam tempore sub vnà tantùm specie porrexit: tum quod dicit, Hunc abusum tacitè irrepsisse.

Alterum est librum Reformationis sacramentum istud duo sacramenta, eadémque panem & vinum appellare, & aliàs de hoc ita loqui, ac si sub altera sola specie non contineantur simul corpus & sanguis Domini.

Tertium librum docere, quod oporteat nos apud sacramentum istud omnia & singula necessariò facere, quę Christus in Cœna sua peregit, nec ab eo vllis modis recedere, licet etiam Angelus de cœlo, aut Apostolus aliquis aliud doceat vel prædicet, nec curandum esse, quid nomine Cœnæ aut missæ antehac toto mundo obseruatum sit, aut modò obseruetur. Et quod hucusque ignoranter in hac sacratissima actione actum sit, aliter quàm ordinauerit.

Quartum librum torquere sanctum Cyprianum aduersus Catholicam Ecclesiam, quasi præsides Ecclesiarum in eo, quod sacramentū sub altera specie hucusque porrexerunt, ministerio & vice Christi non sint perfuncti: quin potius mandatum eius abiecerint, propter traditiones hominum, atque ita se constituerint reos corporis & sanguinis Christi.

Defensio Libri, sumpta ex verbo Dei, & Obseruatione veterum Ecclesiarum.

AD primum caput huius Accusationis. Testatur quidem liber Reformationis abusum esse, quod in S. Cœna non ambo sacramenta omnibus fidelibus ministrantur, iuxta institutionem & mandatum Domini: atque etiam affirmat eum tacitè irrepsisse, & à nullis Patribus tale quid ordinatum fuisse. Priorem partem quilibet Christianus facilè agnoscit, qui nouit abusum esse quotiescunque aliquid aliter vsurpatur, quàm

quàm à Domino ad vtendum ordinatum est & præceptum. Iam verò manifestum est,& apud Aduersarios ipsos in confesso, quod Dominus in prima Cœna ambo sacramenta discipulis suis distribuit, suisque vt eandem rationem imitarentur, præcepit: quam omnes Ecclesię deinceps longo tempore imitatæ sunt, & adhuc nostro tempore in Æthiopia & Græcia imitantur & obseruant.

Quòd verò abusus iste tacitè,sine vlla ordinatione publica, irrepserit, & hoc quoque clarum est:sin minus,demonstrent nobis Aduersarij, in quo Concilio vnquam tale quid ordinatum fuerit & decretum.

Verum in eo, quod liber Reformationis istum sacramenti abusum reprehendit, atque è medio tollit, non damnat vniuersam Ecclesiam Christi. Illa enim suffragio istum abusum nunquam approbauit:quamuis multa eius membra,tamen vt homines imbecilles, non vt membra Christi, ex ignoratione isto abusu irretita atque implicata fuerunt, sunt que adhuc nostro tempore. Vniuersalem Ecclesiam,& membra eius,quatenus membra & corpus Christi sunt, docet, ducit ac gubernat Spiritus sanctus,ad obedientiam verbi sui,non contra illud. Verum eò cęcitatis prolapsi sunt isti miserrimi homines, vt omnes errores & abusus,quos maiores eorum,ac ipsi quoque in publicum religionis &actionum Ecclesiasticarum vsum & consuetudinem vnquam perduxerunt,vel adhuc ipsi quotidie comminiscuntur, Ecclesiæ continuò adscribant,eiúsque authoritate defendere & excusare conentur.

Ad alterum caput panis & Calix Domini duo sunt, non vnum tantum symbolum:& quodlibet eorum vnum sacramentũ est, panis Corporis,Calix verò sanguinis.Quid igitur obstat quo minus dicamus duo sacramenta ? Aduersarij tamen ipsi canunt in plurimis Collectis, Post Communionem, Sacramenta vel mysteria quæ sumpsimus, non Sacramentum vel mysterium.Item,Quos tuis reficit sacramentis,non sacramento.Quamuis cum tota Cœna Domini vnum sacramentum & vnũ mysterium sit,meritò etiam in singulari numero sacramentum vel mysterium appellatur. Nihilominus tamen panis Domini per se sacramẽtum corporis est,& calix sanguinis.

Ex solis verbis Domini possumus has res cognoscere, sicut etiam ex eo solo existunt, Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Iam verò Dominus de pane,non de Calice pronunciauit. *Hoc est corpus meum.*Et de calice,non autem de pane,*Hic est sanguis meus.* Cur igitur sapientiores esse velimus, Christo Domino ipso atque de pane dicere, *Hoc est corpus & sanguis.* Et de Calice, *Hoc est sanguis & corpus?* Sacramenta facere non nostrũm,sed solius Domini opus. In sua quidẽ persona Dominus corpus & sanguinem indiuulsa habet, & in S. quoque Cœna indirempta nobis præbet: nihilominus tamen ad exhibitionem corporis sui,panem & ad administrationem sanguinis sui calicem ordinauit & instituit. Quę nobis mutare illicitum est.

Ad tertium caput. In eo rursus calumniantur Aduersarij, ac verba in libro Reformationis posita peruertunt,quæ sic se habent.

Quandoquidem verò Dominus, cùm sacram hanc Cœnam institue-

ret, dixit, *Hoc facite in mei commemorationem*, monebunt etiam illud diligenter Concionatores, Deum ea vt faciamus præcepisse, quę ipse faciendа suo exemplo ostendit. Hoc ipsum ergo factum Domini proponere nobis oportet, neque ab eo nos quoquo modo discedere aut quicquam de eo immutare, etiamsi id Angelus de cœlo, aut Apostolus suaderet, aut iuberet.

In his verbis non legitur (omnia & singula) sed tantum (hoc ipsum) neque etiam (necessariò) Quæ duo vocabula (nempe omnia & necessario) aduersarij ex nimia cupiditate libros Archiepiscopi sui traducendi & sugillandi apposuerunt. Et quando liber dicit (Hoc ipsum) de eo loquitur, quod propriè & essentialiter ad S. Cœnam pertinet, de quo Dominus hanc vocem (Hoc) intellexit, non autem de omnibus quæ & inter cœnandum, & peracta Cœna egit, quę ad Sacramentum istud essentialiter non pertinent. Quamobrem hæc verba libri non ad lotionem pedum, quæ S. Cœnæ actionem præcessit, non ad tempus aut locum, non ad discumbendum, aut alios gestus, sed solummodo ad ipsam huius sacramenti actionem per se referri debet, eam videlicet quam D. Paulus Cœnam Domini vocat, 1. Cor. 11. Nempe vt in commune gratię agãtur, corpúsque & sanguis Domini cum ambobus symbolis pane & vino dispensentur ac percipiantur, in ipsius Domini commemorationem.

Ad quartum, Liber Reformationis Cyprianum non torquet, sed simpliciter ac fideliter citat: idque non contra vniuersam Christi Ecclesiam, sed aduersus eas tantùm quę institutione ac mandato Domini scienter & ex præsumptione neglecto, contrarium tueri ac defendere conantur. Enimuerò Cyprianus clarè scribit, Si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum ac plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Hęc ille. Iam si sacerdos iste, vice Christi in hoc sacramento fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur: necesse est illos sacerdotes vice Christi non fungi, qui id quod Christus fecit, non imitantur. Dominus autem omnibus iis, quibus panem porrexerat, calicem quoque distribuit. Ex quo quid aliud sequi potest, quàm eos, qui calicem in S. Cœna non distribuunt, vice Christi non fungi, sed verbum ac mandatum propter humanam traditionem reiicere & aspernari. Hi contra quos D. Cyprianus hæc grauissima verba & sentẽtiam ex S. scriptura seueriſſimam petitam pronunciauit, solebant ex abusu, qui tacitè apud eos irrepserat, & à maioribus eorum ad ipsos vsque deriuatus fuerat, quando calicem consecrabant, populóque distribuebant, aquam nõ vinum vsurpare. An verò leuius est, Calicem Domini populo penitus subtrahere, quàm inquam, pro vino in calice vsurpare. Qui Christum agnoscit, & hanc Epistolam Cypriani legeret, is nunquam dicet, librum Reformationis hæc Cypriani verba torquere, & in alium sensum deflexisse, quàm ab ipso martyre scripta fuerunt.

Refutatio rationum, quibus Aduersarij abusum dimidiati Sacramenti defendere, ac probare conantur, quòd Calicem in S. Cœnâ non distribuere, abusus non sit, sed pia communicatio & obedientia cum & erga Catholicam Ecclesiam. Quódque abusus ac opus schismatis sit, calicem dispensare, antequàm Catholica Ecclesia id ordinet.

In quo consistit vnitas Ecclesiæ.

CAP. LXXIII.

ADvtranque thesin confirmandam hoc argumento vtuntur, Ecclesiæ concessum est, in eiusmodi mandatis Domini, quæ externa signa vel opera cõcernunt, ordinare ac moderari, prout singulis tẽporib. ad ędificationẽ & propagationẽ Ecclesię conducere visum fuerit. Verũ S. Cœnã Domini sũb vna tantũ specie dispẽsare, donec vniuersalis aliter de eo decernat, ad ædificationem ac propagationẽ Ecclesię cõducit. Vnitatẽ enim Ecclesiæ cõseruat, & horrendũ schisma excitaretur, si Ecclesia aliqua calicẽ quoque distribuere tẽtaret, absque vniuersalis Cõcilij ordinatione. Ergo quãdiu Ecclesię alterius tantũ speciei dispensationẽ retinẽt, bonũ & vtilẽ vsum, nõ abusum obseruãt. Imò grauis esset & horrẽdus abusus, si vtramque speciẽ distribuere tentarẽt, antequàm ab vniuersali Cõcilio id sit permissum. Huius argumẽti caput ac nodus in eo cõsistit, Quid vera vnitas Ecclesiæ sit, quid itẽ schisma, & quid ad vtrunque conferre queat. De vnitate Ecclesiæ, & quib. in reb. illa cõtineatur, suprà in Defensione istius articuli dictũ est. Nẽpe quòd vera vnitas Christianæ Ecclesiæ cõsistat in vera deuotáque cõmunicatione syncerę ac salutaris doctrinæ Euãgelij, legitimi vsus sacramentorũ, ac Christianæ disciplinę. Iã Aduersarij ipsi fatẽtur, Christũ Dominũ, hũc sacramẽti istius vsum, nẽpe vt & calix distribuatur, instituisse, Ecclesięq. suæ cõmendasse: & quod ea lõgo tẽpore hũc vsum obseruauerit, quẽadmodũ adhuc nostro tẽpore Oriẽtales Ecclesię obseruãt.

Quod cùm ita sit, dici nullo modo potest, quod veri istius sacramenti vsus neglectus, conducat ad vnitatem & concordiam Ecclesiæ conseruandam: contra verò si idem in Ecclesiis collapsus restituatur, horribile schisma, ac detestandam conuulsionem corporis Christi excitatum iri. Vnitas Ecclesiæ vnitas Spiritus sancti est, Ephes. 4. Illa verò non patitur, tantum abest vt postulet, communicationem concordiámque in errore & abusu. Cuiusmodi manifestus abusus est, sacrosanctum hoc sacramentum diuellere ac dimidiare, solúmque panem, non etiam calicem Domini dispensare communicantibus.

Quamobrem omnes Ecclesiæ, quib. Dominus ea in re voluntatẽ suã patefecit, ac dat, vt verum legitimúmque huius sacramenti vsum apud se rursus admittant, dum hoc faciunt, reuera cum Christo Domino, cum Apostolis eius, denique cũ vniuersa Ecclesia Christi se vniunt, nõ autem ab vllo vero membro Christi seiungunt aut scindũt. Et qui pro-

pter hanc causam se ab illis separare vellet, is certè horrendum ac detestabile schisma excitaret: Quod certè nemo faciet, qui Spiritū Christi habet, estque plātatio Patris nostri cœlestis. Qui verò ex Deo plantati non sunt, propter eos nihil metuendum est, aut de obedientia Christi remittendum: quantumuis scandala accipiant, & à reliqua Ecclesia se scindant & seiungant.

Aduersarij D. Augustinum citant, contra literas Petiliani lib. 2. cap. 55. & 108. & lib. 3. cap. 40. testantem pluris valere apud Deum communionem spiritualem habere cum tota Ecclesia, quæ per vniuersum orbem diffusa est, quam cum paucis Sacramentalem. Quicunque enim membra corporis Christi per totum orbem dispersa nolunt agnoscere, quemadmodum tunc temporis Donatistæ faciebant, contra quos Augustinus in memoratis locis scribit, ij neque Christum Dominum ipsū agnoscunt. Ad eos dicturū ait Dominū, cùm seipsos iactabunt, dicentes, *Nos vnà tecum comedimus & bibimus. Non noui vos*, &c. Hi sermones ac doctrinę Christianæ sunt, quibus qui apud se locum non dat, easque re ipsa & opere non imitatur, is verus Christianus non est, nec verum mēbrum Christi. At quis agit cōtra eam? Certè Aduersarij, & omnes sectatores eorum, non autem qui Librum Reformationis imitantur. Nulla enim sunt membra Christi in toto orbe, quæ hi non libenter pro membris Christi agnoscant, paratique sint veram cum illis communionem Christi, concordiam & vnitatem obseruare. Aduersarij verò & eorum complices contrarium faciunt, Reiiciunt enim, damnant ac persequuntur, tanquam hæreticos & schismaticos innumera membra Christi, & totas Ecclesias, idque nullam aliam ob causam, quàm quod tanquā vera membra cum capite suo Christo, & omnibus commembris se vniunt, & coniungunt, in obedientia & communicatione omnium verborum & mandatorum Christi. Quare sibiipsis citare debuissent id quod D. Augustinus hoc in loco scribit: atque imprimis illud diligenter ponderare quod idem Pater in cap. 55 lib. 2. contra literas Petiliani, quem locum ipsi quoque adduxerunt, scriptum reliquit, *Quid est autem dementius, quàm Sacramentis Domini communicare, & verbis Domini non communicare?* sequitur in Augustino. Hi vtique dicturi sunt. *In nomine tuo manducauimus & bibimus, & aduituri, Non noui vos qui corpus eius & sanguinem in sacramento manducant & bibunt, & membra eius toto orbe diffusa in Euangelio non agnoscunt: & ideo cum eis in iudicio non computantur.* Iam vero præcipit Dominus, vt & ipsi obseruemus, & alios seruare doceamus, quęcūque mandauit ipse, Matth. vlt. omnésque eos pro commembris nostris in ipso, & fratribus agnoscere, qui idem nobiscum facere studēt. Matth. 10. & 14. Io. 13. & 15. Quid autem faciunt Aduersarij? Non tantum in tam multis ac manifestis verbis Domini, atq; idcirco in nullis penitus, nullam veram communionem habent, verum etiam damnant, & crudelissimè persequuntur omnes, qui eiusmodi communionem & vnitatem conseruare studēt. Iudicet ergo Christianus Lector, in quos dicta Augustini de schismaticis optimè quadrent. Imitatores Libri Reformationis nulla omnino membra, multò minus Ecclesias Christi reiiciunt, sed veram

Aug. de vnitate Ecclesiæ to. 7. pag. 544. Ego ipsam Ecclesiam requiro, vbi sit, Quæ audiendo, verba Christi & faciendo ædificat super Petram, & audiendo & faciēdo tolerat eos, qui audiendo & non faciendo ædificat super arenam.

ram ac Christianã communionẽ cum omnibus, qui se Christo Domino adiungunt,& tanquam verę oues vocẽ eius audiunt & sequuntur, libẽtissimè obseruant. Porrò vt errores & abusus contra verbũ Dei introductos,& fugiant ipsi,& alij ostendant,ac palàm redarguant,id ipsius Domini mandatũ est. Quamobrẽ qui ea in re cum ipsis concordare noluerit,is neque cum Domino consentit, sed alienus ac peregrinus est,quẽ oues Christi non audire,sed fugere ab eo debẽt. Aduersarij contendunt, Vnitatẽ & concordiã Ecclesiæ conseruare esse,Omnia ea recipere, amplexari & obseruare,quæ dicti sacerdotes in cõmunem ac publicũ vsum vnquã perduxerũt,& adhuc hodie perducunt,etiamsi directò,& ex diametro,quod dicitur, cum verbo ac mandato Dei pugnet. Eos verò vnitatem & communionem Ecclesiæ dissipare atq; cõuellere, qui vel ab vnico illorum abusu recedunt,quantũuis manifestè verbo ac præcepto Dei aduersetur. Cæterũ veris Christianis cognitũ est, Quòd vnitatem Ecclesiæ seruare in eo positum est,vt Christiani se inuicem in Christo Domino tanquã fratres & cõmembra agnoscant, in vera & Christiana dilectione,in communicatione doctrinæ,Sacramẽtorum, & disciplinæ Christi,in Oratione, promotione vitæ & conuersationis Christianæ, atque omnium eorum,quæ ad hoc quoquo modo conducere possunt.

Adducunt etiam Aduersarij,quod D. Augustinus contra temerarium & præsumptuosum quẽdam Vrbicum, hoc est,Romanum scripsit, qui propemodum omnes Ecclesias incessabat,& cõtumeliosissimè vilipendebat, propterea quod in die Sabbathi non ieiunabãt:de quo tamẽ nullũ habebat verbũ Dei. Quid verò hoc ad eos attinet,qui doctrinæ Libri Reformationis adhærent? Non enim pro humano figmento pugnãt,sed pro expresso mãdato Domini,eoque quod saniores Ecclesiæ,ante mille ducentos annos,pro mandato Domini agnouerunt & obseruarunt,contrarium verò ad obseruandum nunquam decreuerunt.

Ad hæc non lacerant Ecclesias verbis iniuriosissimis, quẽadmodum Romanus iste faciebat,quem D. Augustinus redarguit, sed mandatum Domini omnibus hominibus declarant & æquissimis, non iniuriosissimis verbis ex S. Scriptura petitis illos coarguunt, qui se illi opponunt, & reluctantur. Aduersarij verò multa millia Christianorũ & Ecclesiarũ condemnant, propterea quod ab ipsorũ abusu recedunt, & præcepto Christi rursus apud se locum dant. Iam igitur pronuntietur sententia pro quibus,vel contra quos scripserit Augustinus.

Quatenus Ecclesia Christi in S. Cœna ordinandi ac moderandi potestatem habeat.

Cap. LXXIII.

ADversarii, quò suo abusui fuco quodam patrocinari, eumque Ecclesiæ adscribere commodè possint, externas quasdam ordinationes Domini introducũt,de quibus Christiana Ecclesia partim aliquid mutauit,partim penitus ex vsu & consuetudine dimisit. In quo triplicem falsitatem committunt. Prima est, (quam

tamen argumentis magis insinuant, quàm apertis verbis proponunt) Christianam Ecclesiam habere potestatem, omnia illa mandata Domini, quæ externa vel opera vel signa concernunt, tam mutandi quàm omittendi. Altera est (quæ expressis verbis proponitur) qua Distributionem Calicis prohibere inter eas res numerant, in quibus Ecclesia ex spiritu Sancto ordinandi, dispensandi, ac moderandi facultatem habet. Tertia est, quę res quasdam vt ordinationes Domini introducunt, quæ neutiquam tales sunt.

Responsio ad primam partem.

QVod Ecclesia Christi potestatem habeat in omnibus rebus externis ordinandi ac moderandi, hoc est dispensandi, non autem eas mutandi vel penitus omittendi, quãdiu videlicet ordinationes Domini sunt, id certũ est. Quid autem est vera in talibus rebus ordinatio & moderatio, hoc est, dispensatio? quid item confusio, ac dissipatio? Christiana dispensatio est, quando externarum à Domino præceptarum obseruatio ita temperatur, & instituitur, quantum ad circumstantias tẽporis, loci, modi ac rationis pertinet, vt tãtò melius eo modo obseruari possint, quẽ mandauit Dominus: vtque finem, in quem ordinatæ à Domino sunt, vel obseruatione, vel prætermissione earum tanto commodius fœliciusque adipisci possumus. Nam dispensare aliquid, moderari & ordinare, est aliquid rectè instituere, & ad peculiarem suum & assignatum finem conuenienter dirigere. Quamobrem vbicunque ordinationes istiusmodi & moderationes in iis rebus, quas Dominus ipse commendauit, traduntur, per quas vel omnino vel aliqua ex parte, quod à Domino ordinatũ est, prætermittitur, vel ad eum finẽ, in quẽ ab ipso institutũ, nõ pertingitur, ibi certè confusio est ac dissipatio, nõ dispẽsatio.

Huius rei exẽplum videamus in S. Cœna. Ibi mandauit Christus idem hoc facere, quod fecit ipse: non quidem eodem tempore, aut iisdem omnino ritibus: neque denique omnibus illis adhibitis, quæ Dominus & ante, & in, & post hanc actionem fecit ac locutus est. Iam in eo ipso, quod Christus fecit, fieríque mandauit, cuiusmodi est doctrina, gratiarum actio, panis & calicis dispensatio, ac memoriæ eius celebratio, de his inquam omnibus vel aliquid mutandi, multò minus penitus omittendi, nullam authoritatem Ecclesia habet. Gloria enim Patris sui ea obseruare præcepit, vt testatur Paulus. Quoniam verò Ecclesia talem commissionem habet, vt externa omnia, & quicquid in Ecclesia peragendum est, ita instituant, vt ad ædificationem fidelium prosint: debet etiam in S. Cœna ita ordinare, moderari ac dispensare, quò illa piè & ad ædificationem vtiliter administrari queat. Ex hoc fundamento primùm omnium ordinauit Ecclesia de tempore, quo Sacramentum istud ita & in eum finem administraretur, in quem principio fuit à Domino institutum. Ordinauit igitur Ecclesia, vt iis temporibus celebraretur, quibus homines adhuc ieiuni sunt. Quæ tempora quilibet agnoscit ad deuotionem, religionémque magis esse accommoda, quàm sint ea post sumptum cibum.

Deinde

Deinde cùm tractatio S.Cœnæ, diuinissima maximéque spiritualis actio esse debeat, omnium quæ in Ecclesia Iesu Christi peraguntur, decorum sanè est,& ad augendam deuotionem accommodum, vt sola & per se,sine publica commessatione, vel aliis humanis negotiis pertractetur.Quare non solum D.Paulus,verumetiam Catholica Ecclesia decreuit,vt apud S.Cœnam nulla alia conuiuia fiant, nè pro pauperibus quidem, néue vlla corporalia negotia tractentur. Eiusmodi sunt veræ dispensationes,hoc est, ordinationes & moderationes quantum ad S.Cœnam pertinet. Ad finem enim huic sacramento propositum efficaciter tendunt.

Tertiò. Quandoquidem non ordinauit Dominus,quoties,aut vbi S.Cœna administrari,cuiusmodi doctrinæ, preces, gratiarúmq; actiones,& qua forma ibidem adhiberi debeant, neque etiam alias ordinationes & consuetudines,sacramenta conficienda,ministrandi ac percipiendi præscripsit, quæ tamen vtiliter obseruari possunt,rursus conuenit Ecclesiis Christi,& vnicuique per se, vt hac in re dispenset, hoc est ordinet,moderetur & disponat,quibus diebus,cuiusmodi, & quàm multis lectionibus,precationibus,hymnis,& gratiarum actionibus, aliisque decentibus rationibus ac formis hæc omnia pertractari, sacramenta consecrari,ac dispensari debeant: quò maiori cum deuotione mentis,ac pleniore pietatis prouectu apud quemuis populum hęc omnia exerceri & obseruari queant.

Hinc est,quòd quędam Ecclesiæ tantum diebus Dominicis,quędam aliis quoq; diebus sacrā Cœnā celebrarint:aliæ has, aliæ quasdā lectiones,precationes,hymnos ac ceremonias adhibuerint,quę adhuc nostro quoq; tēpore in libera omniū Ecclesiarū dispēsatione sunt constitutę.

Ad hunc modum potestatem habent Ecclesię etiam in aliis ritibus, quamuis à Deo ipso ordinatis & commendatis,cuiusmodi sunt,externi conuentus,dies festi,impositio manuum, alięque id genus ceremoniæ, dispensandi moderandi & ordinandi, quando,vbi, quomodo hæc omnia obseruari debeant. Et quoniam ad bonum & vtilitatem hominum vsurpanda &obseruanda sunt,sicut etiam propter salutem ac fœlicitatem eorum sunt à principio instituta:Ecclesia non minus authoritatem habet interdum omissionem istarum rerum concedendi, sicut Dominum de feriatione sabbathi fecisse constat.

Quod verò proptrea in potestate Ecclesię positum sit, integrum aliquod, támque excellens sacramentum, cuiusmodi est calix Domini ex populō Christi penitus remouere,adeò vt nunquam ministretur:& qui id ministrare tētaret,tanquam hæreticus & schismaticus condemnetur,id neque Angeli,neque homines in æternum probabunt,vel aliquod eius rei laudabile exemplum in medium proferre poterunt.

Dominus equidē nō minori religione calicē in manus suas sumpsit, gratias egit,ac discipulis suis dedit,quàm de pane fecerat. Præterea ad hoc sacramentum mysterium,omnium beneficiorum suorum,redemptionis nostri,& communicationis vitæ æternæ, pluribus,clarioribus, magisque solēnibus verbis enuntiauit,quā vel ad panē,vel vllum aliud

sacramentum & symbolum gratię. Ad sacrum Baptismum non plus dici commendauit, quàm, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus S.* Ad impositionem manuum nullum peculiare verbum ordinauit. Ad panẽ Eucharistię nõ plura quã accipite, comedite, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur, vel frangitur. Ad calicem verò dixit, *Accipite & bibite ex eo omnes, Hic est sanguis meus, vel nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum.*

Vides Christiane Lector, quàm clarum quámque insigne Euangeliũ Christus ad hoc sacramentum ordinauerit, vt meritò sanctissimum & excellentissimum Euangelium agnoscatur & censeatur. Quoniam enim verbum, postquam accedit ad elementum, sacramentum efficit, sequitur, vt quanto excellentiora sunt verba, tantò præstantiora sint & sublimiora ipsa sacramenta. Quamobrem nulli Christiano, nulli Ecclesię vel Angelo permissum est, sacrosanctum hoc sacramentum penitus è medio tollere, populóque Christi subtrahere, quod Dominus ad vtendũ suis tã seriò mãdauit & instituit. Potestatẽ quidẽ habet Ecclesia in sacramẽtis, quẽadmodũ & in aliis externis ordinationibus Christi dispẽsandi moderandi & ordinandi, nõ autẽ ea penitus è medio summouẽdi.

Secundò. Non licet Ecclesiis pro arbitrio suo, sed tantum ex rationabili causa, nempe ad ædificationem apud populum Christi Domini nostri promouendã, in mandatis Domini, quę res externas concernũt, dispensare moderari, aut ordinare. At quid ędificationis excogitari potest, quàm Christiano populo illud adferre possit, quòd sacrosancto sacramento sanguinis Christi spoliatur? contra apertissimam institutionem Christi, & puriorum atque à verè Christianis Episcopis administratarum Ecclesiarum consuetudinem & vsum? quem sicut à Christo Domino, & Apostolis eius ab initio acceperant, vltra mille ducentos annos per vniuersum mundum obseruarunt, & adhuc hodierna die in multis & magnis prouinciis obseruant.

Antonius in Chronica sua parte 2. titulo 16. cap. 5. D. prima: scribit Normannos cum duce suo Vilhelmo: nocte qua bellũ præcessit vacasse orationibus & mane Dominico corpori & sanguini etiam communicasse.

Si periculum effusionis prętendatur, ne per eam sanguis Christi dehonoretur, id certè longè maius fuit apud veteres S. Patres, quorum tẽporibus semper tam multa millia simul communicabant, quam sit nostro tempore, quo populus tam rarò communicat. Nihilominus tamen non ausi fuerunt veteres isti periculo tali ratione succurrere, vt propterea sanctissimum hoc sacramentũ ex populo Christi pertus amouerent. Cùm tamen veram contumeliam & ignominiam Christi præcauere, non in speciẽ tantũ, vt hodie, proh dolor, multis, sed maximoperè ac summè cordi fuerit. Cùm è contra Papæ & prælati isti, qui eo tempore illis Ecclesiis pręfuerunt, in quibus diremptio & dimidiatio sacramenti exorta est, etiam grauissimam blasphemiã & offensionem Christi parum admodũ curauerint: id quod longè miserrima gregum Christi dissipatio nimis manifestè declarat.

Si verò dicatur cum Gersone, istam sacramenti despoliationem eò conferre, vt sacerdos maiori in pretio & existimatione habeatur, quàm laici, manifestum tamen est, quod sacerdotibus perinde vt laicis, Calicem non ministrant: atque ita calicis dispensationem penitus tollũt,

quan-

quantúmque in ipsis est, ex Euangelio tollunt, quod Christus calicem dederit, darique præceperit, & vt omnes ex eo bibant, cõmendauerit.

Ad hæc istiusmodi discrimen Sacerdotum & Laicorum, contrarium est proprietati ac naturæ huius Sacramẽti vnitatis & cõmunionis Christi, per quam nos omnes vnus panis & vnum corpus sumus. Quam ob causam omnibus Christianis sicut vnus panis, ita etiam vnus potus proponitur, vt in perceptione huius Sacrosancti Sacramenti nullum omnino discrimen inter Sacerdotem & populum sit, aut iudicetur. Verum D. Chrysostomus aliquantò melius, quàm Gerson hanc rem intellexit, atque etiam id quod Dominus & Apostoli Ecclesiis commendarunt, diligentiùs fideliusque obseruauit. De quo legatur Homilia eius 18. in secundam Epistolam ad Corinthios.

Atsi quis dicat, Bonum esse calicem Domini dispensare ac valere ad tollendum istum errorem, quo homines putant corpus Christi sanguine destitutum esse; quam causam Aduersarij innuere videntur: demonstrari tamen non potest, illum errorem vnquam extitisse.

Quamobrem cùm nullæ rationes excogitari queant, quibus Ecclesia meritò impelli debuerit aut potuerit, ad calicem Domini penitus ex populo Christi summouendum, solent alij versutiores veritatis hostes, qualis est Pighius & Alphonsus, ad hoc confugere, vt dicant, Ecclesiam longo iam tempore calicis dispensationem omisisse. Ecclesiam verò errare non posse: Consuetudinem igitur istam & in posterum retinendam esse, siue rationibus ac causis fulcita sit, siue eisdem destituta. Sed neutrum eorum, quæ dicunt, verum est. Ecclesia enim vt Ecclesia Domini nostri Iesu Christi, hoc est, fideles, quatenus membra Christi sunt, & spiritu eius aguntur, hanc sacrilegam calicis spoliationem nunquam vel introduxerunt, vel approbarunt, sed eiusmodi homines id fecerunt, qui non per ostium intrant in ouile, sed per alios cuniculos furtim irrepunt. Adhæc omnes Ecclesiæ & Christiani, quandiu in hoc mundo viuunt, adhuc erroribus implicari & adhærere possunt, quatenus fragiles sunt & multa ignoratione laborantes homines. Longè grauiores abusus & errores, quàm iste sit, falsi Ecclesiarum Præpositi induxerunt: verùm id non fecerunt tanquam Christiani, & à Spiritu Christi impulsi, sed tanquam errabundi homines, per innatam cœcitatem, & astutias Satanæ in errorem abducti.

Quando igitur Aduersarij Despoliationem calicis per hoc excusare volunt, quòd potestatem habeat Ecclesia, in eiusmodi mandatis Domini, quæ res externas concernunt, dispensandi, ordinandi & moderandi, respondet Ecclesia Christi, se quidem potestatem habere in huiuscemodi mandatis Domini, quæ ad res extraneas pertinent, dispensandi: non autem penitus tollendi & abrogandi, quemadmodum Aduersarij calicem Domini nostri Iesu Christi tam à Sacerdotibus, quàm à laicis prorsus abstulerunt.

Secundò, Non potest dispensatio, moderatio vel Ordinario Ecclesiæ iure appellari, per quod ædificatio Ecclesiarum Dei promoueri auge-

riq̃ue nequit. Iam verò nemo est, qui vel vnicam ædificationis partem demonstrare queat, quæ ex hac substractione calicis ad Ecclesiam redũdare possit. Quin potius immensus & detestandus error ex ea est extortus, non tantum grauissimi schismatis, ac crudelissimæ persecutionis verorum Christianorum, quæ in & post Concilium Constantiense oborta & secuta est: verum etiam eius, quod homines in eum errorem abducti, ac postea in eo confirmati sunt, perinde ac si Missa aliud quoddam & insigne sacrificium sit, non autem Cœna Domini, in qua Sacrosancta Sacramenta tantummodo ad fidelem perceptionem confici ac dispensari debent. Per quem errorem omnis pietas ac timor Dei, veráque fides de redemptione facta per Christum penitus dissipata ac deuastata est. Necesse igitur est, vt totalem hanc calicis Domini, ac dispensationis eius sublationem, sinamus esse grauissimum sacrilegium, & abominandam operis ac mandati Iesu Christi peruersionem: nemóque vllo fuco ordinationem seu dispensationem Ecclesiasticam ex ea faciet, etiamsi multa millia filiorum Dei, ac verorum membrorum Christi sacrilegium istud ex ignorantia, sicut etiam alios abusus, longo iam tempore tolerarunt, ac simul exercuerunt.

Iam verò videamus exempla, quæ Aduersarij adducunt, ab probandum, Quòd Ecclesia potestatem habeat in iis mandatis Domini, quæ res externas concernunt, ordinandi ac moderandi, vel eas interdum penitus tollendi aut omittendi.

Primùm omnium introducunt Baptismum, ac de eo ita loquuntur, ac si mandatum Domini velit, quemlibet hominem prius doceri, quàm baptizetur.

Alterum est, Christum Dominum præcepisse, vt baptizandi omnino in aquam immergantur.

Tertiùm, Quòd etiam mandauerit ter repetitis vicibus in nomine Patris, Filij & Spiritus S. intingere. Quæ tria sint ab Ecclesia mutata.

Quartùm, Apostolos verba Baptismatis quoque mutasse, propterea quod tantummodo in nomine Christi baptizarint.

Harum quatuor citationum nulla vera est. Primùm enim non hoc vult mandatum Christi, vt quilibet homo antequam baptizetur, doceatur, quemadmodum Aduersarij cum Anabaptistis affirmant; sed quod Apostoli debuerunt primum omnium prædicare Euangelium omnibus gentibus: ac deinceps qui ei credidissent, facere Domino discipulos, ac baptizare: verum non minus liberos quoque illorum, quando eos Domino adducere voluissent.

Omnis enim qui credit ac baptizatus est, is iam verè est filius Abrahæ, & in eo fœdere Dei incluſus, quo seminis quoque sui Deum se fore pollicetur. Hoc est quod Apostoli Ecclesias docuerunt, à quibus ipsa accepit, vt infantibus quoque baptismum ministret. Quæ consuetudo sublata esset, vicissentque Anabaptistæ, si hoc verum esset, quod Aduersarij ipsis hoc loco concedunt, nempe mandatum Domini postulare, vt omnis homo antequam baptizetur,

tur, prius docentur. Porrò quod Aduersarij ex Nazianzeno citant, suadente vt paruuli quibus nullum imminet periculum, per triennium, vel paulò plus aut minus seruentur, quo & mysticum quid audire & respondere possint, vnicuilibet in promptu est videre, quid puer triennis in fide doceri aut confiteri possit. Quare Catholica Ecclesia hanc Nazianzeni opinionem nunquam secuta est? D. Cyprianus longo tempore ante Nazianzenum ex S. literis & traditionibus Apostolorum agnouit, infantes statim à partu piè baptizari posse. Lib. 3. Epist. 8.

Secundò: Neque immergere per se, neque ter repetitis vicibus id facere, præceptum Domini est. βαπτίζειν enim prout sacramentum regenerationis esse debet, aspergere quoque & perfundere significat, qua significatione Apostoli ipsi, & antiqui Martyres hanc vocem vsurparunt, & intellexerunt. Falsum verò est, quod Aduersarij D. Cypriano adscribunt, nempe, Ipsum eos etiam rectè baptizari declarasse, qui non toto corpore in aquam immergerentur, sed aqua Baptismi tantũ perfunderentur: propterea quod totius corporis immersio interdum non admodum benè cederet infirmis plerisque: hac enim de re ne vnicum quidem verbum in ea Epistola habetur. Sed interrogatus erat D. Martyr, Vtrum ij qui in infirmitate & languore baptizati fuissent, haberi essent, legitimi Christiani, propterea quòd aqua salutari non loti essent, sed perfusi. Ad quam quæstionem respondet, *Aspersionem aquæ instar salutaris lauacri obtinere, modò donum Dei integra fide ibi & detur & accipiatur.* Vide Lector Epistolam illam, quam Aduersarij citant, quæ est septima libri quarti.

Gregorius primus li. 1. epist. 81. (quem locũ citant aduersarij) reiicit omnino trinam mersionẽ in aqua baptis. propterea quòd hæretici eã vrgent: ne, inquit se morem nostrum ordine 50. vicisse glorientur, tamen ij quacunque hæretici potuerunt canonem Apostolorum qui est pro se afferre, si modo canones Apostolorum sint.

Iam quemadmodum ex ordinatione Christi de Baptismo concludi nequit, Vnumquemque primum omnium esse docendum, ac deinceps baptizandum: vel quod baptizandi omnino in aquâ immergendi sint, vel semel, vel tribus distinctis vicibus: sic etiam probari non potest, Apostolos eum baptizandi modum, quem instituit Dominus, videlicet in nomine Patris, & Filij & Spiritus S. immutasse. Baptizare enim in nomine Christi, quemadmodum Apostolos fecisse, aliósque vt hoc modo baptizari se permitterent, hortatos fuisse legimus, nihil aliud est quàm baptizare ac baptismum percipere, sicut præcepit Dominus: & propterea in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Ex his omnibus perspicuum est, Aduersarios ex omnibus his quæ de Baptismo adduxerunt, nondum comprobasse, quod Ecclesia mãdatũ & institutionẽ Domini circa Baptismatis administrationẽ mutauerit, multò minùs aboleuerit, penitúsque è medio sustulerit, quemadmodum Aduersarij de Calicis dispensatione facere audent. Mandatum enim Domini non vult, vt quilibet baptizandus prius doceatur, antequam baptismum percipiat, neque vt penitus toto corpore in aquam immergatur, idque vel semel, vel tribus distinctis vicibus, quæ quondã fuerũt, sunt que adhuc nostro tẽpore liberæ cõsuetudines & ordina-

tiones Ecclesiæ. Non magis demonstratum est, Apostolos aliter quàm Dominus præcepit, baptizasse, videlicet in nomine Patris filij & spiritus sancti. Alioquin enim non in nomine Domini, & iuxta præceptum ipsius baptizassent. Reperiri igitur nō potest, Apostolos aliquid solum de mandato Domini circa Baptismum immutasse.

Porrò quòd Aduersarij de iis adducunt, qui ab hæreticis Baptismum perceperunt, perinde ac si scripturæ magis consentaneum sit, tales à Christianis ministris rebaptizari, cùm tamen Ecclesia contrariam consuetudinem obtineat, id ipsorum tantummodo figmentum est, & nihil in hanc causam importat. De tali enim Baptismo ab hæreticis ministrato ac percepto nullum habemus mandatum Domini, quod vel immutatum aliquando sit, vel prætermissum, aut penitus è medio sublatum. Ad hæc S. literis consonans est, verba & sacramenta Domini propter minus idoneum ministrum inefficacia non esse. Quapropter veteres quoque huic sententiæ astipulati sunt quemlibet Baptismum, iuxta præceptum Domini ministratum pro Baptismo Christi habendum esse, siue bonus, siue malus Christianus sit, siue hæreticus, siue existens in communione Ecclesiæ qui eum administrauit.

Post hæc circa S. Cœnam nonnulla proferunt Aduersarij, vt est lotio pedum, quam Dominus ante Cœnam peregit, tempus item vespertinum, quo Dominus Cœnam suā celebrauit, habitus quoque discumbendi, quo vsus est Dominus. Quibus rursum conantur hominibus persuadere, quod Ecclesia externas Christi ordinationes mutarit, atq; etiam penitus aboleuerit. Quod tamen ex his non magis, quàm ex Baptismo concludi potest. Primum enim quantum ad lotionem pedum pertinet, constat, eam apud Christianos nunquam pro vniuersali sacramento habitam fuisse. Cui testimonium perhibent omnes antiqui, qui hæc Domini verba (si ego magister & Dominus laui pedes vestros, & vos debetis alterius lauare pedes) de promptitudine obsequij, quod nobis inuicem præstare debemus, quódque Dominus vilissimo hoc lauandi pedes ministerio significauit ac docuit: non autem idcircò præcepit, vt præcisè idem istud signum exerceatur & vsurpetur. Adhæc etiamsi Lotionem pedum pro signo quoque vsurpare vellemus, nihil tamen aliud est, quàm symbolū dilectionis & obsequij nostri erga proximum, non autem sacramentum donorum Christi, quæ per id nobis exhibere & tradere vellet, cuiusmodi est calix Domini. Præterea quæcunque vera sacramenta sunt, ea non debet vnusquisque alteri: sicut Dominus de lotione pedum loquitur, sed publicus minister Christi nomine ipsius vniuersæ Ecclesię Dei administrare. Iam verò Dominus de Lotione pedum ita locutus est, Et vos alter alterius lauate pedes.

Neque etiam verum est, ex D. Augustino colligi posse, vt Aduersarij scribunt, Christianissimum istud opus (Signa enim istis hominibus excellentissima & Christianissima opera sunt, quandoquidem libentius bene significant, quàm bene operentur) non aliam ob causam intercidisse, quam ne putetur esse rebaptizatio. Scribit enim D. Augustinus, quos-

quosdam noluisse hanc consuetudinem recipere, ne ad ipsum sacramentũ Baptismi videretur pertinere: Non dicit, Hunc ritum propterea abolitum esse: sed, Nunquam vsu receptum: neque etiam rebaptizationis meminit. Verum hoc hominum genus quicquid placuerit pro arbitrio & scribunt & loquuntur: eos enim ad quos scribunt, sperant nostram Apologiam non lecturos.

De tempore vespertino, modóque discumbendi, etiam nihil mandauit Dominus. Neque enim dixit, Hoc facite hoc vel illo tempore: discumbentes, aut sedentes, stantes, aut flexis genibus: sed simpliciter, Hoc facite in mei commemorationem. Apostolus nullibi dicit, quod vel Corinthios, vel alios docuerit, vt S. Cœnam præcisè eodem modo celebrarent, sicut ipse accepisset à Domino, sicut Aduersarij beato Apostolo Paulo verba sua peruertunt, sed dicit: A Domino accepi, quod & tradidi vobis, Hoc, hoc dixit, non hoc vel illo modo, multò minus eadem omnino ratione & modo, vt Aduersarij perperam ponunt. Ex quibus iterum manifestum est, Eos neque de ritibus Cœnæ Dominicæ quicquam protulisse, quod ad id probandum valeat, Ecclesiam habere potestatem ea mandata Christi, quę res externas concernunt mutandi & abrogandi.

Tantundem efficiunt citando alios quosdam externos ritus, cuiusmodi sunt sanguine & suffocato vesci quod aliquando prohibitum fuerit. Sabbatho diéque Dominico operari: viros apertis, mulieres verò velatis capitibus orare. Constat enim ordinationem de non manducando sanguine & suffocato suo tantùm tempore mandatam fuisse. Sabbathum verò nec Dominus, nec Ecclesia omnino sustulit, quemadmodum Aduersarij de dispensatione calicis fecerunt. Sic nemo est, qui ordinationem de velando vel retegendo capite tollat, quam Paulus ad Corinthios docet.

Si quis esset, qui vinum bibere non posset, & tali solus panis Domini porrigeretur. Item, Si corporis infirmitas, vel alia quædam necessitas opportuna loca & tempora excluderet, S. Cœnam Domini vtiliter & cùm fructu administrandi: & tunc in eiusmodi casu vniuersa Cœnæ administratio differretur, hæc sanè esset Ecclesię in hoc sacramento dispensatio, quæ illi iuxta exemplum & verba Domini de sabbatho licita esset & concessa. At integrum sacramentum, cuiusmodi est dispensatio calicis Christi, vniuersæ Ecclesię penitus substrahere, id ei nullo modo licet. Quare cùm hoc Sacramentum integrè administrandum sit, donec veniat Dominus, nulla ratione cum ista Apostolorum ordinatione, comparari debet, qua præceperunt Apostoli, vt abstineretur à sanguine & suffocato: quod iamdudum desiit esse pręceptum Spiritus Sancti.

His omnibus planum factum est, Aduersarios hęc ambo sine fundamento scripturæ ac veritatis posuisse, nempe quod Ecclesia in omnibus mandatis Domini, quę externos vel ritus vel opera concernunt, potestatem habeat abrogandi, omittendi, interdicendi: ac rursus authoritatem vsurpandi, instituendi & obseruandi ea de quibus nullum extat omnino mandatum Domini. Instituere quidem & ordinare eatenus Ec-

clesia potest, quatenus ordinationes eius in eum finem efficaciter tendunt, vt mandata & ritus quos tradidit Dominus, decenter & ad ædificationem obseruentur, nullo modo aut penitus antiquentur. In hoc consistit Ecclesię dispensatio: non autem eò se extendit, vt vllum eiusmodi mandatum Domini prorsus, abolendi & interdicendi potestatem habeat & facultatem.

Sic etiam illud cum veritate pugnat, Quòd dispensationem Calicis omittere, vel prohibere sit pro dispensatione Ecclesiæ habendum & iudicandum. Eius enim vtilem ad ędificationem causa demonstrare potest.

Quod alteram speciem sacramenti Christianis in genere auferre, graue sacrilegium sit.

Cap. LXXIV.

ITAQVE Calicis Christi dispensationem omittere vel interdicere, est ac semper manebit grauissimum sacrilegium, quēadmodum Papa Pelagius agnouit: cuius decretum omnino pro veritate Christi, cui Liber Reformationis adhęret, facit: tantóque grauius damnat Aduersarios cum omnibus assęclis & complicibus suis quam eis contra quos Decretum istud ab initio factum est, quantò grauius est, quod non solum ipsi calicem Domini non sumunt, sed aliis quoque sumere interdicunt. Hic Papa Pelagius non dicit, eos tantummodo sacrilegium committere, qui calicem Domini non vnà cum pane ex superstitione quadam percipiunt. Meminit quidem eos contra quos tunc temporis Decretum istud fecerat, ex superstitione quadam hoc fecisse. Verum non idcirco eos sacrilegij crimine liberauit, qui calicem Domini in S. Cœna, non quidem ex superstitione, percipere omittunt. Id enim nemo, qui modò calicē Domini, permittēte natura sua, & iuxta verbum Domini percipere valet, nisi ex superstitione, vel temerario contemptu prędcepti Christi, facere potest. Quandoquidem vt iam antea probatum est, nulla vtilis ad ædificationem promouendam causa proferri potest. Clara enim ac manifesta est institutio mandatúmque Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum etiam pia ac sedula imitatio Catholicæ Ecclesiæ Christi: Orientalium quidem Ecclesiarum à principio vsque ad hæc nostra tēpora: Occidētalē verò vsq; ad illud tēpus, quo Antichristus, non in hoc tantū, verūetiā in aliis grauioribus ac maioris momenti negotijs ordinationē Domini corrupit ac peruertit.

Iniuriam quoque faciunt Aduersarij D. Cypriano, in eo quod scribunt, Eum propter hanc causam illos redarguisse, qui superstitiosa abstinentiā à vino, aquam loco vini in calice Domini vsurpabant, quod in externis rebus aliud constituere voluerint, quàm Catholica Ecclesia Christi obseruabat. Verum propterea illos reprehendit, ac erroris inde conuicit, quod in hoc sacramento aliter agebant, quàm Dominus præcepisset. Atque idcirco testatur, Quod si Christiani, & serui Dei esse velimus,

limus, respiciendum nobis sit, non quid alij homines antè nos fecerint, sed quid Dominus noster Iesus Christus antè ipsos fecerit, qui est antè omnes. Videatur hæc Epistola.

Quæ quomodo contra calicis sacrilegium arguat, suprà indicatum est. Agnoscit sanctus iste martyr, clarisque testimoniis scripturæ probat, omnes illos verbū Dei & mādata eius horribiliter abiicere, qui in S. Cœna nō faciūt id ipsum quod fecit Dominus: nec dispēsant, quod ipse dispēsauit. Iā verò Dominus calicē omnibus iis, quibus panē porrexerat, distribuit, ex eóque omnes illos bibere iussit. Quod Aduersarij facere nō modò non contemnunt, verumetiam interdicunt, & tanquam hæreticos schismaticósque damnant & persequuntur, quicunque ad exemplum Domini hoc faciunt: perinde ac si vnitas concordiáque Ecclesiæ consistat in omissione mandati nostri Iesu Christi. Quamobrem seria istius martyris reprehensio reuera non minus ad Aduersarios nostros pertinet, qui populo Christi calicem Domini nostri Iesu Christi penitus non ministrant, quam ad eos pertinuit, qui aquam pro vino in calice populo porrigebant. Iudicium esto penes Christianum lectorem.

Neq; hęc etiam Sophisticatio alicuius pōderis est, qua aliàs Aduersarij vti solent, Dominū solis Apostolis calicē distribuisse, qui omnes sacerdotes fuerint. Ipsi enim nec sacerdotibus calicem præbent. Adhæc, nondum erant Apostoli tunc temporis in sacerdotes ordinati, sed iamprimum post, quando Christus Spiritum sanctum eis dedit. Et sit sanè, quod in S. Cœna sacerdotes fuerint, Dominus tamen ipsis non vt sacerdotibus, sed ipse vt sacerdos, illis tanquam discipulis suis calicem dispensauit. Sic enim in Matthæo scriptum est, Dedítque discipulis suis, non dicitur Apostolis vel sacerdotibus. Ex quo manifestò consequitur, Calicem Domini nostri Iesu Christi ad eos tantummodo pertinere, qui sunt discipuli eius.

Quod cùm ita sit, sequitur hoc inde. Nullam Ecclesiam in obseruatione & administratione S. Cœnę, calicísque dispensatione iuxta mandatum Domini, neque alias Ecclesias, neque generalem omnium Ecclesiarum consensum debere expectare. Habentes enim verbum Christi, nulli nobis vel homines vel angeli respiciendi aut expectandi, quantumuis ingentia & præclara de se polliceantur. Qua obedientia & imitatione verbi diuini nos, quemadmodum cum Christo capite, ita etiam cum omnibus veris commembris in ipso, Ecclesiísque illius iamprimū verè coniungemus ac vniemus: tantum abest, vt hoc facientes ab vllis Ecclesiis, aut Christianis nos separaturi, & auulsuri simus.

Erúntque non Christiani sed Antichristiani, non Ecclesię Iesu Christi, sed synagogæ Antichristi, quę propter hanc causam ab vllis Christianis vel Ecclesiis se segregare rescinderéque volent, etiamsi hoc errore falsáque persuasione vel maximè implicatæ sint, quasi po-

Gregorius primus vti suprà lib. 1. Epistola 41. scribit. In vna fide nihil dispensando officit sancta Ecclesia consuetudo diuersa: ergo quid nocet Ecclesiæ si Anglia vtitur sub vtroque sacramentum, si liberum sit: vel si proprius ad Christi institutum pertinet. Quod scilicet sine ope rerè timendum est.

testatem habeant, calicem Domini in S. Cœna supprimendi. Qui cunque enim donatus est Spiritu Christi, is pro commembris suis in Christo omnes illos agnoscit, qui se Iesu Christo vera fide tradunt, eique fideliter adhærent. Quamobrem Concilium Constantiense, condemnando obedientiam Christi circa hoc sacramentum, nimis clarè demonstrauit, quòd nihilominus quàm Christianum Concilium fuerit.

De spirituali & Sacramentali perceptione huius Sacramenti.

Cap. LXXV.

NVM adhuc restat contra Aduersarios defendendum. In secundo paragrapho Articuli de Communione sub vtraque specie scribunt, verissimum esse, sacramentum istud institutum potius ad hoc, vt spiritualiter ipsum percipiamus, quam secundum externam speciem, quanquam & ita interdum sumere oporteat. Cùm Christus ipse, vbi de manducatione sui corporis, & potatione sanguinis sui loquitur, ita dixerit, *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam*, &c. Citant etiam ibidem quædam dicta Augustini ad spiritualem perceptionem extollendam, extenuandam verò sacramentalem.

Responsio.

HOc loco rursus animaduertat Christianus lector spiritum istorum hominum, & qualibus de rebus pugnent, quámque absurdos planéque impios sermones effutiant. Dicunt enim sacramentum istud institutum potius ad hoc, vt spiritualiter ipsum percipiamus, quàm secundum externam speciem. Hanc orationem quomodocunque flectas aut torqueas, semper tamen Christo & aperto eius aduersatur. Si enim spiritualem huius sacramenti perceptionem intelligant, vt id vera fide percipiatur, & tamen etiam corporaliter, tunc ob hanc solam causam est à Domino institutum, nullo modo autem alia id ratione percipere cõcessum. Dici igitur nequit, Quod Dominus id potius instituerit, vt spiritualiter sumatur, quàm corporaliter. Si verò dictum suum de spirituali perceptione intelligere velint, sine sacramentali, Christus sacramentum suum in hunc finem non instituit. Panem enim porrigebat, iubebátque ipsum accipere & comedere etiam corporaliter, sicut & Calicem bibere. Quare spectaculum ex S. Cœna facere, ac multa de spirituali perceptione ibidem exercenda confingere velle, sine reali sacramentorum perceptione & manducatione, quam Christus Dominus noster præcepit, mandato Dei manifestè repugnant.

Præterea citant ipsi Aduersarij D. Augustinum, dicentem, Quòd spiritualis manducatio sit credere in Christum. Quod si ita est, quo modo dici poterit, nos debere Christum spiritualiter percipere, non autem sacramentum, præsertim si percipere credere est? Neque enim in sacramen-

cramentum, sed in Christum, qui se nobis per sacramentum exhibet, credendum est. Et hic solus verè cœlestis ac spiritualis cibus est, qui nobis satisfacere debet, quotiescunque sacramentis destituimur. Tunc enim hęc valet sententia, Vt quid paras dentem ac ventrem? crede & manducasti. Quando verò sacramentis potiri possumus, volumúsque illis communicare, faciendum id nobis omnino est iuxta mandatum Domini: non spectacula ex iis facienda, perceptióque spiritualis per solam contemplationem, non autem manducationem exercenda. Euangelium habemus, per quod iugiter Christum spiritualiter percipere debemus, hoc est verè fideli spiritu, qui Christum ipsum apprehendat & manducet. Cúmque sacramenta ad promouendam eiusmodi perceptionem vsurpare: volumus, in quem finem à Christo Domino ordinata & instituta sunt, oportet, vt ea non in alium vsum conuertamus, quàm ipse Dominus præcepit: sed in eo permaneamus, quod Dominus dicit ac mandat, *Accipite & comedite, Accipite & bibite*, &c.

Circa istum Articulum hoc quoque notet Christianus Lector, In toto Antididagmate cuiuis in promptu est videre, præcipuas Aduersariorum accusationes contra Reformationem nostram hisce duobus capitibus principaliter contineri, quorum primum est, Quod in libro Reformationis non omnia signa, quæ hactenus apud ipsos in vsu fuerunt, in posterum quoque ad vsurpandum ordinari & stabiliri. Cuiusmodi sunt circa Baptismum quidem, oleum, Chrisma, sputum, lucernæ, & id genus alia. Circa Confirmationem verò oleum, Circa S. Cœnam Aqua, vestimẽta, cruces, aliáque similia signa. Horum omnium significationem, ac spirituale ipsum, cui ea inseruire debent, quantumuis diligenter doceat ac promoueat Reformationis liber, nihilominus tamen non sufficit, sed magnum oportet esse piaculum, si aliquod eorum silentio prætereatur. Alterum principale caput est, Quòd liber Reformationis non omnes antiquas consuetudines & ordinationes Ecclesiarum prescribit, & obseruandas ordinat, quantumuis externæ sint, & exiguam admodum vim ad pietatem habeat eorum obseruatio, imò interdum plus impedimenti adferat, quàm adiumenti.

Iam verò circa sanctissimum istud sacramentum, externum Calicis signum satis extenuare non possunt: è contra verò libertatem Ecclesiæ & potestatem, externas ordinationes, quantumuis antiquæ & sanctæ sint, mutandi, imò etiam penitus abrogandi, extollere. Hoc autem symbolum calicis, ac dispensationis eius ordinatio est à Domino ipso instituta, & ab omnibus antiquis tamen sanctè & religiosè obseruata, in Orientalibus quidem Ecclesiis in hodiernum vsque diem: in Occidentalibus verò vltra mille ducentos annos.

Quî fit igitur, vt sanctissimum istud externum signum, à Domino ipso institutum, & per tot annorum centenarios, vsque ab initio in omnibus Ecclesiis summa cum religione obseruatum, ab istis hominibus tantoperè vilipendatur, imò penitus extenuetur & nihili fiat? Quare tam peruersa, depraua táque ratione ea tractant? Et quare non dicatur schisma, grauísque dissipatio Ecclesiæ, cum omissione dispensationis

Calicis, sed à Christo Domino, à sanctis Apostolis, ab omnibus antiquis, denique etiam ab Orientalibus Ecclesiis, quæ adhuc nostro tempore supersunt, seiungere? Quæ tandem huius rei causa esse potest?

Hoc hominum genus dominari vult in Ecclesia Dei, nulliúsque erroris vel delicti penitus coargui. Quamobrem quantumuis manifestè & horribiliter omnia signa, & externi ritus, qui adhuc apud eos in vsu versantur: quantumuis & diligenter, spirituale, quod per eiusmodi signa significatur, & ad omnes eiusmodi ritus inseruire debent, per verbum ac meliorem rationem vsúmque in populo Iesu Christi promouetur: nihilominus tamen sectas & schismata eos in Ecclesia excitare clamitant, qui talia non modò superuacanea, verumetiam scandalosa signa & cæremonias tollunt, etiamsi iudicari non possit, vnde primùm omnium originem suam traxerint: Econtra verò huiuscemodi signa & ritus intercidere permiserunt, quos Christus ipse instituit, & obseruari seriò præcepit, sanctíque Apostoli, & omnes antiquę Ecclesię quàm diligentissimè obseruarunt. Schismaticos autem esse oportet, pacisque & concordię Ecclesię disturbatores, quicunque talia signa & obseruationes sine eorum permissu iuxta verbum & mandatum Domini prisco pióque vsui restituere tentant. Hîc carnem nihil quicquam prodesse necesse est, omnia autem sine signis & ceremoniis externis in spiritu peragi oportet. Ibi Ecclesia plenissimam potestatem habet in omnes eiusmodi externas res. Dignetur Dominus Deus populum suum ab Antichristiana tyrannide ista liberare.

Certum est Dominum gratiam suam, & opus salutis nostræ nulli externo signo vel ceremoniæ alligasse: item, Nos posse Christum Dominum nostrum, verum Manna, ac panem qui de cœlo descendit in solo Euangelio percipere ad vitam æternam, non tantum sine calice, verumetiam sine pane Domini. Quódque quotiescunque illis iuxta institutionem Iesu Christi potiri non possumus, siquidem vera & indubitata fide credamus Euangelio, nihilominus carnem Iesu Christi manducemus, & bibamus sanguinem eius ad vitam æternam. Quando verò Dominus dat, vt in nomine ipsius conuenire, & S. eius Cœnam iuxta institutionē illius celebrare possimus, tunc sanè si id facere neglexerimus, aut non iuxta verbum & mandatum eius fecerimus, nullam aliam ob causam id fieri potest, quàm quod Iesum Christum Seruatorem nostrum, in hac sua institutione & ordinatione S. Cœnæ non rectè agnoscimus, tanquā Deum & Saluatorem nostrum, qui, vt in cæteris rebus omnibus, ita & in hoc præcepto suo id mandauit & instituit, quod nobis indubitato (siquidem id ea ratione, & in istum finem, sicut ipse nobis ordinauit & tradidit, vsurpare velimus) ad salutem nostram certissimámque promotionem spiritualis perceptionis corporis & sanguinis eius inseruiet: miseróque homines prudentiores & sapientiores iudicamus Seruatore nostro Iesu Christo, æterna sapientia Patris, qui nostræ salutis tam cupidus est, vt propter eam sanguinem suum effuderit, & pro nobis cùm adhuc inimici sui essemus, mortem sustinuerit.

Verum

Verum sanè est, Ecclesiam habere potestatem in externis ordinationibus Domini dispensandi, moderandi & instituendi, & interdum, sed non nisi conuenienti tempore eas differendi, nunquã verò penitus tollendi vel immutãdi, quẽadmodũ Aduersarij in S. Cœna facere ausi sunt.

Cæterùm ex S. scriptura, ex doctrina & exemplis Mosis, Sanctorum, Prophetarum, Apostoli Pauli, & antiquorum verorum Episcoporum, beatorúmque martyrum, inprimis verò ex allegata Epistola D. Cypriani, quæ tertia est libri Epistolarum secundi, non autem ab hominibus istis, qui omnia mandata Dei tam internas quàm externas res concernentia, tanta impudentia ac temeritate contemnunt, pedibúsque conculcant, discere debent Christiani, quanti faciendum sit, quantáque diligentia obseruandum, quicquid externorum signorum & rituum Seruator noster Christus ipse nobis mandauit & instituit. Hactenus de isto articulo.

Sexta pars.

De Communione apud S. Missam. Vtrum S. Cœna sine communicantibus: & in vna communitate congregata plures, an verò vna tantum Cœna celebrari debeat: item an homines apud S. Cœnam absque Sacramentorum perceptione præsentes adesse possint.

Cap. LXXVI.

Liber Reformationis ordinauit, vt Pastores in vna communitate simul eodémque tempore non plures quàm vnam S. Cœnam administrent, & vniuersum populum ad Christianam sacramentorum communicationem fideliter hortentur. Cæterùm quò melius hoc sacratissimum sacramentum ab omnibus fidelibus intelligatur, & in verum vsum perducatur, ordinauit, vt Pastores Dominicis tantùm & festis diebus vel aliàs cùm tota Ecclesia Christi congregata est, S. Cœnam Domini administrent. Hanc ordinationem calumniantur & traducunt Aduersarij, recipiúntque in se probare, quòd non sit necessarium, vt singulis missis tota congregatio intersit: neque etiam oportere, vt omnes præsentes simul communicent: sed posse missam piè celebrari, etiamsi ad eam non tota ecclesia conueniat, simúlque communicet. Atque hoc modo subinnuere volunt, quasi liber Reformationis doceat, Necessarium esse vt ad vnamquamque missam tota Ecclesia conueniat: nullámque celebrãdam esse, cui non tota communitas præsens intersit, ac simul communicet: id quod in Libro Reformationis nullibi positum inuenietur. Sed hoc in eo positum est, quod iam antè cõmemorauimus, nempe vt missę celebrentur, quando tota congregatio collecta est, vtque in eadem communitate non plures quàm vna S. Cœna administretur: denique vt homines ad communicandum non cogantur, sed sedulò ac fide-

liter admoneantur: id quod Aduersarij ipsi exemplo Christi consentaneum, primúmque & Christianum esse confitentur. Videat Christianus Lector, quid Liber ea de re tradat & ordinet.

Controuersiæ igitur inter Librum Reformationis & aduersarios quantum ad hunc articulum pertinet, his tribus quæstionibus continetur. Quarum prima est, Vtrum liceat S. Cœnam Domini sine communicantibus celebrare. Altera, Vtrum permissum sit, plures quàm vnam missam vel Cœnam Domini simul eodémque tempore celebrare. Tertia, Vtrum reprehensione careat, S. Cœnæ præsentem interesse, sacramenta verò non percipere.

Ad tres istas quæstiones omnes respondet Liber Reformationis vnà cum antiquis Ecclesiis, quæ adhuc verum intellectum vsúmque huius sacrosancti sacramenti retinuerunt, sicut eum à Domino ipso per Apostolos acceperant, dicitque nullum istorum tum licitum ac concessum esse. Huius verò negationis euidentissimæ constãtissimæque causæ habentur in citatis locis Libri Reformationis, ex institutione Christi, doctrina D. Pauli, dogmatibus item, traditionibus & obseruationibus veteris Ecclesiæ productæ. Eas inspiciat, ponderétque Christianus lector simplici ac Christiana mente, & tunc iudicetur inter Librum Reformationis & Aduersarios.

Refutatio illius quòd Aduersarij pro errore & abusu suo introducunt, quo missam sine communicantibus celebrant.

De Communione apud Missam.

CAP. LXXVII.

PRIMVM argumentum quod pro abusu isto adducunt, est, Dominum hoc sacramentum propterea instituisse, vt quotquot vera fide & deuotione peterent, quoties eis videretur, aut necessitas requireret, ipso frui possẽt, qua in re nec multitudo, nec paucitas hominum, nec tempus nec locus eos remorari debeat. Sacerdotem igitur non malè facere, si solus sacramẽta percipit, etiamsi nemo cum eo communicet, si tamen non omittat admonere populum, vt ad communionem frequentiùs se preparet.

Alterum argumentum est, Communionem huius sacramenti nõ cõsistere in externa sola sumptione sacramentali, sed præcipuè in æterna spirituali, Et sacerdotem in S. Cœna non tantum orare pro præsentibus, verumetiam pro absentibus. Ad hanc thesin confirmandam citant S. scripturam de Cœna Dominica, sanctos item Patres, Augustinum, Ignatiũ, Chrysostomum, & deinde dicũt, spiritualem communionem, & orationem bene peragi, exerceri ac promoueri posse, sine sacramentali perceptione. Ac demum concludunt, Sacerdotem igitur posse missam celebrare sine communicantibus. Obseruet Christianus Lector cuiusmodi Theologi & dialectici sint Aduersarij.

Tertium

Tertium est, Quo probari posse aiunt, tam occidentales quàm orientales Ecclesias partim quotidie, partim frequenter missam celebrasse: ex populo verò quosdã in festo Paschatis tantùm, quosdã ter aut quater in anno communicasse. Vnde concludere volunt, veteres Episcopos sæpenumerò ac frequenter missam sine communicantibus celebrasse.

Responsio.

AD primum argumentum. Institutum quidem est sacrosanctum istud sacramentum à Domino, vt quicunque vera fide & deuotione id petunt, eo frui & debeant & possint. Verum qui solida fide id petunt, ij certe non aliter nisi iuxta institutionem & ordinationem Domini id facient. Iam verò institutio Domini talis est, vt fideles hoc sacramentum in commune, ac simul congregati, percipiant: id quod Dominus ipse in prima Cœna obseruauit, & in posterum obseruari præcepit, vt testatur D. Paulus, ex eóque concludit, *Non esse Cœnam Domini seruare, vbi non in commune celebratur, sed quælibet secta suam propriam Cœnam administrat*: hortatúrque vt fideles apud se Cœnam se mutuo expectent, eámque in commune celebrent, 1. Cor. 11.

Ægroti ad Ecclesiam se conferre nequeunt, meritò igitur Ecclesia per aliquos ministros suos ac membra ad ipsos accedit. Nihilominus tamen apud ipsos quoque, vt in Libro Reformationis ordinatũ est, viæ ac rationes inueniẽdæ sunt, vt cõmunio cũ ipsis seruari possit. Quod cũ aliquãdo cõmodè fieri nequit, vel propter defectũ tẽporis, vel personarũ, tunc in eiusmodi casu potestatem habet Ecclesia dispẽsandi necessitatis causa: éstq; externa hæc ordinatio, quæ vult vt aliàs sacramentum istud vnà cum aliis simul communicantibus percipiatur, vtilitati & ædificationi infirmi postponenda. Verum vbi nihil obstat quò minus homines cõuenire possint, ibi ordinatio ista nullo modo violari debet.

Quamobrem S. Patres si quando communitatem apud communionẽ præsentẽ habere non poterant, ipsi autẽ per se sacramentũ sumere cupiebant, tũc S. Cœnã in priuatis Orariis celebrarunt: verũ non soli, sed vnà cũ deuotis eorũ fratribus. Sic legimus de S. Vdalrico aliisque Patribus, quod priuatas missas celebrauerint. Aduersarij citant hoc loco, quod de Gregorio Naziãzeno memoratur in historia Tripartita lib. 9. cap. 8. Verum id non de priuatis, sed de publicis missis scriptum est.

Nam vt in vita huius Episcopi, quam Gregorius quidam presbyter conscripsit, legimus. Erant Constantinopoli, cùm sanctus ille vir eò venisset, omnia alia tẽpla per hæreticos vel destructa vel occupata, adeò vt suam congregationem, in exiguo quodam oratorio, quod Anastasiã, id est resurrectionem vocauerat, habere cogeretur: quod etiã Gregorius ipse testatur, in vltima concione sua, cũ ab Episcopatũ Constãtinopolitano discederet. Sequentibus temporibus Imperatores hoc templum ampliarunt. Verũ Aduersarij non tantoperè de veritate laborant, vt rem aliquam rectè inuestigent: sed cùm primum eis aliquid prima fronte cũ libro Reformationis pugnare videtur, id continuò arripiunt. Porrò quod de Ioanne Eleemosynario memorant, hæ tales sine dubio

priuatæ missæ fuerunt, quas sanctus iste episcopus cum deuotis suis Clericis in Episcopali domo celebrauit.

Cæterùm quę audacia & impudentia est, istorum hominum, qui in tã diuinis tantíque ponderis rebus adeò impiè, adeò sine omni timore irę diuinę iocãtur & ludũt? Quãdo liber Reformationis ad consolationẽ infirmorum, qui sacramentũ vera fide & deuotione in extrema necessitate petũt, ordinauit, vt S. Cœna apud eos in propriis ipsorũ domibus celebretur, ibi non satis amplificare & extollere possunt, quod antiqui de tẽpore & loco S. Cœnæ Dominicę ordinarunt & obseruarunt. Hic verò vbi Reformatio instituit, vt Cœna Domini pro valentibus & sanis, cũ nulla necessitas aliter postulat, in Ecclesia simul congregata celebretur, vbi fideles simul communicent, iuxta Domini ipsius dispositionẽ & ordinationẽ, ibi omnia libera esse affirmãt, deberéque vnicuilibet permitti omni tẽpore, omníque in loco, prout cuilibet libitum fuerit, sacramentũ percipere, idque nulli vel multitudini, vel paucitati hominũ simul communicantiũ, nulli denique loco aut tẽpori astringendum esse. Hæc inter se confer, Christiane Lector, ac indica quid isti homines quærant. Deinde etiam perpende, Si opimæ præbendæ, & pecunia quàm ex missis lucrantur, vnà cum existimatione & authoritate, quam isti homines ex missarum celebratione apud rudem ac simplicẽ populum, & in errorem per eos abductum, habent, ipsos non ita impelleret ad tam multas missas celebrandas, an nõ facile ab eis impetraturi essemus, vt priuatis suis missis Christũ Dominum blasphemare, & Ecclesiam eius offendere cessarent. Apertè enim id elucet in his, qui præbendarum sacerdotiorúmque bonam partem consecuti, neminem cum missis suis vehementer perturbant. Id Christiani in dies magis ac magis agnoscunt, iudicabitque Dominus, & iudicat quotidie.

Verũ liber reformationis nulli vel multitudini hominũ vel tẽpori vel loco S. Cœnã astringit, sed pię ac Christianę deuotioni liberrimã relinquit. Quæ vt iã antea dictũ est, institutionẽ Domini, quã nemo corrigere aut emẽdare potest, mutare nõ cupiet, atq; idcircò S. Cœnã Domini nõ nisi cũ fidelibus fratribus, eãq; communẽ, & in ritè cõgregata Ecclesia Christi celebrabit. Verè. n. fidelis deuotio etiã per sacrũ Euãgeliũ, & exercitiũ in S. scriptura, sicut in oratione quoq;, seipsã cõfirmare ac cõsolari facilè potest: in eóq; verũ panẽ cœlestẽ Christũ Dominum nostrũ sine dẽte ac ventre percipere & manducaae, vt iã antea dictũ est.

Responsio ad alterum argumentum.

ALterum argumentum est, Communionẽ huius sacramenti consistere non tantum in externa sola sumptione sacerdotis, & circumstantiam, sed præcipuè in spirituali & interna, &c. Item Sacerdotem dum altari assistit, orare non tantum pro pręsentibus, verumetiam pro absentibus.

Hæc ambo vera sunt, Vera communio huius sacramenti non solum in externa perceptione, sed præcipuè in interna & spirituali sumptione & cõmunicatione cũ omnibus mẽbris Christi tã in cœlo quàm in terra

terra consistit. Debet quoque Sacerdos, quemadmodum omnium Christianorũ munus & officiũ exigit, nõ pro parentibus tantũ, sed etiam pro omnibus hominibus per totum orbem dispersis, preces fundere. Non minus verum est, spiritualem istam sumptionẽ & communionẽ Christi haberi, exerceri ac promoueri, sacerdotem denique pro omnibus hominibus orare posse, etiamsi non dispensentur Sacramenta, imò etiam vbi ea penitus non habentur nec vsurpantur. Cæterùm præter hæc omnia constat & illud, quotiescunque propositum fuerit hoc Sacramentum celebrare, & minister S. Cœnam administrare voluerit, faciendum id illi omnino erit, quod fecit Christus Dominus, nempe Sacramenta re ipsa dispensanda, non tantum monstranda, & à se solo sine aliis simul communicantibus sumenda. Omnes quoque qui missæ præsentes intersunt, id ipsum facere debent, quod Christus Dominus per ministrum illis præcipit, cùm inquit, *Accipite & comedite: Acipite & bibite ex eo omnes.* Verba enim Domini fidelibus semper sunt verba vitæ æternæ, quæ tãtum in ipsis est, summa diligentia ac fide imitantur, nihilque sibi obstare patiuntur omnium eorum, quæ mundus vllo vnquam tempore contra excogitauit, vel exercuit, vel adhuc hodierna die exercet.

Responsio ad tertium argumentum.

PRo tertio argumento dicunt, Et in Occidentalibus & Orientalibus Ecclesiis aliquos tantum in festo Paschatis, alios semel alios ter aut quater, nonnullos frequentius, pauciss imis autem quotidie Sacramenta percepisse; missam verò quotidie habitum esse. Quare missam sæpenumerò sine communicantibus celebratam fuisse.

Rursus nota, Christiane Lector, quàm elegantes isti dialectici sint; & quàm pulchra ratio connectendi, qua vtuntur, Non vniuersus populus quotidie Sacramenta percepit, Ergo S. Cœna omnino sine communicantibus, & in quouis angulo celebrata est. Quasi verò non semper pij aliqui & zelo Dei ardentes Christiani, atque etiam Clerici apud eiusmodi Missas simul communicare non potuerint.

Euidens demonstratio ex verbo Dei, & veterum Ecclesiarum obseruatione, Nullam missam sine communicantibus celebrandam esse.

Cap. LXXVIII.

VErbvm Dei clarum est, Hoc facite in mei commemorationem, nempe id ipsum, quod fecit Dominus. Iam verò apertè testantur Euangelistæ, quod panem & calicem in manus sumpserit, & vtrumque discipulis suis porrexerit, præceperitque vt ambo Sacramenta accipiant, manducent ac bibant. Quid manifestius ac magis

propriè dici posset? Cùm igitur idem in hoc Sacramento facere debeamus, quod ante nos fecit Dominus, quomodo liceat Christianis hoc Sacramentum sine eius dispensatione, sinéque cõmunicãtibus tractare?

Hæc aperta seriáque ordinatio Christi Christianis omnibus sufficiet ad cognoscendum, quod nemini liceat S. Cœnam sine communicantibus administrare. Qui verò etiam scire desiderat, quid in hac re veteres ac verè Christianæ Ecclesiæ obseruarint, id ex eo facilè animaduertet, quod S. Patres, quotiescunque S. Cœnæ meminerunt, & aliquando pleniùs de ea loquuntur, semper dispensationem ac perceptionem Sacramentorum, tanquam essentialem partem commemorant. Quod videre est in Liturgiis tam Græcis quàm Latinis.

D. Cyprianus, quando iam dictum abusum, qui apud nonnullos celebratione Cœnæ Dominicæ suo tempore inuaserat corrigere, ac de vera huius Sacramenti administratione docere instituit, imprimis verò Sacramenti calicis, lib. 2. Epistola 3. sic in principio eius correctionis scribit. Quoniam quidam in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus & Deus noster sacrificij huius author & doctor fecit & docuit, &c. Vides hunc Patrem dispensationem calicis sanctificationi eius annectere, vt propter quam sanctificatio fiat, & quæ eam semper subsequi debeat.

Idem S. Pater in Sermone de Lapsis, vbi indignos à petitione Sacramenti vult deterrere, sic scribit de puella quadam, cui nutrix in persecutione aliquid de his quę idolis erant immolata, manducandum tradiderat. Vbi solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem suam paruulo instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labiis obdurantibus premere, calicem recusare. Hoc loco animaduerte, quomodo in missa D. Cypriani calix præsentibus omnibus tanquam essentiales S. Cœnæ pars fuerit ministratus, tam adultis quàm iunioribus.

Ad eundem modum à D. Ambrosio quoque S. Cœna describitur, vbi loquitur de tempore Celebrationis, vesperine an meridiano tempore S. Cœna celebranda sit, his verbis ad Sacramenti istius perceptionem hortatur: Tunc vtique paratus assiste, vt accipias tibi munimentum, vt corpus edas Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, &c. Sermone 8. in Psal. 118. In eandem sententiam legitur etiam in libro de Sacramentis quarto, cap. 5. quòd populus ad hæc verba Domini, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, &c. suo tempore respondere solitus fuerit, Amen, quod etiam Liturgia Græca testatur, idque ad confitendum, quòd in hoc Sacramento corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi percipiat. Consimili modo describitur S. Cœna etiam lib. 5. cap. 1. 2. & 3. nempe quòd populus, quando ea administratur, ad altare accedat, ad percipiendum corpus & sanguinem Domini.

Sic D. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 11. vbi de Psalmodia apud altare loquitur, meminitque S. Cœnę Dominicę, quemadmodum tunc temporis administrari solebat, scribit, morem fuisse, vt hymni ad altare dicerentur

dicerentur de Psalmorum libro: siue ante oblationem, siue cùm distribuatur populo quod fuisset oblatum.

Item ad Paulinum Epistola 59. vbi de Oratione missæ loquitur, ibi benedictionem, sanctificationé, & fractionem cum distributione coniũgit. Quibus omnibus, inquit, peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.

Item contra Faustum lib. 2. cap. 18. scribit nos Christianos celebrare memoriam oblationis Christi, oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.

Ex quibus omnibus vnicuique perspicuum est, distributionem & participationem sacramentorum pro substantiali parte ab antiquis habitam esse: nisi quod sanctificationem vel oblationem sacramentorum non habuerunt in vsu: sed in eum tantummodo finem sacramenta confecerunt, hoc est benedixerunt, sanctificarunt & obtulerunt, vt ea parentibus distribuerent. Vnde etiam D. Chrysostomus scribit, *In S. Cœna omnibus præsentibus vnum corpus & vnum calicem proponi, & debere sacerdotem ea cum populo habere communia.*

Atque idcircò sic scribit Sanctus iste Pater Sermone tertio. *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustrà stamus ad altare, nemo est, qui simul participet* Quod dictum Aduersarij extenuare ac penitus annihilare conantur, dicentes, Sanctum hunc Patrem non expostulatoriè hęc verba protulisse, sed tantum arguisse: nec item voluisse prohibere missas, in quibus nemo communicaret. Cæterum nota, Christiane Lector, quomodo id probent. Homil. 17. in epistolam ad Hebræos sic scribit noster iste Doctor. Hæc dicens *(nempe satis non esse, vt per quadragesimale ieiunium quis ad Paschalem communionem se præparet, reliquo autem toto tempore pietatem non curet) non ab vna in anno perceptione vos veto, sed volo semper vos accedere.* Hæc sunt verba Chrysostomi in eo loco. Quid verò in illis continetur, quod priùs dictum infringat, quotidianam videlicet oblationem esse frustraneam, frustrà etiam stare sacerdotem ad altare, cùm nemo sit qui simul participet. Et sanè si Sanctus iste Episcopus omnino nullos communicantes habuisset, neque ex clericis, nec ex laicis, sine dubio S. Cœnam penitus celebraturus non fuisset: noluisset enim eam frustrà celebrare, quemadmodum reuera frustranea est omnibus iis qui non simul de ea communicant. *In Epistolã. Ephes. 1. hom. 3.*

In Actis Concilij Toletani quarti, cùm nonnulli sacerdotes priuatim communicare cœpissent, statim post dictam orationem Dominicam, antequam populo benedictionem darent; ordinatur in eodem Cõcilio, vt statim post dictam orationem Dominicam sequatur Benedictio populi, & tunc primum sacramentum percipiatur, idque hoc ordine, vt sacerdos & Leuitæ coram altari communicent, Clerus in Choro, & populus extra chorum. In qua correctione Concilium istud communem ordinem Missarum descripsit: in quo rursus perspicuum est, Antiquos communionem ac participationem populi tanquam essentialem missæ partem agnouisse, & obseruasse. Hoc in omnibus antiquis Patribus, & ordinationibus Conciliorum reperitur. Contrarium

verò Aduersarij ex nullo probato ac fide digno Doctore, nulliſque Conciliorum ordinationibus & decretis comprobabunt.

Idem & Liturgiæ teſtantur, non tantum Græcæ, verumetiam Latinę, nec non illę, quibus quotidie vtuntur, Aduerſarij. In Canone enim ſuo poſt Conſecrationem dicunt, Supplices te rogamus omnipotẽs Deus, iube hęc proferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ: vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. Quoniam igitur hæc oratio eſſentialis Pars Canonis eſt, vnicuilibet in promptu eſt videre, quando hæc oratio primum compoſita fuit, & rectè, non ad ludibrium diuinæ maieſtatis, vt hactenus longo tempore factũ eſt, vſurpata, multos corpus & ſanguinem Domini (nota corpus & ſanguinem) vnà cum ſacerdote percepiſſe: *Vt quotquot* (inquit) *ex hac altaris participatione ſacroſanctum corpus & ſanguinem Filij tui ſumpſerimus.* Nota, Quotquot, item, *Ex hac altaris participatione ſacroſanctum corpus & ſanguinem ſumpſerimus. Poſt Adhæc ſequuntur Collectæ, Sacramenta quæ ſumpſimus,* Item, *Myſteria tua, quæ percepimus,* & id genus alia.

Sic in Liturgia Dionyſij, aliiſque Græcis & antiquis & præſentibus, longè adhuc clariùs expreſſum eſt, diſpenſationem ſacramentorum eſſentialem partem eſſe veræ adminiſtrationis Cœnæ Dominicæ. In his enim Liturgiis expreſſè ponitur, quomodo ſacerdos populum ad participationem perceptionémque ſacramentorum adhortari, & ea ipſi diſtribuere debeat.

Quapropter verum eſt, & manebit verum in æternum, quòd quemadmodum ordinatio Domini noſtri Ieſu Chriſti clarè ac perſpicuè requirit, ita veteres Eccleſiæ, quæ in mandato Domini firmiter permanſerunt, nullam miſſam ſine communicantibus celebrauerint: quódque id facere nullis Chriſtianis quacunque ratione licitum & conceſſum.

Altera quæſtio principalis.

Vtrum in vna eadémque communitate plures ſimul miſſæ celebrandæ ſint.

Cap. LXXIX.

DE hac quęſtione rurſus manifeſtum verbum Dei proditum eſt per D. Paulum dicentem, *Cum conuenitis in eundem locum, non licet Dominicam Cœnam edere, quòd vnuſquiſque propriam Cœnam occupat in edendo.* Et poſteaquã Apoſtolus exemplũ mandatúmq; Domini, quẽadmodũ ipſe Cœnã ſuã celebrauit, ac celebrari pręcepit, expoſuit: inſuper correptionis

correptionis quoque ac pœnæ quam Dominus propter inordinatã Cœnæ obseruationem Corinthiis immiserat, mentionem fecit, concludit istis verbis. *Itaque fratres mei cùm conuenitis ad comedendum, alius alium expectet.*

Iam si Cœnam Domini manducare non est, vbi in eadem congregatione plures quàm vna Cœna administrantur, perspicuum etiam est, id nulli Christiano licitum esse posse. Quare & apud antiquos inauditum fuit, in vno Templo plura esse altaria, quàm vnum, plures etiam quàm vnam S. Cœnam eodem tempore administrari.

Quoties D. Cyprianus, quando de vnitate Ecclesiæ loquitur, vnici altaris meminit? illumque imitati reliqui S. Patres?

Verum quidem est, olim cùm templa angustiora essent, quam vt totum populum qui conueniebat, capere posset, S. Patres in solennioribus festis plures quàm vnam missam in vno eodémque templo celebrarũt, verum non simul, sed vnam post alteram, & quamlibet præsente aliqua parte populi, quæ scil. priori S. Cœnæ interesse non potuit. Cuius rei peculiaris habetur instructio Leonis Papæ ad Dioscorũ Alexãdrinum 79. de quo nonnihil etiam habetur de Consecr. Dist. 1. cap. Necesse.

Ex hoc fundamento scribit D. Ambrosius in hæc verba: *Munus oblatũ totius populi esse debet, per vnum enim panẽ omnes significãtur: propterea enim quod vnũ sumus, debemus omnes de vno pane participare.* Quod etiã Apostolus testatur 1. Cor. 10. qui locus in libro Reformationis adductus est, *Vnus panis, vnũ corpus, multi sumus: Nam omnes ex eodẽ pane participamus.*

Quem locum Aduersarij libenter inani quadam Sophisticatione in alium sensum detorquerent, & ad solam spiritualem perceptionem referrent. Dicunt enim Apostolũ hoc scripsisse, quando absens à Corinthiis erat, & de eodem Sacramento cum illis participare non poterat. Consistere igitur communionem huius Sacramenti, etiamsi de vno Sacramento non participemus. Verũ Christiani qui neque rixas, neq; versutiam ac technas, sed piam veritatem in tam sublimibus ac diuinis rebus quærunt, non ignorant quis sit genuinus horum verborũ Apostoli sensus & intellectus. Nempe, *Nos multos esse, vnum panem & vnũ corpus, propterea quod nos omnes, quilibet in suo loco, in sua Ecclesia & congregatione, semper de vno pane & vno Sacramento participamus.*

Cúmque sacerdos in hac S. actione Christum Dominum repręsentare, eiúsque vice fungi: omnis insuper precatio Ecclesiæ ex vno ore eadémque mente procedere debeat: totus item Christus in vnico Sacramento dispensari possit: denique cùm Christus ipsẽ S. Cœnam hoc modo instituerit, Sancti Apostoli Ecclesiis ita tradiderint, & antiquæ Sanctorũ Martyrũ ac Patrum Ecclesiæ nunquam aliter obseruarint, quęnã pię ac rationabiles causę excogitari possũt, propter quas in vno tẽplor & in vna fideliũ cõgregatione, præsertim vbi præsẽtes omnes vnũ Sacerdotẽ probè audire, & de vno altari Sacramẽta cõmodè percipere possunt, plures quã vna missæ celebrẽtur? præcipuè cũ singulæ missę, vbi plures in eodẽ loco celebrãtur, attẽtionẽ aliarũ impediãt. Neq; enim ad omnia (Dominus vobiscũ) simul responderi: neque ad omnia (Oremus) attendi potest.

Verum cum eiusmodi verbis iocandum & ludendum non est, neque ea in aëre tantummodo pronuntianda. Cæterùm homines isti grauissimum hunc errorem atque omnimodam sicut S. Cœnæ Christi ita vniuersæ fidei Christianæ peruersionem defendere cupiunt, vt homines ista sacrifici actione, quam sine intellectu & fide audierunt ac contemplati sunt, non autem communicarunt, loco meriti Domini nostri Iesu Christi confidant, damnatámque conscientiam suam ad omnia peccata confirment. Idque faciunt propter pernicioſum lucrum, quod ex præbendis, & oblationibus missisque quas mercede conducti faciunt, vnà cum æstimatione & authoritate in hoc mundo percipiunt. Quos Christus Dominus spiritu oris sui breui in vniuerso mundo destruere & auferre dignetur, largiríque vt vera sacratissima ac salutiferæ Cœnę suæ obseruatio rursus rectè intelligatur, restituatur, & in opere conseruetur. Amen.

Tertia Quæstio.

Vtrum reprehensibile sit S. Cœnæ adstare, non tamen simul communicare. Et responsio ad eandem, sumpta ex scripturis & Sanctis Patribus.

Cap. LXXX.

ETIAM de hac quæstione apertum habetur verbũ Dei, quod ad omnes qui apud S. Cœnæ tractationem præsentes adsunt, in nomine illius pronuntiatur, Accipite & comedite: accipite & bibite ex eo omnes. Iam verò reprehensioni quàm maximè obnoxium est, Christo Domino fidem non adhibere: nempe quod ibi nobis porrigat, & tradat cibum ac potum vitæ æternę. Fieri autẽ nequit, vt quis firmiter ac solidè hoc credat, Domino verò in eo non obtemperet, cibumque ac potum vitæ æternæ non summa cum gratiarum actione ac deuotione percipiat.

Non minus reprehensibile est, se in quamcumque actionem diuinã ingerere, ad quam quis deprehendit se minus esse idoneum. Iam verò constat, administrationem S. Cœnæ à Christo cum illis discipulis esse peractam, quibus omnibus corpus & sanguinem suum porrexit, iussitq; vt omnes ea accipiant, manducant ac bibant. Ad sacram igitur hanc actionem nemo idoneus esse potest, qui Sacrosancta Sacramenta ad salutem suam percipere nescit, hoc est, qui nondum vult esse discipulus Iesu Christi, vel nondum tam plenè in doctrinam & obedientiam Domini se tradidit, vt in Domino manere velit, cupiátque vt Dominus maneat in ipso.

Hinc est quod S. Patres firmiter ac seriò obseruarunt, vt post publicam doctrinam & preces, antequam tractationem S. Cœnæ auspicarentur, ab Ecclesia Christi amouerent, non tantum catechumenos & Energumenos,

Energumenos, cósque qui in voluntariis peccatis flagitiísque contra conscientiam perseuerabant : verumetiam illos qui propter graviores transgressiones adhuc in pœnitentia stabant, Christóque Domino & Ecclesiæ eius nondum reconciliati, & absoluti erant, Quoniam enim Christus S. Cœnam cum his tantummodo discipulis suis celebrauit, qui etiam soli corpus & sanguinem eius perceperunt: cúmque in S. Cœna idē à nobis fieri velit, quod fecit ipse, clarè equidem consequitur, Ipsum cum iis tantummodo discipulis suis, qui ad sacramentum istud percipiendum idonei sunt, cámque vera animi deuotione petunt, celebrandum instituisse ac præcepisse.

Ad hæc ineptum per se est, & reprehensione dignum, vt Chrysostomus ait, à magno quodam beneficóque Domino inuitatum esse, & ad splendidum ac sumptuosum conuiuium accedere, de cibo autem ac potu appositio nihil degustare. Quamobrem S. Patres agnouerunt, omnes istos, qui ad S. Cœnam percipiendam idonei non essent, merito etiam esse debere, qui administrationi eius interfint, & sacramenta tantummodo contemplentur.

Quam indignitatem, infidelitatem, & contemptum cœlestis cibi ac potus D. Chrysostomus vehementer amplificat, sic scribens: Omnis qui mysteriorum participatio non fruitur, impudens & procax est, si astat. Eius verò talem rationem assignat. Quemadmodum ad mensam veniente Domino, seruos qui Dominum offenderunt, adesse non oportet, sed procul arcentur: ita scilicet & hic dum profertur sacrificium, & Christus eius Dominica immolatur. Propterea qui in peccatis sunt, priores reiiciuntur. Quod cùm per Diaconum factum est, & aliquis semetipsum peccatis implicatum noscens, nō discedit, is impudentem temeritatem audaciámque designat, audiétque à Domino, *Amice quomodo intrasti huc, non habens vestē nuptialē*, &c. Singulariter verò notat, quod Dominus nō dixit, *Quare discubuisti, sed quomodo intrasti huc?* Ad hoc etenim conuiuium nemo accedere, aut apud id manere debet, qui non veste nuptiali, Christo Domino, ornatus & indignus est, atque idcirco ad sacramenta salutariter percipienda indignus. Rursus si quis nouit se non esse in peccatis, & tamen diuinum ac salutiferum cibum non percipit, cùm rursus impudentem temeritatem admittere dicit, propterea quod regem Christum, cibúmque ac potum eius cœlestem contemnit, ac negligit. Talem enim similem esse ait homini cuipiam, qui si in conuiuium vocatus manus ablueret, & recumberet, & mensæ paratus adesset, postmodum verò nihil gustaret.

Idem pater ad obiectionem de indignitate respondens, dicit, Eum qui indignus sit participatione sacramentorum, indignam quoque esse illa quæ per preces fit communione, vel etiam sola sacramentorum spectatione : sed debere talem prius pœnitentiam agere, ac postmodum ad mensam Domini accedere: & si dignum se deprehenderit, sacramentis participare. Legatur hic totus sermo de his qui indignè sumunt corpus & sanguinem Christi.

Hanc ordinationem ab Apostolis acceptam esse Calixtus Papa agnō-

uit, ac testatur, quod ea adhuc suo tempore in Ecclesia Romana fuerit vsitata, sicut caput Peracta de Confec. dist. 2 probat, quod sic se habet. Peracta cõsecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere hominibus. Sic enim etiam Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Hunc apertissimum canonem conantur Aduersarij sophisticatione sua peruertere, adscribunt enim Anacleto Papæ, propterea quod aliqua eius pars etiam habetur in consarcinato figmento, quod tanquam Epistola Anacleti, proculdubio à vago quodam ac mendaci spiritu, corrasũ & congestum est: cuius farinæ sunt omnes Epistolæ Decretales, quæ primis Papis assignantur, & per D. Ioannem Sichardum anno XXXVI. cum ementitis falsóque confictis scriptis Clementis typis traditę sunt. Verum Gratianus, cui tanquam antiquiori ac fide digno authori maior fides adhibenda est, quàm ei qui falsum istud ac nugacissimum commentum sub nomine Anacleti congessit, vel ipsis quoque Aduersariis, Canonem hunc Papæ Calixto adscribit.

Cæterùm ponamus Canonem istum reuera Anacleti esse, vnà cum eo, quod in isto figmento nimis imprudenter & inconsideratè contra veritatem dicuntur, videlicet de cæremoniis ac pompa apud sacrificium missæ, in vestibus, & in eo quòd Diaconi, subdiaconi, & sacerdotes Episcopo à fronte, & à tergo, & à dextra siniſtráque assistere debeant, custodientes eum à maleuolis hominibus. Ex eo tamen non sequetur, Canonem istum ad memoratos tantùm diaconos pertinere. Verba enim non sic habent, Omnes Diaconi, sed simpliciter, Omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.

Estque admodũ ridiculè ab Aduersariis dictũ de primis hisce tẽporibꝰ Ecclesiæ, quibus Anacletus proximꝰ à Clemente Romanam Ecclesiã administrauit, Nullã fieri in hoc canone expressã mẽtionẽ laicorũ: perinde ac si tũc tẽporis vlla missa celebrata fuerit sine Christianorũ laicorũ cõgregatione. Verũ lõgè adhuc grauior demẽtia est Aduersariorũ ac cæcitas, qua nõ vident, Canonẽ istũ, etiã iuxta falsã eorũ interpretationẽ intellectũ, neminẽ nisi seipsos cũ omnibus sectatoribus ac cõplicibus suis condemnare, maioremque sui partem à liminibus Ecclesiæ excludere. Neque enim sacerdotes, neque reliqui Diaconi semper vnà cõmunicãt.

Sed quid longa disputatione opus est? Nouus canon inter eos qui Apostolis attribuuntur, quem Gratianus quoque introduxit, De Cõsecr. dist. 1. satis manifestus est, qui sic mandat, *Omnes fideles qui conueniunt in solennitatibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas Apostolorum & Euangelium audiunt. Qui autem non perseuerant in oratione vsque dum missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ mouentes, cõuenit cõmunione priuari.* Quod & in 2. Canone Cõcilij Antiocheni positũ est, qui eandem inquietudinis, seu, vt ipse appellat ἀπρέπειας causam adfert, quẽadmodũ cõmunicare Canõ est Apostolorũ & ordinatio Ecclesiastica.

Octauus & nonus Canon Apostolorum, & 2. Cõcilij Antiocheni, iubent eos qui S. Cœnæ adstant, non autem simul communicant, ab Ecclesia excludere.

Idem in octauo canone Apostolorum habetur, qui requirit, vt seEpiscopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione nõ cõmunicauerit, aut dicat causã, vt si rationabilis fuerit, ve-

rit, veniam consequatur: aut si non dixerit, communione priuetur, tanquam qui populo offensioni sit, generétque suspicionem de eo qui sacrificauit, quasi non rectè obtulerit. Hic Canon in genere loquitur de suspicione contra sacrificantem, non quasi non recte obtulerit, quam particulã interpres de suo adiecit: neque enim habetur in Græco textu.

Iam perpendat Christianus Lector, horũ triũ Canonũ verba. *Omnes isti peruetusti Canones adeò reprehensibile agnoscũt, ad Ecclesiam sacrámque Cœnam se conferre, sacramentis verò non communicare, vt tales excommunicare, & ab Ecclesia Christi excludi iubeant.* Huius autẽ tã seueræ animaduersionis, quæ ad laicos pertinet, hãc causã adferũt. Quod quicũque hoc pacto à cõmunione abstineat, inquietudinẽ & ἀταξίαν in Ecclesia mouẽt.

Quo ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, aliósque Clericos, quòd sacrificantẽ suspectũ populo reddãt, non ideo tantũ quod nõ rectè obtulerit, sed in genere, quòd vel in doctrina, piáq. vita se nõ continebãt, cũ iis nullus Episcopus, presbyter aut diaconus vel quiuis alius ex Clero cõmunicabat. Qui verò aliũ eiusmodi quodã vitio cõtaminatũ, atq. idcirco indignũ iudicabat, cũ quo cæteri cõmunicarẽt, is tenebatur corã vniuersa multitudine talẽ cõuincere, nõ autẽ inanẽ falsámq. suspicionẽ de quoquam excitare, vnde spiritus S. contemni, & schisma in populo suboriri potuisset. Hic est vnicus & genuinus horũ Canonũ intellectus.

Quis iã nõ videt, quod apud S. Cœnã cõparere, cũ Ecclesia verò non cõmunicare, tã in Clericis quã in laicis dãnatur, vitióq. vertitur, idque ob hanc causam, quod inquietudinẽ, siniſtrã suspicionem, & Christianæ obediẽtię dissipationẽ inducit? Quomodo autẽ suspectus populo reddi potuisset is qui sacrũ officiũ peragebat, si quãdo vel Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel quiuis alius, ex Clericorũ numero cum eo non cõmunicasset, si tunc tẽporis, quemadmodũ nostro seculo perinde fuisset, siue quis cõmunicaret, siue à cõmunione abstineret: nõ autẽ publica cõsuetudine obseruatũ fuisset, vt omnes S. Cœnæ præsentes simul quoque communicassent? Ad eundem modũ quomodo potuissent illi qui à cõmunione abstinebãt, inquietudinis & ἀταξίας, quã in Ecclesia excitarẽt, accusari, nisi publica ordinatio Ecclesiæ fuisset, vt quotiescũque S. Cœna administraretur, oẽs adstãtes simul quoq. sacramenta perciperẽt.

Hæc apertissima planissimáque verba conãtur Aduersarij nebulis suis obscurare ac peruertere, dicẽtes, Hic nõ simpliciter oẽs dãnari, qui cũ S. Cœnæ tractationi præsentes adsint, sacramẽta tamẽ nõ percipiãt, sed eos tantũ, qui id faciebãt, ex auersatione vniuersalis Christianorũ communionis, secundũ propriã aliquã disciplinã, doctrinã & modũ. Verum talis cuiusdã auersationis disciplinæ aut modi in istis Canonib. ne verbo quidem mentio fit, sed vt iam antea dictũ est, simpliciter decernitur. Excludendos esse ab Ecclesia Christi, tã Clericos quã laicos, qui apud S. Cœnã Domini cõparentes, sacramẽtis nõ cõmunicant, idq. ob hãc causam, quòd si tale quid à laicis admittatur, inquietudinẽ & confusionem in Ecclesia generet, si verò à Clericis, siniſtram de sacrificante moueat in populo suspicionem. Nunc iudicet Christianus Lector, vtra pars Canones istos torqueat, & per vim ad suam sententiam & opinionẽ deflectat: & vtra genuinum eorũ ac germanum sensum fideliter retineat.

Ex his omnibus perspicuum est, tam iuxta verbum Dei, quàm veram & antiquam Ecclesiarum obseruationē reprehensibile esse, apud S. Cœnam comparere, sacramenta verò non percipere, Dominus enim in iis tantummodo discipulis suis S. suam Cœnam instituit, qui de ea simul participare & possunt & debent. Talis discipulus quicunque esse noluerit, pro eo neque conuiuium illud institutū est. Dominus enim non pro spectaculo illud instituit, sed dixit, *Accipite, & comedite, Accipite & bibite ex eo omnes.* Sic Paulus: *Panis quem frangimus. Frangimus inquit, non ego vel sacerdos tantùm frangit.* Item: *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, nā omnes ex eodem pane participamus. Omnes*, inquit. Ad hunc modū obseruarunt omnes antiquę Ecclesiæ, donec verum Ecclesiæ ministerium, proh dolor! intercidit, penitúsque collapsum est, cœptúmque sacram Cœnam Domini non in eum finem administrare, vt magis magísque ac perfectius in Domino viuamus, & ipse in nobis, sed vt sacrificí multas prębendas, mercedes, oblationes, existimationem & dignitatem apud populum sibi acquirant & cumulent. Tunc ex S. Cœna sacrificium & spectaculum effectum est, hominibúsque persuasum, quòd si huic actioni præsentes interfint, ad eámque liberaliter elargiantur, omnia bona & commoda eis impetret, mala autem & incommoda omnia propellat, siue quid ibi agatur, intelligant, siue non. siue communicent, siue à communionę abstineant: siue fidelem agant peccatorū suorum pœnitentiam, firmúmque propositum habeant vitam suam emendandi, siue nihil horum in animum inducant. Hanc horrendam & abominandam sanctissimæ institutionis atque ordinationis Christi Aduersarij tueri ac defendere conantur, & propter hanc vnicam causam tam acriter contra clarissimum lumen veritatis depugnant.

Liber Reformationis cupit homines paulatim ac sensim erudiri & ad institutionem ordinationémque Domini, ac plenū vsum S. Cœnę pedetentim adduci. Qui quoniam tā horribiliter intercidit, non requisiuit Liber, quemadmodū Aduersarij calumniantur, vt omnes qui apud S. Cœnam comparent, ad communionem cogantur, aut à S. Cœna intempestiuè absterreantur aut repellantur, præsertim qui in apertis & excōmunicatione dignis flagitiis non hærent, neque scientes ac volentes sacramenta contemnunt, sed expressis verbis eiusmodi importunā & intempestiuam seueritatē prohibet, ac mandat Pastoribus, vt eos qui ex humana quadam infirmitate, ignoratione & præpostera sacramenti reuerentia à mensa Domini abstinent, non deterreant, vel à tota S. Cœnæ actione depellant, sed paternè & suauiter quotidie de his mysteriis doceant & instituant, & ad solidam eorum & cognitionem & vsum sensim adducant. Hęc verba habentur in libro.

Nihilominus tamen fateri oportet, reprehensione dignum esse sacræ Cœnæ adstare, & à communicatione abstinere, quemadmodum satis clarè demonstratum est. Nec quicquam contra hanc sententiam facit, quod Aduersarij dicunt, Et quare obsecro probi ac pij Christiani nullis deliberato animo commissis criminibus obnoxij arcētur à Missa? Quare non liceat talibus manere in sacro officio, vt corpore & sanguine

guine Christi præsente, tantò attentiùs Dominicę passionis habeant memoriam, ad agèndum Deo gratias, ad orandum, & pro sua totiúsque mundi salute supplicandum, ad audiẽdum item lectiones sacras, in ædificationẽ fidei & charitatis suæ? Missis enim adesse nulli pio ac probo Christiano, vitio vertitur aut prohibetur, qui non deliberata mente in peccatis perseuerat, neque est sub pœnitentia: verũ salutari mensę Domini astare, cibum verò ac potũ vitæ æternę non percipere, hoc demum est, quod crimini vitióque datur. Id enim non nisi ex defectu fidei prouenire potest: nempe quod homines salutiferã Domini vocationem & inuitationem, dicentis, *Accipite, comedite: accipite, bibite ex hoc omnes*, ac cœlestem corporis & sanguinis sui cibum ac potũ non satis dignè ęstimant, vel quod ex superstitione à cõmunione sacramentorũ abhorrent. Harum causarum quęcunque tandem à sacratissimo hoc sacramento homines abstinet, reprehensione certè non vacat, & abstentionẽ quoque à sacramentis culpabilem & reprehensibilem reddit.

Nec quicquã hoc loco importat, quòd Aduersarij similitudinem Augustini de centurione adducunt, qua S. ille Pater eos excusat, qui magna sacramẽti reuerẽtia nõ quotidie, sed certis dieb. cũ exactiore sui ipsorũ pręparatione, sacramentum percipiũt. Non enim de talib. loquitur D. Augustinus, qui ad missam quidẽ veniebant, sacramenta verò nõ percipiebant: sed de iis simpliciter, qui sacramẽtis nõ quotidie participabãt.

Facilè possumus fidem & charitatẽ ex S. lectionibus confirmare, mortem Domini ad ædificationem meditari, Domino pro ea gratias agere, preces pro nobis ipsis & aliis hominibus fundere, etiamsi ex S. Cœna contra manifestam institutionem Domini non faciamus spectaculũ, aut sine communicantibus celebremus. Qua ratione veteres quoque quotidianos conuentus ad S. lectiones & orationem sine administratione S. Cœnæ piè & vtiliter ad ædificationem habuerunt.

Nihil igitur adiumenti adfert ad spectaculũ ex Missa faciendũ, quod Aduersarij de audiendis missis adduxerunt. Veteres enim eas quoque preces & supplicationes quę sine celebratione S. Cœnæ fiebant, missas appellarunt: sicut missa Catechumenorũ dicta est, quæ tamen non apud S. Cœnã fiebat. Ambo etiam canones Concilij Agathensis, quos Aduersarij citant, nempe 21. Si quis, & 47. Missas habent quemadmodũ in Actis huius Concilij describuntur, Missas facere vel tenere, non audire. Et quamuis Missas audire positum esset, propterea tamen non excluditur Communio, quin Aduersarij ipsi per istos Canones condemnantur, qui missas suas ita faciunt, vt fidelis populus eas audire non possit. Audire enim in tali negotio, significat cum intellectu audire.

In hoc articulo etiam illud suggillant Aduersarij, quo Liber Reformationis ordinat, vt S. Cœna diebus Dominicis vel festis, aut quib. cõmunitas orationis causa alioquin tota congregata fuerit, celebretur, vt cùm discipuli Domini nostri Iesu Christi simul omnibus celebrari possit, quemadmodum Christus Dominus fecit ipse. Atque hoc loco obiiciunt, Dominum non omnes discipulos suos, sed duodecim tantum Apostolos ad Cœnam suam assumpsisse.

Responsio. Dominus omnes, qui ex discipulis suis eò vsque edocti & instructi erant, vt S. Cœnam salutariter percipere possent, ad sacrosanctum istud sacramentum assumpsit: in quo fortasse ad numerum quoque, quem Agnus Paschalis requirebat, respexit.

Præterea constat S. Cœnam apud veteres in maiori parte Ecclesiarũ festis tantummodo diebus, aliisque ad publicas supplicationes peculiariter deputatis, celebrari solitam fuisse. Ad hæc, vt D. Augustinus testatur, hæc res liberę obseruationis est, adeò vt in ea quęuis Ecclesia ordinare, moderari, & instituere possit, quod populo suo ad ædificationem vtilissimum esse agnoscit.

Ad Ianuarium Epistola 118.

Atque vtinam S. Cœna saltẽ istis dieb. vera pietate ac deuotione mẽtis celebraretur. Certè nostri muneris & officij fuit, irreligiosam istam, contumeliosam, & damnatã S. Cœnę tractationẽ, quæ tam horribiliter inualuit, quãtum in nobis erat, amouere, nostrámque conscientiã alienis peccatis non grauare, quéadmodum Aduersarij faciunt. Qui potius permittũt vt ij qui in manifestis & excõmunicationũ meritis flagitiis contra conscientiã hęrẽt, quotidie missas & faciant & audiãt, ad crudele & horrendũ tam sui ipsorũ, quàm totius populi iudiciũ, quã vel vnũ aliquẽ abusum, quãtũuis manifestũ, & apertũ fateri & corrigere velint. Dignetur Dominus Deus Ecclesiã suã ab eiusmodi hostib. regni sui liberare.

De Eleuatione.

Cap. LXXXI.

ROstremò meminerũt Eleuationis quoque Aduersarij, eámque dicunt esse de ratione sacrificij, quam & ratio nominis missæ requirat. Adhæc vsitatam eam semper fuisse tam in Latinorum quàm in Græcorum Ecclesia. Quantum ad sacrificium pertinet, sententiam suam postea se demonstraturos pollicentur: quò & nostram responsionem differemus.

Responsio. Quando dicũt Eleuationẽ sacramenti tã in Græcorũ, quã Latinorũ Ecclesia vsitatã fuisse, cõtinuò sibi ipsis cõtradicunt proprio sũo testimonio à Græcis sumpto, qui panẽ & calicẽ velatũ solũmodo circũferunt, non autẽ eleuant, quę consuetudo longo iã tẽpore in Ecclesia Latinorũ durauit. Verũtamen est, quod vulgaris Liturgia, quæ à Chrysostomo & Basilio adscribitur, Eleuationẽ pręscripsit, sed tantummodo panis consecrati, non item calicis. Sanctus Dionysius autem, qui omnes actiones sacerdotis in hoc officio propriè ac diligẽter cõmemorat, oblationis & ostensionis sacramentorũ meminit, nõ autẽ eleuationis, neq. panis neq. calicis. Porrò quãtũ ad Latinas Ecclesias attinet, temerè satis & audacter ab Aduersarijs factũ est, quòd affirmarũt, Eleuationem in eis semper vsitatã fuisse: cuius tamẽ ne minima quidẽ indicia proferre possunt, sitq. manifestũ, quod Ordo Carthusianorũ necdũ eam vsurpat vt alij, Cistercienſium verò iamprimum intra annos quinquaginta receperit, idq. hanc solam ob causam, vt cęteris se conformaret: non quod ita fieri necesse esset, vel ab antiquis hoc modo obseruatum fuisset.

Verùm

Verùm pro humanis ordinationibus perpetuò certant Aduersarij, diuinas verò negligunt, ac prætermittunt. Ordinatio diuina est Domini nostri Iesu Christi, vt in qualibet S. Cœna panis simul & Calix omnibus præsentibus distribuatur. Hanc longo iam tempore totam intercidere passi sunt, eásque doctrinas & ordinationes omnes quæ illam restituere cupiunt, manibus ac pedibus oppugnant: De Eleuatione verò, atque aliis id genus humanis figmentis acerrimè decertant.

Quæ certè meritò prętermittenda est, quò populus facilius ab inueterato ac scandaloso errore, ad quem eleuatio mirum in modum confert, auerti possit. Falsò enim persuasus est populus, quasi sacerdos Christum Dominum nostrum Patri offerat pro omnibus qui sacramenta tantummodò spectant, & externa corporis prostratione & adoratione venerentur, vel alioquin largitione ac donis missarum se participes reddant, quomodocunque alioquin credant, viuant vel sacramenta percipiant. Communiter omnes filij huius mundi quantumuis in omnia peccata & scelera profligati & immersi sint, quotidiè tamen ad missam confluunt, cúmque eleuatio fit, reuerenter in genua procumbunt & adorant: id quod frustrà certè non faciunt, sed propterea quod hoc faciendo gratiam & auxilium à Deo se consecuturos sperant, quamuis vera ac fideli pœnitentia peccatorum penitus vacui sint, & de vera ac Christiana emendatione nullo modo cogitent: taceo, quod verum vsum sacramentorũ ignorãt, vel quicquã de eo folliciti sunt & inquirunt. Eiusmodi hominibus ad quid aliud Eleuatio vnà cum tota missa conducere potest, quàm vt eos in tali idololatrico cultu, superstitiosa ac falsa fiducia confirmet? Factum regis Ezechiæ, qui æneum serpentem, cum eo populus ad idolatriam abuteretur, demolitus est, præscriptum nobis est ad imitationem & exemplum. In Ecclesia Dei ad efficacem fidei in Christũ ędificationem instituenda & exercenda sunt omnia: amouenda & euitãda, quęcunque ad finem promouendum nihil momenti habent.

Postremò ad communẽ abusum missas sine cõmunicantibus faciendi defendendum, appendunt etiam illud Aduersarij, quòd Græci nostro tẽpore in missis suis populo solummodo dent panem non consecratum, sacramenta vera soli Diaconi altaris cum sacerdote percipiant. Quare autem non potius etiam Liturgiam D. Chrysostomo adscriptam, & ab Erasmo Latinitate donatam, quàm paulò antè de eleuatione allegarunt: in qua pręscribitur, *Vt diaconus populum ad vniuersi sacramenti communionem inuitet*? Aliàs apud Græcos non minùs quàm apud Latinos multi graues & abominandi abusus inualuerunt, à quibus ad verum vsum deflectere conuenit, pręceptum ab ipso Domino: humanas verò obseruationes & consuetudines non vlterius adducere, quàm quatenus cum verbo Dei consentiunt.

Hactenus de tribus his quæstionibus, Vtrum S. Cœna piè sine communicantibus celebrari possit, An plures quàm vna Cœna in vna congregatione: ac demum vtrum reprehensibile sit, apud S. Cœnam comparere, sacramenta verò non percipere.

Septima Pars.

De mixtura Calicis cum Aqua.

Cap. LXXXII.



Hoc loco scribunt Aduersarij, Librum Reformationis nullam facere mentionem de vino aqua miscenda, cùm tamen id à tempore Apostolorum in Catholica Ecclesia ad hæc vsque tempora obseruatum sit, & à S. Patribus Conciliisque obseruari præceptum. Et ad hoc probandum adducunt Irenæum, Cyprianum, Eusebium, Emisenum, Papas Alexandrum & Iulium, tertium Concilium Carthaginense, & Concilium Martini Papæ, qui omnes de hac ordinatione testentur, ac doceant, quod per hanc mixturam vnio populi cum Christo repræsentetur. Inter quos D. Cyprianus scripserit

Libro 2. Epistola 3. *Si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si verò aqua sit sola, plebs sumit esse sine Christo.*

Responsio.

Hic rursũ vides, Christiane Lector, quibus de rebus Aduersarij disceptent. Eò rem deuenire passi sunt, vt de missis neque corpus neque sanguinem Domini populo distribuant. Quamuis enim dimidiatũ ei Sacramentum dispensant, id tamen plerunque priuatim faciunt, & extra missam: qua ratione populum, quantum ad Sacramentalem communionem pertinet, à Christo Domino penitus excludunt. Verum id nullo modo sollicitos eos tenet, tantũque abest vt re ipsa & opere hoc corrigant, vt etiam tueri ac defendere conentur. Interim acerrimè pugnant de aqua, qua vinum in calice misceri debeat, hanc solam ob causam, vt per hoc significetur, quomodo populus Christo Domino incorporatus cum ipso & cum omnibus eius fidelibus vnum esse, & de omnibus donis illius participare debeat, non minus quàm sacerdotes ipsi. Quamuis extra controuersiam est, calicem quem Dominus in Cœna discipulis suis propinabat, aqua mixtum fuisse: quoniã pro natura istius regionis merum difficulter bibitur: & scriptura quoque significare volens vinum esse infusum, dicere solet, *Vinum esse in poculo mixtum*, Prouerb. 9. Præterea illud quoque fatendum est, quod antiquissimi Patres hanc mixturam calicis Christi ad spiritualem significationẽ retulerunt, nempe incorporationis & insitionis populi in Christum Dominum: sicut etiam ad id, quod ex latere Christi sanguis & aqua effluxerit. Eiusmodi significationes nemo reiicit: necessaria tamen lex ex eis sanciri non potest, quoniam nullum de signo ipso habemus vel mandatum vel doctrinam Christi expressam in S. Literis. Albertus Abbas Tuicensis memorat Alexandrum Sextum ordinasse, vt aqua cum vino in calice

Domini

Domini misceatur. Quòd si ita est, humana certè traditio est, quæ non fuit ab initio.

Cæterùm de distributione amborum Sacramentorum, & quod tam dispensatio quàm perceptio eam significationem habeat, quod in Christo Domino sint & viuãt, quicunque hæc Sacrosancta Sacramenta iuxta institutionem eius ritè percipiunt, expressum habemus mandatum cùm à Christo ipso tum ab Apostolis eius. Nihilominus tamen Aduersarij irreprehensibiles esse volunt, qui non ambo Sacramenta distribuunt: & si quando aliquid ex eis populo communicant, dimidiatum in summo do Sacramentum ei præbent: factum verò hoc suum per spiritualem communionem excusant, & nullam vim in externis signis positam esse dicunt. Cæterum ex nostra parte, quamuis Sacramenta ea omnino ratione ac forma quam Dominus expressè mandauit, distribuantur, spiritualis tamen communio nihilominus docetur quàm diligentissimè, & populus per veram fidem cum Christo Domino fideliter vnitur. Quod Aduersarij non modò non fideliter faciunt, sed plurima committunt, quibus hęc copulatio populi cum Christo Domino grauissimè impeditur. Irremissibile tamen peccatum esse oportet, quod nullo modo neque per spiritualem cum Christo vnionem, quantumuis ea diligenter per intelligibile verbum inculcetur: neque per liberum & non necessarium externorum signorum vsum defendi possit, vbi nullum signum mixtionis aquę cum vino quæ sine dubio à pauciſſimis intelligitur, prætermittitur.

Sed vtinam Aduersarij ad eam doctrinam & vsum S. Cœnæ, quę Dominus nobis instituit, ac disertis verbis præcepit, veteresque Ecclesiæ diligenter ac fideliter obseruarunt aliquando redire cogitarent, tum sanè de signo mixturæ exigua contentio ac disceptatio foret. Modò vt ea tantùm ad salutem necessaria agnosceretur, quæ Dominus tanquam necessariò ad eam requisita præcepit.

Octaua Pars.

De Sacrificio Missæ.

Cap. LXXXIII.

IN hoc articulo conantur primùm omnium Aduersarij probare cùm ex S. Scriptura, tum ex antiquis Patribus, Celebrationem Sacræ Cœnæ esse sacrificium.

Secundò, Quod Celebratio ista quatuor sacrificiorum genera in se contineat.

Tertiò, Conantur verba & ordinem missæ defendere.

Quartò, Accusant Librum, quasi multa in se comprehendat, quę verę Christianæ doctrinæ, & institutioni S. Cœnæ contraria sint: è contra multa omiserit, quæ ad legitimam S. Cœnæ celebrationem pertineant.

An celebratio S. Cœnæ sit & commodè appelletur Sacrificium.

Cap. LXXXIV.

SI in hac quæstione Aduersarij ad Deũ & sanctificationẽ nominis eius respicere, & nihil aliud quęrere vellent, quàm vt S. Cœna iuxta institutionem Domini ritè celebraretur, & omnes ad legitimam eiusmodi administrationem promouerentur, non autem quomodo priuatum & temporale emolumentum ac pompa augeri & conseruari possit, ipsíque nulla in re errasse videantur, facile esset ex hac quæstione se explicare, & communem cum illis consensum constituere. Tota enim controuersia tantum in verbis posita est, non autem in sensu & intellectu verborum.

Quod vt intelligatur, Primùm omnium videndum est, quid nobis Christianis qui omnia secundùm verbum Dei dignoscere & nuncupare debemus, sacrificia sint & appellari possint. In scriptura veteris Testamenti vnum habetur generale nomen omnium sacrificiorum מנחה quod significat quicquid adducitur vel affertur. Quam significationem habet etiam vocabulum קרבן iuxta sententiam quorundam, qui id à קרב deducunt. Habet S. Scriptura etiam vocem עלוה quam propriè holocaustis tribuit, quæ omnino igni consumebantur, quæ sacrificia alioquin vocant כליל à consumendo & אשה ab igni. Habet prętera vocabulum תרומה ab eleuando sumptum: nam inter sacrificandum quædam sacrificia eleuabantur in altum, sicut etiam quædam motabantur, hoc est, vt testantur Hebræi, versus quatuor plagas mundi tenebantur: vnde illis nomen תנופה impositum est. Pręter hęc nomina est etiam aliud in S. literis זבחים quod mactare & iugulare significat.

Porrò secundùm quod nonnulla sacrificia fiebant pro reconciliatione, pro anima, & pro peccato, nonnulla ad laudem Dei & gratiarum actionem, item ad mutuam dilectionem & amicitiam inter homines promouendam & confirmandam: nonnulla denique peculiaria sacrificia pro initiatione & ordinatione sacerdotum, diuersa nomina S. Scriptura illis imposuit.

Iam quicquid apud veteres iuxta ordinationem Dei offerebatur, aut fuerunt animalia viua, ex pecoribus vel auibus quę mactarunt, ac deinceps vel tota, vel partem tantum igni consumpserunt: aut erat aliquid de aristis, vel aliis fructibus milio, farina, pane, placentis vel pistis vel frixis, vino, oleo, & thure: vel etiam auro, argento, serico, & aliis quę cũ ad conseruationẽ tum ad ornatum templi ac cultus requirebantur. In mactando quando viuum aliquid occidebatur, & immolabatur, Filij Dei primũ omniũ peccata sua confessi, sunt, quibus mortẽ promeriti fuissent, reosque semetipsos effecissent, quorũ sanguis effunderetur.

Deinde

Deinde verò fidem in Messiam professi sunt, qui sanguinem suum pro peccatis omnium in ipsum credentium effudit, ac satisfecit, meritam mortem ab illis auertit, & æternam vitam quam fideles in ipso viuunt, adeptus est. Quod etiam per illud prefiguratum est, quod sacerdotes ac populus aliquid de oblatis carnibus manducarunt quemadmodum etiam de sacrificiis cibariis: In aliis muneribus & oblationibus auri & argenti, quod ad sustentationem ministrorum, & conseruationē vasorū mysticorum, subleuationem denique pauperum offerebant, promptitudinē suā Domino inseruiēdi contestati sunt. In hoc constabat verus ac legitimus veterum sacrificiorum vsus, quæ si quando non in eum finem ex eiusmodi fide & animo fiebant, non tantum non erant gratus Domino cultus, verumetiam abominatio, vt Deus ipse testatur Es. 1. & aliàs in prophetis.

Hinc discendum primò est, quod iuxta Scripturam veteris Testamēti sacrificia nihil aliud sint quàm symbola & sacramenta imprimis Domini nostri Iesu Christi, & redemptionis factæ & acquisitæ nobis pretioso sanguine eius vnà cum beata communione diuinę ac sanctæ vitę, quam cum ipso & per ipsum cum Patre habemus, siquidem in ipso viuimus, & ille in nobis, denique etiam fidei nostræ ac traditionis nostri in omnem voluntatem & obedientiam Dei per Christum.

Secundò quòd omnia sacrificia fide ex vera & traditione suiipsius in obedientiam Christi proficisci, & ad illius fidei confirmationem fieri debuerunt, alioquin nihil aliud fuerunt, quàm abominatio in conspectu Dei.

Tertiò quòd ea sacrificia quæ non propter spiritualem aliquam significationē & confessionem comburebantur, vel manducabantur, ad conseruationem vasorum mysticorum, sustentationémque ministrorum, & pauperum erogabantur.

Longéque ab omnibus rite sacrificantibus abfuit, vt in sacrificiis suis Deo aliquid dare, eiúsque auxilium & dona quasi ab eo emere voluissent. Quin potius oblationibus suis gratiam & auxilium Dei per Christum petierunt, veráque fide agnouerunt & acceperunt, fidē suam professi sunt: Deo gratias egerunt: in omnem eius voluntatem, & hinc in omnem charitatem & obsequium omnibus fidelibus propter Christum præstandum tradiderunt, atque hoc modo fidem, charitatem & omnigenam pietatem inter se propagarunt & auxerunt.

Iam si Scripturas Noui Testamenti inspiciamus, quę sacrificiorū meminerunt, illę primum omnium maximis laudibus celebrant saluificū sacrificium Domini nostri Iesu Christi, qui seipsum pro peccatis nostris obtulit: de quo præclarè concionatur Paulus, Heb. 7. 8. 9. & 10. totúsque in docendo est, quomodo semetipsum, non autem alium obtulerit, sicut etiam in Epistola ad Ephes. cap. 5. hac de re loquitur.

Secundò Concionatores Euangelij facit Paulus sacerdotes & sacrificos Dei, per prædcationem Euangelij: nomen verò acceptarum Deo victimarum iis hominibus attribuit, qui per prædicationem Euangelij tanquam grata & accepta hostia Domino addu[illegible]

Rom. 15. vbi in hunc modum scribit. *Commonefacio, vos fratres, propter gratiam quæ data est mihi à Deo in hoc, vt sim minister Iesu Christi in gentes, administrans* (ἱερουργοῦντα sacrificans) *Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum Sanctum.*

Tertiò facit Apostolus vnumquémque Christianum victimam, hortatur vt quilibet suum proprium corpus, hoc est, semetipsum rationale animal, non vt in veteri Testamento fiebat, irrationale sistat & offerat Domino, Rom. 12. vbi sic scribit: *Obsecro, vos fratres, per miserationes Dei, vt præbeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum: & ne accommodetis vos ad figuram huius seculi: sed transformemini per renouationem mentis vestræ, vt probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonum est acceptúmque & perfectum.*

Quartò appellat Paulus. Phil 4. & Heb. 13. sacrificium quicquid ad sustentationem ministrorum Ecclesię pauperum Dei gratia erogatur. Ad Philip. sic scribit de eleemosyna quam ei per Epaphroditum publicum ipsorum ministrum Ecclesiæ & Apostolum Romam miserat. *Expletus sum* (inquit) *posteaquam accepi ab Epaphrodito, quæ à vobis missa fuerant, odorem bonæ fragantiæ, hostiam gratam acceptámque Deo.* Ad subleuationem pauperum hortatur Epistola ad Heb. his verbis, *Beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini.* i. talibus enim victimis placetur Deo.

Quintò tribuit hæc eadem epistola nomen hostiæ laudibus Dei & confessioni nominis Christi, cùm inquit: Quare semper offerimus per Christum hostiam laudis, hoc est, fructum labiorum confitentium nomen eius. Eadem ratione Dauid orationem suam sacrificium vespertinum vocat.

Psal. 141. Hæc sunt sacrificia de quibus testimonium habemus in scripturis Noui Testamenti, nempe Christus Dominus ipse, qui semetipsum & neminem alium obtulit: fidelis populus, quem Deo velut hostiam adducunt, qui eum per prædicationem Euangelij ad Deum conuertunt, vniuscuiusque Christiani corpus & anima, per mortem peccatorum & renouationem spiritus ad omnem obedientiam Dei: Eleemosyna & contributio pro ministris Ecclesiæ & pauperibus sustentandis: denique laus, gratiarum actio, & confessio nominis Christi.

Quod sacra Cœna iuxta Scripturam non debeat appellari Sacrificium.

Cap. LXXXV.

INTER omnia hęc genera sacrificiorũ nulla omnino mẽtio fit S. Cœnę. Verũ tamẽ est, vbicũq; ea iuxta institutionẽ Domini celebratur, ibi omnia hæc sacrificiorũ genera cõmemorata reperiũtur. Sed nõ minus apud baptismum quoq; & quoduis religiosũ exercitiũ Christianę Ecclesię. Opor-

Oportet enim vt Christus Dominus vnicum sacrificium propitiatoriũ & accepta hostia gratiarum actionis semper præsens adsit, vt in cuius solius nomine homines conuenire preces ad dominum fundi, ac laudes Dei celebrari debent. Similiter in vnaquaque congregatione Christi debet præsens multitudo per Euangelium, singuli verò per propriam fidem ad omnem voluntatem ac placitum Dei offerri. Eodem modò debet vnusquisque ibi munus suum ad religionis & egenorum membrorum Christi sustentationem, benignè offerre, & nunquam vacuis manibus coram Domino apparere. Denique in omnibus sacris conuentibus ac cœtibus Christi, nomen Dei confiteri, inuocari, laudari ac celebrari debet.

Ex his vnicuique in promptu est videre, quod etiamsi in S. Cœna omnia quinque enumerata sacrificia reperiuntur, atque etiam principaliter esse debent, ea tamen omnia in quibusuis sacris cœtibus, etiamsi in iis S. Cœna non celebretur, inueniri oportet: modò non velint esse abominatio in oculis Dei: quarto tantum sacrificio excepto, externæ scilicet Contributionis & Collationis. Quamobrem omnia Religionis exercitia non minus sacrificia appellari possunt, quàm S. Cœna Domini.

Si verò ea loca scripturæ intueamur, quæ peculiariter de S. Cœna testantur, non inueniemus vllibi nomen sacrificij ei tributum, Nullibi enim aliter nominatur quàm Cœna Domini, fractio panis, manducatio panis Domini, *Dispensare calicem laudis, bibere ex calice Domini, & communio Domini.* Hæc & nulla præter ea reperiuntur nomina S. Cœnæ tributa, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Act. 2. & 20. 1. Cor. 10. & 11. in quibus locis peculiaris fit mentio S. Cœnæ Domini. Quod si sextum Ioannis caput quoque inspicere velimus, neque in eo vel verbum aliquod de sacrificando inueniemus, quod videlicet ab hominibus in Ecclesia fieri debeat: sed tantum de manducando & bibendo carnem & sanguinem Christi.

Iam verò constat inter omnes Christianos Spiritum S. in Scriptura sua, omnia, quę nobis maximè necessaria ac salutaria sunt, apertissimè ac facilima methodo nos docuisse, verbisque ac nominibus propriis tradidisse. Quare non tantum reprehensione vacat, verum etiam tutissimum est, & ad ædificationem vtilissimum, eisdem nominibus S. Cœnam appellare, quæ S. Scriptura illi imposuit, his præsertim temporibus, quibus de nominibus sacrificiorum ad verum intellectum non modò malè conuenit, sed etiam plerique ad horrendam offensionem iis abutuntur.

Quod verò etiam S. Cœna sano intellectu sacrificium appellari possit, quandoquidem apud eam omnia sacrificia noui Testamenti principaliter adesse & exerceri debent: ob quam causam veteres S. Patres eam oblationem & sacrificium appellarunt, Liber Reformationis non inficiatur. Superuacaneum igitur erat, quod Aduersarij tam variis ac multiplicibus citationibus similitudinem inter S. Cœnam & sacrificia veterum inuestigarunt: eam enim nemo est qui neget. Nihilo-

minus certum est, quod si scriptura sacrificia veterum enumeratis nominibus appellat, nullum autem eorum S. Cœnę attribuit. Melius autē appellare eam nemo poterit, quàm Dominus ipse & Spiritus Sanctus.

Tantum ex S. literis ad propositam quæstionem dictum sit, Vtrum Missa sacrificium sit & propriè dici debeat.

Sententia Patrum super hac quæstione.

EXtra controuersiā est S. Patres ferme omnes S. Cœnā Domini oblationis & sacrificij nomine appellasse, θυσίας καὶ προσφορὰς, quāuis Dionysius nullum sacrificij nomē ei tribuit, sed generali vocabulo appellat ἱερουργίαν, sacrā actionē, quemadmodū etiam Latina vox Sacrificiū si fontem & originem eius spectes, nihil aliud quàm sacram actionem significat. Marcilius Ficinus hanc vocem ἱερουργίαν Salutaris hostię oblationem interpretatus est, verum hæc non est genuina eius verbi significatio. Nec debebāt Aduersarij cuiquam interpreti tutò confidere, quando S. Patrum scripta in propriis eorum & natiuis linguis habere possunt.

Peculiaria nomina huius sacræ actionis ostēdit Doctoriste suis tēporibus fuisse κοινωνίαν καὶ σύναξιν. Cúmque hęc nomina aliis quoque mysteriis diuinis communia sint, rationē reddit quare S. Cœnæ præ cæteris præcipuè ac peculiariter applicentur. Sic enim scribit: Nempe & vnaquæque Sacramentalis institutio id agit, vt nostras vitas in plura diuisas in vnicum illum statum, quo Deo iungimur, colligat, diuiduorúmque nostrorum diuina collectione nobis eius quod verè vnum est, societatem, vnitatémque indiuiduam largiatur. Si igitur vnumquodque sacerdotale mysterium ex se imperfectum, nostram ad vnum illud communionem collectionémque non perficit, ac per id quod perficiendi vim non habet, fermè etiam nomen amittit, finis autem ac principalis omniū ratio in eo est, vt diuinorū mysteriorū is qui perficitur particeps fiat, meritò sacerdotalis prudentia ex rerum effectu proprium illi verúmque nomen συνάξεως καὶ κοινωνίας inuenit. Sic igitur & sacrum dignę generationis Sacramentum, quia primi luminis consortium tradit, omniúmque diuinarum illustrationum principium est, ex effectu ipso veriſſimo illud illuminationis cognomine prædicamus, etiamsi eadem in omnibus Sacramentis impertitur.

De Eccles. Hierarch. cap. 3.

Quod si Dionysius iste tam vetustus author est, vt Aduersarij & alij plerique iudicant, certè S. Cœna tempore Apostolorum oblatio vel sacrificium non fuit appellata. D. Irenęus (qui inter probatiores & certioris fidei doctores, quorum monumenta supersunt, antiquissimus est, scripsit enim circa annum 158. post passionem Domini) testatur Ecclesiam ab Apostolis accepisse, vt in S. Cœna nihil aliud quàm panem & vinum offerret cum gratiarum actione; oblationis verò corporis & sanguinis Christi ne verbo quidem meminit. Sic enim scribit: sed & suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens,

Hoc

Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo, qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo Testamento, de quo in 12. Prophetis Malachias significauit, &c.

In his & aliis multis verbis, quæ leguntur 32. & duobus sequentibus capitibus libri quarti quiuis facilè cernit, quod tempore huius Patris nulla alia oblatio cognita fuit, quàm donorum, quæ pro pauperibus cum gratiarum actione Domino offerebantur. In quibus etiam docet necessariam esse plenam sui ipsius in voluntatem ad placitam Dei traditionem, quæ ibi ex vera & solida fide fieri debet. Cæterum oblationem corporis & sanguinis Christi ne verbo quidem attingit.

Idem Pater capite 34. lib. 4. postquàm indicauit, non sacrificia sanctificare hominem, sed conscientiam puram eius qui offert sanctificare sacrificium: quódque sacrificium Ecclesiæ idcircò à Malachia purum appelletur, quoniam illud cum simplicitate offert: quemadmodum & Philippenses Paulo munus suum Romam miserant, odorem suauitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo, hæc verba subiungit, Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, in sententia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione, primitias earum quæ sunt eius creaturarum offerentes; & hãc oblationem Ecclesia sola puram fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Hæc ille.

In his verbis notandum est, Doctorem istum sanctitatem & puritatẽ sacrificij Ecclesię assignare. Quamobrem sacrificium hoc non potest esse Iesus Christus ipse: nihil aliud autem tunc temporis esse agnitum est, quàm panis & vinum, cum gratiarum actione, & traditio in voluntatem ac placitum Domini.

De nullo alio sacrificio intellecta est eo tempore Prophetia Malachiæ de pura oblatione gentium.

In hoc testimonio D. Irenæi illud quoque diligenter animaduertendum est, quod de causa oblationis scribit: nempe quod Dominus in veteri & nouo Testamento docuerit offerre, non vt aliquid Deo indigẽti demus aut promereamur ab ipso: sed ne infructuosi aut ingrati simus, eique seruire discamus. Hoc diligenter notet Christianus Lector, notatu enim necessarium est, ad id vt discernatur inter verè Catholicam doctrinam Ecclesiarum Christi, & Antichristianarum in hac quęstione, Vtrum sacrificium in S. Cœna agnoscendum vel non agnoscendum sit.

Tertullianus etiam qui post Irenęum antiquissimus est, cuius scripta etiamnum supersunt, meminit S. oblationis donorum pro pauperibus: sacram Cœnam verò appellat sacramentum Eucharistiæ, panémque & Calicem Domini.

D. Cyprianus autem non nominat quidem S. Cœnam Eucharistiã, sed interdũ quoq; sacrificiũ, idque propter duas causas: tũ quod ibi sancta

oblatio pro pauperibus fiat:tum quod memoria passionis & immolationis Domini nostri Iesu Christi,facta in cruce,celebratur. De priori causa legimus in exhortatione eius ad eleemosynam: éstque sermo ad diuitem quandam matronam directus,quam alloquitur talibus verbis: locuples & dives,Dominicum celebrare te credis,quæ corbonam omnino non respicis:quæ in Dominicum sine sacrificio venis:quę partem de sacrificio,quod pauper obtulit,sumis. In quibus verbis B. martyr Cyprianus S.Cœnam sacrificium appellat,ab oblatione donorum quę fideles pro pauperibus Domino offerebant, ex quibus postea S. Cœna pro omnibus instruebatur.

Idem martyr S.Cœnam appellat etiam Dominicum sacrificium. Itē sacrificium Dei Patris & Christi, propter memoriam oblationis Domini nostri Iesu Christi. Scribit enim quoque S. Cœnam esse sacrificium,quod est Christus ipse,Item quod sit passio Domini, cuius in omnibus sacrificiis memoriam celebremus. Dicit etiam Christum Dominum in sacra sua Cœna illud idem obtulisse, quod obtulit Melchisedec,panem & vinum, nempe corpus & sanguinem suum. Consimili modo scribit,calicem in memoriam Christi Domini offerri: & sacerdotem in Ecclesia Deo Patri sacrificium offerre. Istæ locutiones omnes habentur. Epistola 3.lib.2. Similes inuenirentur ferè apud omnes antiquos Patres,verùm in nullo alio sensu, quàm quod multū amplificare ac sublimibus verbis pronūciare voluerunt id quod inS.Cœna,si modò eam iuxta institutionem Domini celebremus, præsens habemus,&ad vitam æternam percipimus,videlicet Dominum nostrum Iesum Christum,vnicè acceptum Deo Patri sacrificium, In quo nos ipsos quoque Patri offerimus, & offerimur per ipsum, gratias illi agemus,laudibúsque celebramus,quę omnia sunt gratus & acceptus Deo cultus,opúsque benè placitum.

Iam verò totum negocium in eo consistit,vt locutiones istæ ritè & quemadmodum à S.Patribus vsurpatæ sunt,referantur &intelligantur. S.Patres in Ecclesiis Latinis vtuntur his modis loquendi,offerre oblationem,sacrificare sacrificium, hostiam victimā immolare. Græci suis verbis vtuntur, θύειν θυσίαν,προσφέρειν προσφορὰν,ἱερουργεῖν ἱερουργίαν. Latina verba sacrificare & sacrificium idem propemodum valent, quod apud Græcos ἱερουργεῖν & ἱερουργία. Sic etiam προσφέρειν & προσφορὰ æquipollent,illis,offerre &oblatio.Eadem quoque ratio est vocum Hostia &victima,qua vocabuli θυσία.Immolare propriè loquendo significat sacrificium cibariū ex farina & sale confectum offerre: sed Latini etiam promactare vsurparunt, quemadmodum Græci suum θύειν.

Eiusmodi vocabula S.Patres tractationi Cœnę Dominicæ attribuerunt,non quod in ea mactetur aliquid,aut victima offeratur: sed quod ibidem commemoretur,& annuncietur victima & immolatio Domini nostri Iesu Christi,qui semetipsum pro peccatis nostris hostiam Patri obtulit in ara crucis. Hinc est quod in canone Concilij Niceni de hac re dicitur,Positum hic esse agnum Dei qui tollit peccata mundi,à

sacer-

cerdotibus ἀθυτως θυόμενον, hoc est, datum ac propositum ad recordationem & meditationem mortis ac passionis suæ, hostięque qua seipsum in ara crucis à peccatoribus mactatum & occisum, oblationem suaueolentem Patri obtulit.

Sic quando S. Patres dicunt, Corpus & sanguinem Domini sacrificari, ἱερουργεῖσθαι, vel etiam offerri προσφέρεσθαι, nihil aliud intelligūt, quàm quod ibi per sacram hanc actionem sacrosancta sacramenta, & in eis corpus & sanguis Christi, Christus Dominus ipse offeratur, sistatur & representetur Deo Patri cœlesti: in eo quod laudibus celebratur, & gratiæ illi aguntur pro immensa bonitate & misericordia eius, qui propter nos dilecto Filio suo non pepercit, sed tradidit eum in mortem, ad hunc finem, vt nos siquidem in eum crediderimus, non pereamus, sed habeamus vitam æternam: populo verò Dei in hoc, quod ipsi prædicatur, & porrigitur & exhibetur Christus Dominus, cum omnibus meritis ac donis suis.

Quod verò hic sit genuinus ac verus talium locutionum sensus testantur Patres ipsi in sermonibus suis. Cyprianus in antè positis verbis inquit, *Nostrum sacrificium esse Christum.* Item, *Passionem eius esse nostrum sacrificium quod in sacra offeramus.* At quoniam alio modo possunt sacerdotes passionem Christi, & Dominum ipsum offerre, quam passionem illius ac fructum qui ex ea enatus est, beatam eius resurrectionem, cœleste, regnum, redemptionem nostri, satisfactionem pro peccatis nostris, destructionem mortis, adoptionem in Filios Dei annunciando & prædicando, Deúmque Patrem per ipsum pro omnibus istis acceptis beneficiis digna gratiarum actione laudando & celebrādo, denique orando, vt passionem & resurrectionem dilecti filij sui in nobis efficacem reddat, vt quotidie peccatum mortificemus, nouam verò ac diuinam in nobis prouehamus ac confirmemus. Hoc est, quemadmodum D. Paulus scribit ad Philip. c. 3. *vt efficaciter eum cognoscamus, & potentiam resurrectionis illius, & communionem afflictionum eius, conformes facti mortui ipsius, vt pertingamus ad resurrectionem mortuorum.* hoc est, memoriam eius sicut præcepit celebrare, mortémque ipsius annuntiare, quemadmodum Apostolum hoc dictū Domini, *Hoc facite in mei commemorationem*, declarauit.

Hanc eandem sententiam & intellectum Cyrillus in epistola contra Nestorium clarissimis verbis tradit, sic dicens, Quando mortem vnigeniti Filij Dei, hoc est, Iesu Christi, quam iuxta carnem perpessus est, annunciamus, quódque ex mortuis resuscitatus, & in cœlum sublatus sit, confitemur, peragimus in Ecclesiis incruentum cultum, λατρείαν, accedimúsque ad spiritualem ac latentem benedictionem, & sanctificamur iā participes sanctæ carnis ac pretiosi sanguinis Seruatoris nostri Christi. In his verbis videre est, Doctorem istum λατρείαν id ipsum appellare, quod alij Patres ἱερουργίαν καὶ θυσίαν, sacrificium & oblationem nuncupant, videlicet veram ac legitimam Cœnę Dominicæ administrationem.

Eandem veritatem D. Augustinus quoque apertis verbis docet contra Faustum lib. 20. cap. 17. *Hebræi inquit in victimis pecorum quas offere-* Item. 8.

bant Deo, multis & variis modis, sicut in re tanta dignum erat, prophetia celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit, memoriam. Vnde iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione corporis & sanguinis Christi. In his verbis appellat Doctor iste tractationem S. Cœnæ Dominicæ celebrationem memoriæ victimæ Christi, oblatæ in cruce, quo nomine & in aliis quoque quàmplurimis locis eam appellat. Celebratio verò quid aliud est, quàm solennis prędicatio & annunciatio, quę fit cum verbis tum ceremoniis? Quapropter inquit D. Augustinus, *Sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Quæ oblatio in sacrificio, hoc est administratione S. Cœnæ nihil aliud esse potest, quàm confectio & consecratio sacramenti.* Vnde idem Pater lib. eodem ca. 21. inquit. *Huius sacrificij caro & sanguis antè aduentum Christi per victimas similitudinum permittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur, hoc est, verbis & sacris signis prædicatur & exhibetur.*

Hæc omnia fusius explicantur per id quod sanctus iste Pater scripsit ad Paulinum Epist. 59. super verba Pauli 1. Timoth. 2. *Adhortor igitur vt ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpretationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus,* &c. Hæc verba sic interpretatus est. *Multa inquit hinc dici possunt, quæ improbandanda non sint: sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia: vt precationes, δεήσεις accipiamus dictas, quas facimus in celebrationes sacramentorũ, antequam illud quod est in mensa Domini incipiat benedici: orationes, προσευχὰς, cum benedicitur, & sanctificetur, & ad distribuendum comminuitur: quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione includit. Interpellationes verò ἐντεύξεις, fiunt, cùm populus benedicitur. Tunc enim antistites velut aduocati, susceptos suos manus impositione misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*

In his verbis sicut etiam alibi appellat D. Augustinus Missam celebrationem sacramentorum, & enumerat eius essentiales partes. Quarum prima est, panis & vinum, quæ in mensa Domini offeruntur: secunda precatio, quæ fit, antequam illud quod est in mensa incipiat benedici. Tertia Oratio, cùm panis & vinum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur. Quarta, Benedictio populi. Quinta, Distributio & participatio sacramenti. Sexta, gratiarum actio.

Verum quid Benedictio & sanctificatio sit, quoniam Aduersarij peculiarem ea de re Articulum posuerunt, suo loco declarabitur. Catholica fides Christianorum est, quod benedictio ista & sanctificatio consistebat in antecedenti gratiarum actione & pronunciatione verborum Christi.

Ad pleniorem horum omnium declarationem probè perpendendum etiam est caput nonum libri de fide, ad Petrum Diaconum, qui D. Augustino ascribitur. In quo sic habetur, *Firmissimè tene, & nullatenus dubitet, ipsum vnigenitum Deum verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis: cui cum Patre & spiritu*

sancto

ſancto à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus tempore veteris Teſtamenti animalia ſacrificabantur, & cui nunc, id eſt, tempore Noui teſtamenti, cum Patre & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt vna diuinitas, ſacrificium panis & vini in fide & veritate, ſancta Eccleſia Catholica per vniuerſum orbem terræ offerre non ceſſat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis quē erat effuſurus in remiſſionem peccatorum noſtrorum. In iſto autem ſacrificio gratiarum actio atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. Hæc ille.

In his verbis, tria veniunt animaduertenda. Primum eſt, quod ſacrificium Chriſti offerre pro peccatis noſtris, ipſi Domino ſoli adſcribitur, non ſacerdoti vel Eccleſiæ. Alterum eſt ſacrificium quod Eccleſiæ tribuitur, eſſe panem & vinum, quod non minus Chriſto Domino quàm Patri & Spiritui ſancto offert. Tertium, Quod affirmatur, in hoc Sacrificio Eccleſiæ non eſſe oblationem, ſed gratiarum actionem atque cōmemorationem carnis & ſanguinis Chriſti.

In eandem ſententiam loquitur etiam D. Chryſoſtomus Homil. 17. in Epiſtolam ad Hebræos, vbi de miſſa tractat. *Pontifex noſter, inquit, ille eſt* (Chriſtum intelligit) *qui hoſtiam θυσίαν mandantem nos obtulit: ipſam offerimus, & nunc quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem ſit eius quod factum eſt. Hoc enim facite inquit in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium ſicut Pontifex, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀναφέρομεν, ſed idipſum ſemper facimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur.* Hæc ille.

Ex quibus verbis apparet, quod etiamſi Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alij Doctores dicant, Corpus & ſanguinem Domini, vel Chriſtum Dominum ipſum, in S. Cœna Patri offerri, hæc tamen oblatio nihil aliud ſit, quàm gratiarum actio quæ ſit Patri pro immenſa & ineffabili dilectione ſua, qua nobis dilectum filium ſuum, & cum eo omnia donauit, vt per ipſum haberemus vitam æternam.

Et quando dicunt, Quod corpus Chriſti nobis immoletur, quemadmodum loquitur Auguſtinus in Pſalm. 75. dicens ex ipſa memoria nobis quotidie ſic immolatur, quaſi quotidie nos innouet. Ad quem modum etiam loquitur ſcribens ad Bonifacium, de Baptiſmo paruulorum Epiſtola 27. In eiuſmodi locutionibus nihil aliud intelligunt, quàm quod nobis beata communio Chriſti, victimę ac meriti eius nobis proponatur & communicetur.

Hęc omnia copioſiùs videre eſt in Liturgia Græca, quę D. Chryſoſtomo & Baſilio adſcribitur, ſed perperàm & falsò. Maxima enim diuerſitas, quæ eſt inter antiquiores manuſcriptos & recentiores impreſſos libellos: & quod in operibus Chryſoſtomi ſparſim hinc inde de forma celebrationis Cœnę Dominicæ ſcribitur, argumento eſt, quod etſi in Liturgiis quæ noſtro tempore circumferuntur, fieri poteſt, vt de precationibus ac formis quibus Baſilius & Chryſoſtomus vſi ſunt, aliquid inſit, multa tamen à poſterioribus illis appoſita ſint & afficta.

Verum quomodocunque ſe res habeat de Liturgiis iſtis, manifeſtum

est ex illis, omne sacrificium in S. Cœna in duobus generibus oblationũ apud Græcos positum fuisse: quorum vnum est, panis & vinum, in quo vnitas & communio nostra cum Christo, traditióque nostri in voluntatem ac placitum illius prefiguratur, quemadmodum Irenæus & Dionysius docent. Alterum est, gratiarum actio & Oratio vnà cum in vniuerso cultu in ista actione. Quod autem corpus Christi in ea quoque offeratur, de hoc ne verbum quidem habetur in antedictis Liturgiis. Oratur quidem in eis Dominus, vt potenti manu sua participes nos reddere velit corporis & sanguinis sui. Mentio quoque fit περὶ τῆ ἱερουργήσεως, hoc est de sanctificando, vel sanctè conficiendo corpus & sanguinem Christi, qua voce Dionysius quoque vtitur. Verum ea nihil significare potest, quàm Consecrationem & confectionem Sacramentorum. Legantur Liturgiæ istæ vsque ad finem, & inuenietur verum esse, quod iam dictum est.

Simpliciter quidem vocabulum ἱερουργεῖν, pro Offerre vsurpatum est, etiamsi in genere nihil aliud significet quàm sanctum quid operari. Vnde etiam D. Apostolus Euangelium prædicare appellat τὸ εὐαγγέλιον ἱερουργοῦντα, Roman. 15. Quoniam verò in S. Cœna nihil mactatur, sed memoria victimæ Christi celebratur, nihil aliud significare potest, ἱερουργήσεως, corpus & sanguinem Domini in S. Cœna, quam mortẽ & passionem, & omnia beneficia eius prædicare, celebrare & sacramenta communionis corporis & sanguinis Christi conficere ac distribuere.

Ex his vnicuique Christiano in promptu est videre, quòd nomen Sacrificij administrationi S. Cœnæ principaliter ob hanc causam à veteribus tributum sit, quod ibi dona fidelium, panis & vinum, pro pauperibus & egenis, vnà cum oratione & gratiarum actione Domino offerebantur: celebris item memoria & communio victimæ Christi in ara crucis oblatæ, solenniter peragebatur, gratiæque pro tam immensis beneficiis per eam nobis præstitis Domine agebantur, cum deuota & religiosa & totius Ecclesiæ & priuatim singulorũ Christianorũ in omnem voluntatem & obedientiam Dei traditione. Non autem quod sacerdos in ea actione ingentem amorem & inenarrabilia beneficia Christi prædicare, Patri pro illis gratias agere, eáque fidelibus & verbis & sacramentis exhibere debet, quo homines oblationis ac victimæ Christi magis participes fiant, & in communione ipsius crescant atque promoueant, debeat quoque ibi Christum Patri pro noua victima sistere & offerre. Postremò & hoc quoque in omnibus dictis Patrum, quæ hactenus adducta sũt, videre licet, Distributionem videlicet ac perceptionem sacramentorum esse essentialem partem verę & legitimæ administrationis S. Cœnæ.

In quo consistat controuersia, quæ est inter veras Ecclesias, & earum Aduersarios, de sacrificio Cœnæ Christi.

Cap. LXXXV.

PRimum omnium Ecclesia Christi dat gloriam Domino, & agnoscit, quod S. Cœnæ administrationem nemo melius, ac magis propriè appellare possit quàm ipse. Libenter igitur ea nomina vsurpat, quibus Dominus eam appellauit: Nomina verò sunt ista, Cœna, Frangere & manducare panem Domini: distribuere ac bibere calicem gratiarum actionis: communio corporis & sanguinis Christi. Et quamuis nomina sacrificiorum in eo sensu, quo sunt à veterib. S. Patribus vsurpata, non reiicit, tamen quoniam ea hoc nostro tempore à pauciss[imis] rectè intelliguntur, & apud plebem in deprauatissimum intellectū, & horrendū S. Cœnę peruersionē & abusum prolapsa, ac per vim detorta sunt, & torquentur adhuc hodie, propter hanc causam eiusmodi nomina libenter omittit. Etenim de diuinis rebus quàm planissimè & apertissimè loquēdum est: decétque in eis non tantū omnia scandala euitare, verumetiam ad certam ædificationem omnia quàm diligentissimè referre, ac dirigere.

Contrà Antichristiani ea nomina, quæ Dominus ipse Cœnæ suæ imposuit, abhorrent & auersantur: sacrificiorum verò vehementissimè vrgent, sine vera & solida eorum explicatione. Qua ratione populus in peruersa ac pernicioſa S. Cœnæ abusu perpetuò hęrens permanet.

Secundò. Vera Ecclesia Christi fideliter ac seriò reiicit pernicios[issi]mam persuasionem & abusum S. Cœnæ Domini, qui in populo, propterea quod vocabula ista, Offerre & sacrificium non intellexit, inualuit. Nempe quòd homines (id quod luce meridiana clarius est, quantumuis Aduersarij fucis suis huic errori patrocinentur) ad missam confluunt, eā audiunt, vel non audiunt quidem, sed tantum vident, precio conducūt, suámque ad illam oblationem contribuunt, idque ea spe & persuasione, quod opere & sacrificio sacerdotis, quod ibi peragit, fruituri sint ac futuri participes, etiamsi nihil eius intelligant, vel animo perpendant, taceo, percipiant, denique sine omni pœnitentia & emendatione vitæ. Quotidiana enim experientia docet, quàm multi homines, qui in manifestis peccatis ac flagitiis contra conscientiam hærent, ab eisque desistere ne semel quidem cogitant, nihilominus tamen singulis diebus vel ipsi missas celebrent, vel eis prę[s]entes interſint.

Quoniam igitur tales homines tam multa ex manifestis ac maximè seueris præceptis Dei transgrediuntur, præterea etiam omnem orationem ac laudem Dei nihili pendunt, & tamen tanto studio ad missam aduolant, eámque in tanto pretio habent, de quo nullum habent mandatum Dei, prę[s]ertim sicut ipsi ad missam accedere solent, quę tandē causa esse potest, (quandoquidem nemo aliquid facit, ex quo non vel boni quid se consecuturum, vel incommodum aliquod effugiturum sperat)

quæ ipsos ad id faciendum impellat, quam vel temporale emolumentum, & honores quos hac ratione ab hominibus venantur, vel gratia & auxilium, quod à Deo se consecuturos hoc modo sperant? Vtra harum causarum eos moueat, horrenda certè abominatio in conspectu Dei, & grauissimus diuinę maiestatis contemptus, contra quem omnes Prophetæ, Christus Dominus ipse, & Apostoli, vehementius ac seueriùs, quàm contra aliud vitium clamarunt.

Quamobrem ad eiusmodi abominationem & contemptum Dei auertendum, operam dant fideles ministri, & veræ Ecclesię Christi, vt homines ad institutionem Domini in S. Cœna quàmplenissimè dirigant, eámque rursus in opus piè perducant. Nempe vt primum omnium hanc sacram actionem nemo exerceat, vel apud eam compareat, nisi discipulus Christi Domini esse, Euangelio eius verè credere, & iuxta illud vitam suam instituere summoperè studeat.

Secundò, Vt victima Christi oblata in cruce apud S. Cœnam ita prædicetur, & consideretur, gratię pro ea Domino agantur, pro omnibus necessitatibus Ecclesiæ, & salute omnium hominum oretur, oblationes ac dona offerantur, communióque Christi vnà cum distributione & perceptione sacramentorum ita exhibeatur, ac percipiatur, vt homines in fide & vita Domini nostri Iesu Christi in dies confirmentur, salutariter crescant & promoueantur.

Tertiò vt semper in singulis communitatibus & congregationibus singulæ missæ celebrentur, & in eis omnia ad intellectum astantis populi, legantur, canantur, orentur & peragantur.

Antichristiani verò primum omnium quotquot & quacunque ratione possent, ad suas missas protrudunt: præsertim verò si liberaliùs offerant: tantò enim gratiores eis tales sunt: nihil interim curantes, in quanta incredulitate, & quàm scandalosa vita manifestè hæreant ac perseuerent.

Deinde missas suas ita celebrant, vt auditores suos de oblatione Christi in missis nihil penitus doceant, vel ad vllam gratiarum actionem aut orationem hortentur: multò minus ad fidelem sacramentorum perceptionem excitent, erudiant, aut promoueant. Quamobrem suis auditoribus, quantum in ipsis situm est, ad nihil aliud inseruiunt, nisi vt externa ipsorum actione sine vllo intellectu & fide erga Deum confidant, atque hoc modo magis ac magis à fide & vita Christi abalienentur.

Tertiò ad corroborandam abominationem istam in singulis angulis missas instituunt: quás deinde ita legunt & peragunt, vt homines nihil quicquam de eis ad ædificationem percipere & intelligere possint.

In his consistit tota controuersia, quæ est inter Ecclesias Christi & veros earum ministros, & eas quæ errores & abusus qui à maioribus ad ipsos vsque peruenerunt, tueri ac defendere conantur.

De eo enim nulla pugna est, quod sacerdotes nomine totius congregationis, & tota congregatio per sacerdotes, & singula in ea per se apud S. Cœnam offerre debeant gratiarum actionem, orationem, & dona pro pauperibus: ibique pro omnibus hominibus, tā absētibus quā pręsētib⁹ preces

preces fundere & gratias agere. Item quod istius oblationis, videlicet gratiarum actionis & orationis, omnes qui id vera fide in Christum petunt, quibúsque id destinauit Dominus, participes fiant, fruantur, & emolumentum ex ea capiant. Denique quod Sacerdotes apud S. Cœnam prædicatione Euangelij, & distributione Sacramentorum, vnà cũ gratiarum actione & oratione victimam Christi oblatam in ara crucis omnibus præsentibus applicent, hoc est, proponant, & quantum in ipsis est communicent, & exhibeant. Quod & omnibus iis certissimè ad salutem inseruit, qui eiusmodi applicationem & communicationem vera fide in Christum petunt ac suscipiunt: è contrà verò ad intolerabile iudicium, qui eam hoc modo suscipiunt.

Hęc omnia fidelissimè docet etiam Liber Reformationis, omnésque veri ministri Euangelij, nihil autem contrarium, sicut Aduersarij in Articulo de Applicatione, & aliàs criminantur: qua de re copiosiùs in eo loco tractabitur.

De nomine Missa.

Cap. LXXXVI.

DE origine huius nominis admodum securè disputant Aduersarij, cùm econtra verè docti sententiam suam sine certa affirmatione proponant. A Doctore Reuchlino vel alio quodam, qui & in eadem opinione fuit, acceperunt Missę nomen esse dictionem Hebraicam מסת quæ Deut. 16. communem & voluntariam oblationem significet. Quod si verum esset, certè antiquiores S. Patres apud Græcos non minus imò citiùs, vt qui Iudæis propinquiores erant, & fidē Christi à Iudæis acceperant, vsurpaturi fuissent, quàm Latini: sicut etiam Haleluia, Amen, Osianna, Corban, & id genus alia vocabula vsurparunt. Quoniam verò soli Latini patres, hac voce vtuntur, Græcorum verò nullus qui probatæ fidei ac certæ authoritatis sit (Epistolæ enim Ignatij in certi authoris sunt, vt testatur Hieronymus lib. 3. dialogo contra Pelagianos) sententia Aduersariorum de nomine missa non ita certo & indubitato statui potest.

Beatus Rhenanus opinionem verisimiliorem habet, nēpe quod missa apud veteres tantundem significarit, quantum missio, sicut Cyprianus, Remissam dicit pro Remissionem. Officium verò S. Cœnæ ita appellatum fuisse, quod apud antiquos mos & consuetudo erat semper prius missos faciendi omnes, qui in manifestis peccatis & scelerib. viuebant: necnon Catechumenos, Energumenos, & eos qui adhuc in pœnitentia stabant: ita vt à principio officij, quod erat missa, hoc est, missio, qui apud S. Cœnā non debebāt adesse, totū officium missam, id est, missionem appellarint. Quemadmodum nunc ad finem officij quando dimittuntur hi qui apud S. officium manserunt, dicitur, *Ite missa est*, hoc est, missio totius cœtus. Videantur quę Beatus Rhenanus

hac de re scripsit, in annotationibus suis in lib. 4. Tertulliani contra Marcionem.

Quod Aduersarij Dionysio iniuriam faciant, dicendo, Quod missam appellet, salutaris hostia oblationem, iam ante dictum est. Debebant S. scripturas in natiuis linguis, quibus ab initio conscripta sunt legere & intueri. Quod de nomine (Communio & σύναξις) dicunt, id contra ipsos facit: quoniam in suis missis nullam habent cum populo communionem, nec doctrinæ, nec gratiarum actionis & orationis, nec sacramentorum, quemadmodum Dominus instituit, & veteres perpetuò summa cum religione obseruarunt. Non magis quadrat eorum missis nomen (Collecta) Neque enim populum ad intelligibilem, legitimã & fidelem S. Cœnæ administrationem colligunt, per eámque Christo Domino adducunt.

Ad Articulum De quatuor partibus quibus constet Missæ responsio.

Cap. LXXXVII.

CErtum est legitimam administrationem S. Cœnę quatuor istis partibus constare, quæ enumerantur ab Aduersariis, videlicet, Doctrina, Oratione, gratiarum actione, ac perceptione Sacramentorum. Verum etiam est, quod scribunt, Doctrinam & perceptionem sacramentorum præcipuè & peculiariter præsentibus conferre. Item, Quod gratiarum actio cum oratione ita à Sacerdote fieri debeat, vt præsentes omnes intentionem suam in verba sacerdotis dirigant, & communiter cum eo precentur ac gratias agant. Istæ sunt substãtiales partes Missę: quas quoniã Aduersarij in missis suis nec habent, nec præstant, necesse est ipsas eorum missas non esse Christianas, sed scandalosa missarum simulachra & vmbras.

Nam iuxta doctrinam Spiritus Sancti, 1. Cor. 14. hæ tãtum sunt Christianæ doctrinæ, orationes & gratiarum actiones in Ecclesia Dei, quæ ex spiritu Christi ad intellectum præsentis multitudinis proponuntur ac pronuntiantur. Iam verò Aduersarij in missis suis eiusmodi lingua vtuntur, quam Ecclesia Christi non intelligit: plerũmque etiam ad hũc modum omnia ligant, vt ne ij quidem, qui Latinè nouerunt, quicquam vel pauciſſima ex illis intelligere & apprehendere possint. Quamobrẽ nullam doctrinam, orationem aut gratiarum actionem præsenti multitudini proponũt, sed sunt ei instar barbarorum, loquuntur in auram, ac perinde se gerunt quasi pueri sint & dementes homines, sicut Apostolus hac de re loquitur.

Chrysostomum citant, qui dicit, Populum quando ad salutationem sacerdotis Dominus vobiscum, respondet, Et cum spiritu tuo, testari communem esse gratiarum actionem.

Quî fit igitur vt suum Dominus vobiscum non in ea lingua pronũcient,

cient,& tali forma,vt ad id populus suum Amen dicere possit? Quare etiam non docent populum,vt vnà cum ipsis oret,& gratias agat,quēadmodum D. Chrysostomus hoc loco ex natura & proprietate Christianæ communionis,&doctrina Spiritus S.1.Cor.14.testatur ac docet?

Porrò quemadmodum populum tribus istis partibus spoliant, Doctrina scilicet,gratiarum actione & Oratione: sic etiam Sacramentis eum priuant. Communionem enim homines non docent, nec debita religione ac studio ad eam ipsos hortantur:imò quod omnium est grauissimum petentibus eam non integram administrant.

Iam quod de Oratione & Gratiarum actione pro absentibus quoque facienda scribunt,idem etiam liber Reformationis docet, & eiusmodi precandi formas præscribit. De Oratione pro Defunctis postea dabitur differendi locus.

Benè & hoc ab Aduersariis positum est, Nihil debere in missis esse priuatum.

Verum eorum missæ ita celebrantur, vt populo Christi nihil in eis commune fiat,quemadmodum mandauit Christus Dominus, & priscæ Ecclesię omnes obseruarunt. Articulus igitur iste fermè in omnibus non libro Reformationis,sed Aduersariis aduersatur.

De altera quæstione principali. Vtrum in Missa quatuor sacrificia offerantur,nempe panis & vinum,Gratiarum actio,& Oratio,Christus Dominus ipse,& Ecclesia Christi.

De primo sacrificio panis & vini.

CAP. LXXXVIII.

DECORVM quidem esset,Christianarū&primitiuarū Ecclesiarum Dei consuetudini consentaneum, si fideles, quoties ad S. Cœnam accedunt, panem ac potum propauperibus secúmque adducerent & offerrent Domino:ex quibus portio quædam consecraretur, & distribueretur,quemadmodum ab Antiquis fieri solebat, vt ex eo quod suprà ex adhortatione Cypriani ad Eleemosynam adduximus,item ex publicis supplicationibus & precibus tā Græcorū quàm Latinorum,quæ super eiusmodi oblationes recitari consueuerant, videre licet. De qua re etiam S.Paulinus de Gazophylacio scribit:*Ne mēsam Domini nobis vacuam,egenis verò sine cibis relinquamus: nec ibi ad spectationem tantùm,non autem ad participationem stemus, ne pauperum gemitus per nostram socordiam expulsi in nos conuertantur.*

Nihilominus tamē,quoniā Dominus collationē & oblationē cibi ac potus ad mēsam sacrāq; Cœnā suā ipse nec instituit, nec in Cœna sua exercuit,nulla Ecclesia ad eam adigi potest. Interea tamē diligēter est monēdus populus,vt oblationē ac munus suū ad S.Cœnā adferat, neq; negligat id quod Dominus à veteri populo suo requisiuit, nempe vt vacuis manibus coram oculis suis non appareant.

Et quantum ad istam consuetudinem pertinet, Aduersarij nullas nec Ecclesias neque Ecclesiarum ordinationes incusare possunt, quandoquidé eam apud se nō modò penitus intercidere permiserūt, sed, quod maius est oblationē fideliū, quę pecunia & cādelis fit, pauperibus omnino subtraxerunt, ad quos tamen solos tota & integra pertinebat: præsertim cum sacrificiis & sacerdotibus alioquin de corporali necessitate ac victu tam abundè prospectum sit.

Impia quoque est, & irreligiosa socordia, imò peruersitas, dicta consuetudine ad mēsam Domini offerēdi prætermissa, penitúsq; collapsa, veterū orationes ac verba, quæ super memoratas oblationes pronūciarunt, tāta pōpa ac ceremoniis in qualibet S. Cœna recitare, vtq; recitētur seriò exigere: cū tamē eiusmodi oblationes nō adsint: eāq; ob causā taliū precationū verba nemo rectè, pleriq. verò deprauatissimè & maximè scādalosè intelligāt. Verū de hoc in Respōsione ad tertiā quęstionē.

Aduersarij hoc loco ex oblatione panis & vini merè significatiuū sacrificiū faciūt: qua de re nec in S. scriptura, neq. in S. Patribus vllā doctrinā habēt. Considerarūt quidē S. Patres, & meditari docuerunt in pane & vino, quæ tunc temporis fideles ad mensam Domini offerebant, mysterium vnitatis & cōmunionis, quam in Christo cum ipso, & inter nos inuicē habemus, per quā vnus panis & vnū corpus Christi sumus.

In quo natura quoque panis & vini perpēderunt: quemadmodū enim panis, vt etiā vinū, ex pluribus granis in vnā substantiā massāmque redigitur: ita nos qui multi sumus, in vnum corpus cōpingimur & coagmentamur. Vnde & D. Irenæus scribit, Offerimus ea quę sunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prędicātes carnis & spiritus.

Lib. 4. ca. 34. Verū oblationē istā panis & vini veteribus mysteriū fuisse, cui cōgruat id quod nostro tempore Diiconi siue sacerdotes pauxillum panis, & pauculas guttas vini in calice conficiunt, id longè aliter se habet.

Lib. 4. ca. 34. D. Irenęus inquit, Ecclesiam ideò hanc oblationem offerre, vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati simus, eique seruire discamus. Citátque dictū Salomonis, Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo: item verba Domini, Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & potastis me, &c.

Hoc idem etiam in secretis quibusdam est videre, vt in eos quā Dominica quinta post Pentecosten legunt, quæ sic se habet, Deus qui legalium differentium hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti, accipe sacrificiū à deuotis tibi famulis & famulabus, & pari benedictione sicut munera Abel sanctifica, vt quod singuli obtulerunt, ad maiestatis tuę honorem, cunctis proficiat ad salutem. Sic Secreta Dominicæ sequentis, sacrificiorum populi & septimæ Dominicæ, Eius quod singuli obtulerunt, meminit.

In his notandum, quod dicitur, Oblationis famulorum & famularum tuarum. Item, Quod singuli obtulerunt: quod sanè veteres non solum pro mysterio verumetiam pro sacrificio cibario ac nutritorio Domino Deo in pauperibus & egenis obtulerunt.

Quæ misericordiæ opera, quando ex vera fide fiūt, atque idcircò sunt instar realis precationis pro gratia Dei per Christum Dominū nostrū,

non

non malè quadrat orare, vt eiusmodi oblationes in & per Christũ Dominum proficiant hominibus ad salutem. Aduersarij dicunt, Se in oblatione panis & vini confiteri, quod Dominus Deus, qui omnia creauit, ac solus sustentat, dona sua tam corporalia, quàm spiritualia liberaliter nobis elargiatur: imprimis verò quod nobis filium suum redẽptorem & liberatorem misit, eumque nobis det in cibum vitę æternæ. Hãc afferunt oblationis suæ significationem. Et quidem elegans hic color esset, siquidem & parietem cui colorem istum inducere conantur, recipere vellent. At quis obsecro Missatorum de tali confessione vnquam cogitat, vel populum instituit?

Benedictio quidem & gratiarũ actio, quã, vt Euangelistæ cõmemorãt, Dominus faciebat, cùm panem & calicem in manus accepisset, sine dubio fuit, sicut aliàs scriptura de benedictione & gratiarum actione sanctorũ loquitur, confessio ac celebratio diuinę bonitatis & beneficentię, coniuncta orationi pro gratia & benedictione eius. Si igitur offerre panem & vinum est & significat Deum pro talibus donis celebrare, ac beneficia eius enumerare & prędicare, eumque pro vlteriori benedictione & gratia inuocare, certè Liber Reformationis huiusmodi oblationem non prætermisit, sed obseruandam & exercendam ordinauit.

Quòd si dicãt Aduersarij, Oportere vt in ista gratiarũ actione panis & calix in manibus teneatur, quemadmodũ fecit Dominus, tũ referendum illis est, quod nec ipsi in missis suis id faciant. Quãdo præfationẽ suã legunt, tunc manus quidẽ attollũt, panẽ verò & vinũ iacere sinunt. Adhęc res ipsa nõ in externis gestibus & signis posita est, sed in verè fideli oratione & gratiarũ actione. Ex precationibus primæ oblationis tã in Latina quàm in Greca Missa, manifestũ est primos earũ compositores hoc quoq; pro oblatione panis & vini intellexisse, quãdo orarunt, vt Dominus velit dona à fidelibus collata, sibi verò oblata, sanctificare, & largiri, vt ex eis corpus & sanguis fiat, vtq; Deus hunc cultũ sibi gratũ & acceptum, suauisque odoris oblationem esse permittat. Ad extremum notet Christianus Lector circa hunc locum Aduersarios quò pani & vino suo fuco quodam patrocinentur, ad ea adiungere Oblationem Christi Domini & passionis eius, item fidelium mentium, oblationem videlicet Ecclesiæ & communionis Christi, hoc est, omnes tres resíduas oblationes, quas missæ attribuunt. At quid hoc aliud est, quàm id quod antea affirmare, rursus negare: posuerunt enim panem & vinum esse peculiarem oblationem à reliquis separatam?

Si enim Ecclesia non ad panem & vinum per se respicit, sed potius ad adiunctam confessionem, gratiarum actionem & orationem, item ad Christum Dominum ipsum & passionem eius, vnà cum oblatione ac deditione in obedientiam illius: sanè panem & vinum conficere atque offerre, non est peculiaris Oblatio Ecclesiæ, sicut antea posuerunt. Quare color eorum nõ hæret, suntque nihil aliud quàm inania verba & nugæ, quæcunque dicunt, quibus horrendos abusus suos in hac actione fucare conantur. Perpetuò tentant verbis & actionibus S. Patrum se tegere, reipsa autem res imitari nolunt.

Veteres reuera panem & vinum apud S. Cœnam obtulerunt. Populus enim ad mensam Domini accedens panem & vinum secum adferebat, ad confitendum fidem suam, seque gratum Domino & pauperibus eius fructuosum demonstrandum. Hęc sanè realis oblatio erat per se: non quidem sine Christo, fideque propria, & traditione in voluntatem & obedientiam Christi: adhuc tamen considerata in se ipsa alia erat oblatio & diuersa à sequenti gratiarum actione, oratione, ac memoria Christi & passionis . us. Iam Aduersarij Oblationē panis & vini, quibus Christus Dominus in pauperibus suis cibari ac potari debet, penitus intercidere permiserunt, & id quod in locum illius successit, videlicet pecuniā & alia id genus dona. ad se rapuerunt: quam postea rapinam exigua particula panis & pauculis guttis vini consecrati compensare & exequare volunt, qui abusus apud eos obtinet: faciuntque existis significatiuū sacrificium: de mystica vero significatione eius nihil vnquam docent. Quamobrem vt sępius iam dictum est, omnis istorum hominum disceptatio est de inanibus signis, & externis ceremoniis, sine opere & veritate pietatis. Cuiusmodi fuerunt omnium illorum hominum facta, contra quos omnes Prophetæ, Dominus ipse, & Apostoli tam seriò clamarunt.

Summa huius Articuli hæc est. Primò Panem & vinum ad S. Cœnam pro pauperibus offerre, quemadmodum solebant veteres, Christianum quidem ac decorum esset: cæterum non est à Domino mandatū. Quamobrem Aduersarij, qui hanc offerendi consuetudinem ipsi non obseruant, & id quod in locum eius successit, à pauperibus abstractum ad se rapuerunt, non habent quod Librū Reformationis quoad Oblationē, sed ipsos, & omnes complices suos insimulent. Liber enim Christianā hanc offerendi rationem ad S. Cœnam docuit & ordinauit.

Secundò, Quòd Oblatio panis & vini tantummodo significatiuum sacrificium sit, quemadmodum Aduersarij comminiscuntur, de eo neque scriptura neque Antiquorum obseruatio quicquam nouit. Et quoniam Aduersarij mysticam eius significationem, quam tradunt, ipsi non exercent, necesse est vt falsò ficta eorum oblatio non modo nō frustranea & inutilis sit, verum etiam diuinæ maiestatis, cui in spiritu & veritate seruire debemus, grauissima offensio: præsertim cùm veterum verorum sacrificiorum cibariorum verbis non solum sine intellectu, verumetiam ad offensionem & scandalum abutantur. Merito igitur Aduersarij quantum ad confictum istud sacrificium significatiuum attinet seipsos, non librum Christianæ Reformationis accusare debebant.

Tertiò, Si Panem & vinum offerre, est Deo super illis gratias agere, neque hanc offerendi rationem Liber silentio pręteriuit. Tamen nullo modo conuenit, per eiusmodi non intellecta nomina, cùm alioquin propria ac probè intellecta vocabula haberi possint, rudioribus ac simplicioribus laqueos iniicere, clarúmque veritatis lumen tenebrarum nebulis offuscare.

De

De secunda oblatione, quæ est Gratiarum actionis & orationis.

Cap. LXXXIX.

QVOD apud S. Cœnam Deo Patri nostro cœlesti per Dominum nostrum Iesum Christum pro omnibus hominibus & pro omnibus beneficiis suis, gratias agi, ac vicissim omnibus omnia bona à Deo per Christum Dominum nostrũ orari debeant, de eo nulla est inter Ecclesias Christi & earum Aduersarios controuersia: quemadmodum nec de eo quod ista secundum scripturam grata sint & accepta Deo sacrificia.

Cæterùm de duabus rebus controuertitur in hoc articulo: quarum prima est, Quod aduersarij periculosum pernicioſúmque errorem & abusum hac in parte apud rudes & simplices homines fouent, nempe quod omnem gratiarum actionem & orationem contra mandatũ Domini, & priscarum Ecclesiarum consuetudinem in peregrina populóque ignota lingua perficiunt, ita vt nihil quicquam vtilitatis ad præsentes inde deuenire queat: quos tamen, quotiescúnque gratias agant precésque fundant, hortantur, dicentes, (verum in aliena lingua) *Dominus vobiscum, Sursum corda, Erectamus genua, Oremus.* Ad quę populus respondere debebat. *Et cum Spiritu tuo: Sursum habemus corda ad Dominum. Vere dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere Domine*, &c. Item ad precationes finitas respondere *Amen*: vt omnis oratio & gratiarum actio apud S. Cœnam, quemadmodũ D. Chrysostomus ex Apostolo rectè docet, ex communi fide, spiritu & attentione procederent. Quæ peruersio huius sanctissimæ actionis impium ludibrium & blasphemus contemptus est tam Dei quàm fidelis populi. Perpendat hoc apud se quilibet Christianus. Si potens quispiã Rex vel alius Dominus Commissariis vel officiariis suis iniungeret, vt aliquod serium maximiqúe momenti mandatum subditis suis optimè, clarissimè, & summo cum affectu promulgarent: quò populus mandatum istud & auida mente recipere, & suffragio suo confirmare posset: denique etiam operam daret, vt diligens eius executio fieret. Officiarij verò isti ad subditos quidem Domini sui accederent, idque summa cum pompa & solennitate, ornati honoris & officij sui insignibus ac vestimentis, qualia regios Commissarios ac legatos decent: celsiora etiam loca, & huic negotio accommoda conscenderent, conuerterent se ad populum, & inciperent eos ad attentionem hortari, postmodum Regium mandatum summa cum celebritate & pompa promulgarent, verũ tali lingua, quæ populo penitus esset incognita, adeò vt respõdere non posset, sed audiret tãtummodo verba non intellecta: spectarétque istorum hominum splendorẽ & ornatum externũ ac gestus. In populi autem locũ Officiarij isti alios quosdã substituerent, qui ipsius nomine ad interrogata respõderẽt, idq; sine intellectu subditorũ. Quis iam nõ

dicat, Legatos isto scurrile ludibrium exercuisse, & Domini sui maiestatē grauissimè læsisse, in eo quod omnia tā peruersè executi fuissent?

Iam verò potentior Dominus non est, quàm Dominus noster Iesus Christus: neque vllus alius est, qui ministris suis grauiora magisque salutaria mandata populo suo promulganda & patefacienda committat, quàm seruator noster Christus ministris Ecclesiæ in populo suo apud S. hanc actionem commiserit expedienda.

Ad hæc requirit, vt ea populo quàm clarissimè ac religiosissimè proponantur, ab ipso verò summa cum humilitate ac submissione sui ipsius recipiantur, denique in opus quam fidelissimè ac plenissimè producantur. Quid igitur aliud esse potest, quàm horrenda blasphemia & grauissima celsissimæ maiestatis Christi oblæsio, impius denique dignitatis Ecclesię eius contemptus, quod missatores tanto apparatu ac pōpa ad altaria in conspectu populi se sistunt, ad eū se conuertunt, plum alloquuntur, & clara voce acclamant, eum omnia diligēter audire, perpendere, simul gratias agere & precari iubent: omnia autem ista faciunt aliena & non intellecta lingua, quam populus percipere non potest? O horrendam indignationem ac furorem Dei, qui super vniuersum populum per hanc grauissimam contumeliam Christi atque offensionem Ecclesiæ prouocatur & accenditur! Veræ igitur Ecclesiæ Christi, & fideles earum ministri contra eiusmodi sacrilegos & blasphemos missatores vero & ardente zelo, propter abominandum hunc abusum, continuò depugnant.

Altera controuersia, quæ est, inter Ecclesias Christi, & legitimos earum ministros in hoc articulo, est, propter grauem & pernicioſum errorem quem rudi ac simplici populo confirmant, dum maximo verborum splendore & lenocinio tradunt, Sacerdotem sacrificium orationis & gratiarum actionis pro omnibus hominibus offerre. Non enim declarant, quod id nihil amplius sit quàm Deum & suo & præsentium nomine orare, vt eis misericors esse, suámque benedictionem largiri dignetur: item gratias Deo agere pro omnibus beneficiis, quæ in genus humanum confert. Quódque præsentes omnes vnà cum ministro precari & gratias agere debeant (minister enim in ea actione non tantùm propter se, sed omnes presentes ibi loquitur) idque summa cum religione ac deuotione mentis, animo contrito ac humiliato spiritu. Sed homines in falsa persuasione relinquunt, magisque in ea confirmant, perinde ac si ista sacerdotis actio, (qua gratias agit, ac preces fundit, quam tamen nō intelligunt, atque idcircò mentes suas eò dirigere & intendere non possunt; quin sacerdos quoque ipse non ratò sine mente & spiritu peragit,) sit eis apud Deum profutura, etiamsi ipsi per se Deum nec orent, nec illi gratias agant. Quod autem plerique homines isto errore implicati & irretiti sint, nimis, proh dolor, manifestè declarat ardens studium in petendis & redimendis orationibus missarum: nec non profligata temeritas & impudens audacia in manifestis peccatis & fla-

& flagitiis perseuerandi, vitamque Deo è diametro contrariam transigendi, in qua nihilominus perpetuò perdurant. Maximoperè igitur necessarium est Ecclesiis Christi, & fidelibus eorum ministris, vt istum errorem perpetuo redarguant & oppugnent.

Pro quibus in S. Cœna precationes & gratiarum actiones fieri debeant: ac primum de viuentibus.

Cap. XC.

QVOD in officio S. Cœnę pro omnibus hominibus orādum sit, fidelibus & infidelibus, amicis & hostibus: & tamen ordine seruato, vt pro domesticis fidei, & pro ordinariis magistratibus principaliter supplicationes fiāt, de hoc nulla cōtrouersia est, in verbis scilicet. Verbis enim fatentur Aduersarij id faciendum esse, verum in Libro ordinatum est, vt rectè videlicet in spiritu & veritate etiam perficiatur. De hoc solo controuertitur, quomodo & ratione id fieri, quorumque nomina ibi numerari & exprimi debeant. Nam liber Reformationis iuxta doctrinam & exemplum Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum eius, veterisque Ecclesiæ consuetudinem ordinauit, vt Oratio ista & gratiarum actio tanquam cōmunis totius populi, qui præsens adest, in communi lingua & clara voce ad intellectum præsentium peragatur. Eam verò Aduersarij in peregrina lingua, vocéque tam pressa ac submissa seruant, vt interdum vix semetipsos exaudire queant, taceo quod populus aliquid percipiat & intelligat: id quod, vt iam antea demonstratum est, cum instituto & expresso mandato Domini, omniumque priscarum Ecclesiarum consuetudine & exemplo directè pugnat.

Secundò, Solebant olim veteres in S. Officio nomina Episcoporum & presbyterorum, eorumque qui oblationem suam ad S. Cœnam attulerant, aliorum denique, si eius aliqua rationabilis causa suberat, peculiariter & expressè recitare: quod D. Cyprianus appellat, Offerre nomina: Vide Epist. 14. lib. 3. de nominibus Presbyterorum quæ olim coram populo nominabantur, vide Epistolam 137. Augustini de Bonifacio Presbytero. De nominibus eorum qui oblationem suam attulerūt, cap. 2. in Epistola Innocentij primi ad Decentium Episcopum Lugubinum, De reliquis in citato loco Cypriani.

Iam verò hæc nominum recitatio necessaria non est, quare nec in Liturgia Dionysij, vlla eius mentio habetur. Quoniam igitur Aduersarij penitus eam intercidere permiserunt, publicam nempe recitationem nominum coram vniuersa multitudine: neque adhuc istis præsertim temporibus constet, quomodo ad ædificationem aliquid constare possit, idcirco, vt quæ alioqui necessaria non sit, est prætermissa.

Postremò accusant Aduersarij Librum propterea quod expres-

sam Papæ nominationem in S. Cœna nõ ordinauit. Ad quod respõdemus: Veteres neminẽ præter ordinarium Episcopũ nominarunt. Græci adhuc nostro tempore solum Archiepiscopum nominant. Quod si antiquum Canonem hac de re agentem inspicere, suámque illi authoritatem relinquere vellent, qui scil. expresse nominandi sint, quem Cyprianus quoque citat, lib. 1. Epist. 9. & lib 3. Epist. 14. & 16. hanc reprehensionem sine dubio intactam reliquissent.

Hactenus de Oratione pro viuis, atque eorum nominatione.

De memoriæ & nominatione defunctorum Sanctorum.

Cap. XCI.

IN hoc Articulo taxant Aduersarij Librum quod non ordinauit, memoriam haberi animarum, qua cum signo fidei hinc discesserunt.

Responsio.

Lib. 2. Epistola. 6. *Lib. 4. Epistola. 5.*

VErum est, quod antiqui soliti fuerint apud S. Cœnam sanctorum Martyrum, reminisci, & quemadmodũ Cyprianus scribit, sacrificia pro illis offerre, hoc est pro donis in eos collatis victoriáque, quam ex gratia & auxilio eius contra diabolum & mundum obtinuerunt, gratias agere: ac postmodum quorundam nomina, quò firmior eorum memoria inter Christianos conseruaretur, loco & ordine suo in S. officio recitare, idque ex tribus causis, quas Dionysius recenset.

Prima est, Vt & nos ad imitandum beatissimum illorum habitum, atque ad diuina appetenda præmia prouocemur ac ducamur.

Secunda, Vt contestatio fiat, sanctos non mortuos, sed in diuinam penitus vitam ex morte translatos esse: eorumque memoria non humano more in phantasia tantũ inani, eius partis vbi sedes memoriæ est, sed sacratiore quodam modo iuxta eam quam in Domino intelligimus, precioſam & nunquam migrantem scientiam eorum qui in Dei imaginem excessere, atque in Deo consummati sunt, celebretur.

Tertia, Ad indicandam sanctorum indiuiduam coniunctionem vnionémque altissimam & sacratissimam, quam habent cum Christo Domino.

Contra Faustum Manichæum lib. 20. c. 21.

Tribus hisce causis D. Augustinus quartam adiungit, dicitque populum Christianum memorias Martyrum religioso solennitate concelebrare, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur, id quod tum demũ fit, cùm fidem eorum verè imitamur: vt suprà indicatum est in articulo de inuocatione Sanctorum. De hac re videre est libros Dionysij de Ecclesiastica Hierarchia, in explicatione mysterij Eucharistiæ. Item apud D. Augustinum,

lib. 8.

lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. vltimo, & lib. 22. cap. 10. & contra Faustum lib. 20. cap. 21. Hac ratione & forma, & propter enumeratas causas memoriam sanctorum celebrare, eorúmque nomina in Officio S. Cœnæ recitare, nempe quemadmodum antiquæ Ecclesiæ obseruarunt, non omni ædificatione careret.

Postquam verò nimia defunctorum Sanctorum existimatio, nec non superstitiosa de meritis & intercessione eorũ persuasio, quibus homines sine vlla vera fide in Christũ participes se futuros ac fruituros cõfidunt: pernicioſus denique morbus, quò homines maiori cum fiducia sanctos quàm Christum Dominum ipsum inuocant, adeo altas in plebe radices egerit, sperari certè non potuit, eiusmodi memoriam ac nominationem defunctorum sanctorum apud S. Cœnam aliquam nostro tempore vtilitatẽ populo Christiano allaturã esse. Quoniam igitur Christus neque eã præcepit, neque vel suo vel Apostolorum suorum exemplo docuit, idcirco in forma S. Cœnæ, quam Liber Reformationis præscribit, est prætermissa. Idque ex mandato Domini, qui vult vt omnes ritus in Ecclesia ad hunc modum instituantur & obseruentur: vt per eos pietas efficaciter prouehatur: quicquid verò ei obstare & officere valet, quantum quidem fieri potest, è medio tollatur.

Ex eo quod Dionysius quoque memoriæ sanctorum meminit, conantur Aduersarij inferre, Eam consuetudinem à temporibus vsque Apostolorum in Ecclesia fuisse. Sed vtinam Aduersarij eam formam celebrãdi Cœnam Domini, quæ à Sancto Dionysio (quantumuis vetustus aut recens sit) recipere & obseruare vellent: tunc enim vnà cum illis memoriam Apostolorum & martyrum celebraturi essemus. Si enim ad hunc modum obseruaretur, quo temporibus huius Doctoris obseruata fuit, vtilis esset ad ædificationem non scandalosa, vt nunc est non ritè & legitimè vsurpata.

Verùm vtcunque sit, nihil tamen habent Aduersarij, cuius Librum Reformationis, quantum ad hanc memoriam attinet, incusent. Ipsi enim eam non obseruant, eo videlicet modo quo à sanctis Patribus primum omnium exorta est & obseruata. Tantummodo enim apud se quorundam sanctorum nomina mussitant, populo verò Christi nihil qui quam de iis tradunt nunquam pro eis gratias coram multitudine agunt, nunquam dona Dei ipsis collata, meditantur: nunquam denique imitationem fidei eorum ac bonorum operum in parentibus excitant. Hactenus de memoria defunctorum sanctorum.

De memoria defunctorum Laicorum.

Cap. XCII.

Storvm quoque memoriam veteres sancti celebrarunt, in eáque orarunt defunctis beatam requiem, & communionem cœlestis luminis. Id verò non faciebant tali opinione, quasi eos ex Purgatorio vel alia quauis afflictione, & calamitate eri-

pere vellent. De eo enim ne vni cum quidem verbum reperitur apud omnes Patres, qui antè Augustinum fuerunt: erátque temporibus Augustini, quemadmodum ipse proprio testimonio cõfirmat, coniectura tantum, & probabilis opinio, non autem doctrina Ecclesię. Sed postquam antistes, vt sanctus Dionysius testatur, Orationem pro defunctis absoluit, ea vt interpres iudiciorum diuinorum præsentibus apertè demonstrat, ac testatur quod Dominus promissam beatitudinem defunctis certò præstet: deinde verò sacerdotale suum munus in eo exercet, quòd declarando & traducendo Deo charos admittit & excludit impios. Hęc ille.

Et propter hanc causam sacerdos tempore Dionysij, quemadmodum ipse in Officio humandorum mortuorum, eiúsque explicatione describit, gratiarum actionem orationi pro remissione peccatorum pręmisit, in eóque diuinam gubernationem laudibus concelebrauit, quod per eã destructum est iniquum & violentum contra nos omnes imperium, nósque ad sua iustissima iudicia translati.

Sic etiam apud alios antiquos Patres legimus, vt Ambrosium, Basiliũ, Nazianzenum, Hieronymum & alios, in orationibus funebribus & Epitaphiis, quòd Deo pro defunctis, vt qui iam in sempiterno gaudio viuunt, gratias egerunt, eóque lugentes consolati sunt: & tamen nihilominus post absolutam gratiarum actionem & consolationem illis rogauerint, remissionem peccatorum, beatam requiem, ac lætam resurrectionem.

In qua oratione dum peccata defunctorum confitebantur, primum omnium gloriam dabant Domino, quod ipsos ex mera gratia, per meritum dilecti Filij sui ad beatam vitam suscepisset.

Secundo. Amorem suum erga mortuos, & desiderium gratiæ donorúmque Dei pro suo modo adiunxerunt.

Tertiò, Communionem in Christo Domino nostro, quam nos cum defunctis, qui in signo fidei discesserunt, habemus, confessi ac contristati sunt: quod sanè Ecclesia quotidiè facit, etiam inviuentibus adhuc fidelibus: quibus iugiter orat remissionem peccatorum, & absoluit eos à peccatis: cùm tamen nullo modo dubitet, Deum illis iam ignouisse, vitámque ęternam in hęreditatem largitum esse, quandiu videlicet eos in vera pœnitentia de peccatis, firmáque & solida fide in Dominum nostrum Iesum Christum deprehendit.

In enchiridio ad Laurentium, ca. 109. tom. 3.

Quapropter ratiocinatio illa D. Augustini nihil concludit, qua sic colligit. Consuetudinem orandi defunctis remissionem peccatorum, & beatam requiem, ab Apostolis accepit Ecclesia, ídque facit non inaniter, sed necesse est vt oratio ista aliquid efficiat. Iam quorundam merita tam bona sunt, vt talibus adiumentis non indigeant: aliorum verò tam mala, vt eos nihil adiuuent. Quare nonnulli ex hac vita discedent, non tam boni, vt non requirant ista post mortem: neque tam mali, vt eis non prosint, sed in fide in Iesum Christum adeò firmi, vt non condemnẽtur, peccatis verò ita implicati & inuoluti, vt plenam salutem continuò assequi nõ possint. Et talibus orationem Ecclesiæ prodesse posse, aut vt ple-

nam

nam remissionem peccatorum consequantur, aut vt tolerabilior fiat ipsorum damnatio. Omnia ergo sacrificia, siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum quę pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, si pro valdè bonis fiant, gratiarum actiones esse dicit: si pro non valdè malis, propitiationes, si pro valdè malis, etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, saltem qualescunque viuorum esse consolationes. Ad hũc modum ratiocinatur D. Augustinus, ad Quæst. 2. Dulcitij, De cura gerenda pro mortuis, Ad Paulinum.

Iam verò si propius intueamur, quomodo & quibus de causis veteres, qui ante D. Augustini tempora fuerunt, sacrificia sua & precationes apud S. Cœnam & aliàs peregerint, inueniemus, fideles semper pro his, qui in signo fidei & communione Christi ex hac vita discessissent, offerre & orare consueuisse: idque non inaniter ac frustrà, sed nec propter hanc causam, quam solam D. Augustinus eiusmodi Oblationis & Orationis causam esse opinatus est: nempe vel ad plenam remissionem peccatorum, vel saltem tolerabiliorem damnationem defunctis exorandam & impetrandam. Sancti enim Patres multis iisque clarissimis verbis de defunctis suis, pro quibus tamen sacrificia fecerunt, & orarunt, disertisque verbis remissionem peccatorũ & beatam requiẽ cũ Christo petierunt, testati ac gloriati sunt, Deóque propterea gratias egerunt, quod illos iam in beatam requiem suam, ac gaudium cœlestis vitæ suscepisset.

Causas verò paulo antè commemoratas in eo respexerunt. Primum, quod eiuscemodi oblationibus & oratione pro remissione peccatorum defunctorum, peccata eorundem, fratrum ac membrorum suorum in Christo, ad gloriam gratiæ ac misericordiæ diuinæ, meritíque Domini nostri Iesu Christi, agnoscebant & confitebantur. Quod aliquando tanti factum est, vt nonnulli pro defunctis baptizari se paterentur, ad commendandam diuinam clementiam, meritúmque Domini nostri Iesu Christi celebrandum. Cuius rei mentionem facit Paulus 1. Cor. 15.

Secundò, Quod istheç facientes, charitatem & Christianam communionem erga defunctos declarabant, in eo quod pro ipsorum beatitudine non minus quàm pro propria salute precabantur.

Tertiò. Quod ministerium Ecclesię, mandatam videlicet absolutionem à peccatis, in eiusmodi fratribus ac commembris suis exercebát, eósque pro mensura sua & officio in cœlum ad Dominum quasi amandabant ac deducebant: peculiarem etiam confessionem ac contestationem beatæ ac sempiternæ communionis faciebant, quam inuicem habemus in Christo, quámque discessus ex hac vita non separat.

Hę sunt causæ propter quas antiquiores sancti Patres pro defunctis fratribus apud S. Cœnam & aliàs obtulerunt, & orarunt, atque idcirco, nõ in cassum ac frustrà, nec quantũ ad ipsos & totã Ecclesiam pertinet, quæ hac ratione fidem suam & dilectionem exercere ac confirmare potuit: nec etiã quò ad defunctos, quib. in Christo Domino honori ac voluptati fuit, gratiæ ac misericordiæ diuinæ soli præstitę pia cõfessio, vnà cum exercitio mutuæ dilectionis, ministeriíque ad eorum salutem.

Ex hac fide Iudas oblationē suam pro defunctis Hierosolymam misit, & precatus est: qua de re legimus 2. Machab. cap. 12. Quamobrem in eo loco solius resurrectionis, tanquam principalis causæ sacrificij istius & supplicationis, mentio fit, nullius verò liberationis ex vllo supplicio vel tormento.

Quod verò sancti Patres dicta iam ratione pro defunctis orauerint: non autem ea intentione, quod eos ex aliquo supplicio liberare, vel iamprimum plenam remissionem peccatorum illis impetrare voluissent, quamuis vnicuique in promptu videre sit, qui citata testimonia Dionysij, funebrésque orationes Ambrosij, Nazianzeni & Basilij Epitaphia, item ab Hieronymo conscripta legere ac diligēter examinare volet: tamen quo pleniorem Christianus Lector huius rei cognitionem, ac firmius fundamentum habere possit, videamus & examinemus solummodo sequentia dicta D. Ambrosij, in Epistola quadam ad Faustinum quem consolatur de obitu sororis eius, quæ est octaua libri secundi. Ibi sic scribit D. Ambrosius.

Tot igitur semirutarum vrbium cadauera, terrarúmque sub eodem aspectu exposita funera non te admonent, vnius sanctæ licet & admirabilis fœminæ, decessionem constabiliorem habendam: præsertim cùm illa in perpetuum prostrata ac diruta sint, hæc autem (intelligit sororem eius) ad tempus quidem erepta nobis meliorem illic vitam exigat? Itaque non tam deplorandam quàm prosequendam orationibus reor: nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.

Ecce hic Pater scribit, Faustini sororem orationibus prosequendam & oblationibus Deo commendandam esse: cùm tamen antea dixerit, quod iam meliorem illic vitam exigat. Vnde liquidò patet, D. Ambrosium non hoc intellexisse, quod beatę huic matronæ beata vita precibus iamprimum impetranda esset, sed vt ad eam nostro quasi more & consuetudine deduceret, Dominóque commendaretur. Et his verbis statim subiungit.

Verum fortasse asseras: securum te de meritis eius ac fide, nequire tamen ferre desiderium, quod eam iam non videas, secundum carnem, idque tibi summo dolori sit. Nec illud te mouet Apostolicum, quod ait, Quia neminem nouimus ex hoc secundum carnem, & si cognouimus, secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Abducit Faustinum à carnali planctu sororis suę ad spiritualem cognitionem & communionem sanctorum.

Ex quo rursus elucet, D. Ambrosium, hoc voluisse, vt Faustinus de beatitudine sororis suę minimè dubitaret, sed certus ac securus esset. Vnde sequitur, eum in hac sententia non fuisse, quod beata vita defunctis iamprimum, post eorū ex hac vita discessum impetranda sit. Nihilominus tamen voluit, vt eam omnibus persequeretur, & oblationibus Domino commendaret.

De hac certitudine vlterius scribit ad finem Epistolæ, in hunc modū. *Quid est quod ingemiscamus pro mortuis, cùm iam reconciliatio mundi apud Deum Patrem facta sit per Dominum Iesum? Quoniam ergo Christi beneficia tenemus, cùm apud omnes tum apud te pro Christo legatione fungimur, vt nouerís irro-*

ris irreuocabilia eius esse dona, vt credas quod semper credidisti, nec nimio mœrore tuam in dubium adducas sententiam: quia ideo peccatum factus est Dominus Iesus, vt tolleret peccatum mundi, & essemus in illo omnes iustitia Dei, non culpæ obnoxij, sed iustitiæ remuneratione securi.

Et in oratione funebri, quam idē iste Pater habuit in exequiis Theodosij imperatoris per veram pœnitentiam peccatorum ac solidam fidem se ad requiem suam conuertisse, præcedentia verba in hunc modum concludit. *Absolutus igitur dubio certamine fruitur nunc Augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua: tranquillitate diuturna: & pro iis quæ in hoc gessit corpore, munerationis diuinæ fructibus gratulatur.* Quibus verbis D. Ambrosius agnoscit, Theodosium in æterno gaudio Domini iam viuere, ac muneratione beatitudinis frui: nihilominus tamen ita subiungit. *Conteror corde, quia ereptus est vir, quem vix possumus inuenire. Sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus, vt eum in filiis repræsentes. Tu Domine custodiens etiam paruulos, in hac humilitate saluos facito sperantes in te. Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis. Illo conuertatur anima eius, vnde descendit, vbi mortis aculeum sentire non possit: resurget autem, vt perfectior renouato munere vita reparetur. Dilexi, & ideo prosequor eum vsque ad regionem viuorum: nec deseram, donec fletu precibus inducam virum quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum, vbi perennis vita,* &c.

In his verbis perinde loquitur D. Ambrosius, ac si Theodosium Imperatorem iamprimum fletu & oratione in requiem eius & æternam vitam inducere vellet, cùm tamen paulo antè dixerit, Eum iam nunc frui perpetua luce, ac requie beata, sicut etiā paulò post inquit, *Manet ergo nunc in lumine Theodosius, & sanctorum cœtibus gloriatur.* Item, *Nunc se augustæ memoriæ Theodosius regnare cognoscit, quando est in regno Domini nostri Iesu Christi, & considerat templum eius.* Ex quibus verbis manifestum est, D. Ambrosium, cùm beatitudinem Theodosio precaretur, non dubitasse, totámque Ecclesiam certiorem reddere, & confirmare de eo voluisse, quod iam nunc in æternam beatitudinem receptus esset.

Consimilem gloriationem de beatitudine Imperatoris Valentiniani atque etiam simul orationem pro ea: qui tamen sine baptismo, magno tamen eius desiderio ex hac vita discesserat, nec non fratris sui Gratiani Imperatoris, legere est in oratione funebri eiusdem D. Ambrosij, in obitum Valentiniani.

Apud antiquos enim indubitatum fuit, remissionem peccatorum ad hoc seculum propriè & peculiariter pertinere, in altero verò minimè expectandam esse.

Quare tunc temporis firmiter creditum & obseruatum fuit, quòd omnes qui in fide Christi cum morte remissionem omnium peccatorum consequantur, & continuò in sempiternum gaudium suscipiantur. Qua de re scribit D. Ambrosius in lib. de Bono mortis cap. 2. hæc verba: cùm Dauidem introduxisset, dicens. *Et ideo tanquam peregrinus* (Dauidem intelligit) *ad illam sanctorum communem omnium patriam festinæ-*

bat: petens pro huius commorationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam discederet de vita. Qui enim hic non accepit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem quod ad vitam æternam non potuerit peruenire, quod vita æterna remissio peccatorum est.

Vides Christiane Lector, Ecclesiam Christi tempore huius Patris remissionem peccatorum plenè atque omnino in hac vita collocasse, & credidisse, quod ad vitam æternam peruenire non possit, quicunque nõ in hoc seculo remissionem peccatorum consequatur: quóque remissio peccatorum sit ipsa vita æterna. Vnde sequitur, quod quicunque in vera fide Christi ex hac vita discedunt, adeo plenam remissionem peccatorum consequantur, vt iam reuera possideant vitam æternam: neque opus sit ampliorem aut pleniorem peccatorum veniam illis exorare.

Quod idem dare videre est in dicto Cypriani contra Demetrium, quod in eius Tractatus fine habetur in hunc modum. *Credite & venite, & qui nos ad tempus prosequimini, in æternum gaudete nobiscum. Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur: hic saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad consequendam salutem in isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges, & Deum qui vnus & verus est, confessione & fide eius agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impartit: hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis: redimendo credentem precio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione cœlesti.* Hæc ille.

Ex his quoq. verbis sancti martyris Cypriani liquidò patet, Ecclesiam Christi illius tẽpore indubitato credidisse & obseruasse, quod nulla sit in altero seculo remissio peccatorum: & quod plenam remissionem per meritum Domini nostri Iesu Christi consequantur, quicunque in fide ipsius ex hac vita discedunt: etiamsi iamprimum sub ipso exitu, vitæque temporalis occasu hanc fidem concipiant, quemadmodum Latroni contigit, qui cum Domino crucifigebatur.

Atque hæc fides obseruatióque Ecclesię fundamento nititur verbi Christi, dicentis, *Amen amen dico vobis, Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transibit à morte in vitam. At qui vitam æternam habet, & in condemnationem iudiciúmque non venit, sed à morte transiuit in vitam*, qui in eo inesse potest, post mortem persolutam, vnde in vlla adhuc cõdemnatione hæreat, plenámque remissionem peccatorum & perfectam beatitudinem nondum sit consecutus?

Quamobrem etiamsi S. Patres pro defunctis fratribus & sororibus sacrificia obtulerunt, precésque apud S. Cœnam aut aliâs fuderunt, id tamen nullo modo ab illis factum est, quod vel tolerabiliorem condẽnationem,

tionem, vel plenam remissionem peccatorum, vel denique à suppliciis quibusdam & tormentis liberationem illis iamprimum impetrare voluissent, sed, vt antea dictum est, ex natura & proprietate communionis ac dilectionis per quam fideles in Christo Domino perpetuo vinculo quod nec per mortem dissoluitur, constricti sunt & compaginati, voluerunt eiusmodi suffragiis & oblationibus suis pro defunctis ad gloriam Dei fratrum, membrorúmque suorum quæ ex hac mortali vita excesserant, peccata confiteri, redemptionem ac meritum Christi in illis celebrare, eósque quasi in cœlestem vitam precibus suis prosequi, & per ministerium Ecclesiæ obligare, ea ratione ac modo, quatenus oratione sua, ac ministerio ad defunctos fratres & dona Dei iam illis impertita & concessa, pertingere potuerunt.

Quemadmodum in viuentibus ministerium orationis, & communicatio Christianæ communionis, dona & opus Christi interdum subsequitur, non autem vel præcedit, vel comitatur, etiamsi verba & tota actio ita comparata sit, quasi opus Domini vel antecedat vel comitetur. Sæpenumero enim oratur etiam viuentibus remissio peccatorum, absoluuntur à peccatis, baptizantur, abluuntúrque ab illis, quibus tamen Dominus iam antè peccata abluit & remisit. Dicebat Ananias Paulo, vt Apostolus ipse commemorat. *Frater surge, & baptizare, & ablue peccata tua.* Act. 22. & tamen iam antea erant illi abluta peccata, cùm Domino credidisset, in eiúsque voluntatem & obedientiam se tradidisset, dicendo, Domine, quid vis me facere? Sic pius Theodosius & plerique alij, qui tam seria pœnitentia ac dolore de peccatis suis Deum per Dominum nostrum Iesum Christum pro remissione peccatorum inuocarunt, & vnà cum ipsis tota Ecclesia, hi sine dubio ab & coram Deo omnium peccatorum suorum remissionē certissimè impetrarunt, priusquam absoluerentur ab Ecclesia.

Nihilominus sic visum est Domino, ad maiorem communioni ministerióque Ecclesiæ authoritatem & dignitatem conciliandam, ídque in tali existimatione ac precio conseruandū, vt Ecclesia tales pœnitentes ac supplicantes primum omnium religiosa ac seria prece publica & absolutione consolaretur, populóque Christi cōmendaret, perinde acsi iamprimū per ministerium Ecclesiæ à peccatis soluantur & liberentur.

Ex his omnib. cuiuis Christiano perspicuū est, quàm longè alia fuerit veterū sanctorū sententia ac fides de memoria, oratione ac oblationib. pro defunctis Christianis: quanquā aliena ac diuersa ab horrēdo errore, & pernicioso abusu, qui postquam prælatorum auaritia & fastus obtinuit, introductus est, támque horribiliter inualuit, vt hodierna dies declarat. Veteres ad ædificationem viuentium memorias defunctorum ita celebrarunt, quemadmodum S. Dionysius & alij copiosè testantur. Nempe vt sacerdos per verbum Domini præsentes omnes de atrocitate peccatorum, ac seueritate diuini iudicij contra ea, ac deinde passionis & resurrectionis Christi summa cum grauitate & religione commonefaceret, atque hoc pacto veram pœnitentiam de peccatis admissis in nostrum Iesum Christum implorationē, studium & amorem

erga ipsum Dominum nostrum, ac celestem eius vitam inflammaret & excitaret, ad quærendum ac meditandum quę suprà sunt, vbi Christus Dominus regnat ad dextram Patris. Cuius rei gratia S. quoque Cœnã apud exequias mortuorum celebrarunt, in eáque semper quorundam defunctorum nomina peculiariter recitarunt, nec non in genere omnium mortuorum recordati sunt, ad Communionem in Christo cum omnibus, qui in signo fidei ex hac vita discesserunt, contestandam, beatęque resurrectionis spem augendam & confirmandam. At quid fit nostro seculo, posteaquam Antichristus tantopere inualuit? Primùm omnium docetur, esse Purgatorium, in quo diuinæ iustitiæ per suppliciũ tormentúmque animarũ iam primùm satisfieri oporteat. Quod dogma etiamsi ad certissimã meriti & satisfactionis Christi extenuationem faciat, necessarius tamen & indubitatus statuitur fidei articulus: de quo tamen vetustissimi qui vniuersam fidem Christi, cum omnibus eius articulis confessi sunt, nihil penitus norunt, sicut nec S. Scriptura quicquam pro eo habet, sed potius talia, ex quibus contrarium euidenter & irrefragabiliter concluditur. Dominus enim ipse testatur, quòd omnes qui verè credunt in eum, non veniant in condemnationem, sed iam à morte in vitam transierint.

Deinde ex modo & proprietate tormentorum Purgatorij excogitatæ sunt plurimæ impiæ apparitiones, traditaque hominibus impudentissima mendacia quibus crudeliter perterrefacti sunt, & ad conficta suffragia, liberationémque animarum ex Purgatorio violenter adacti & impulsi.

Tertiò, Suffragia ista super vigilias missásque pro animabus defunctorum ita penitus fundata sunt, vt dictis vigiliis missisque omnes anguli repleti fuerint, Indulgentiæque quę precioso vendi ac redimi solent, quotidie communiores melioríque pretij factæ. Vnde moti sunt homines, vt longè plura in fictitia illa suffragia, tam pro se quàm pro suis impenderent, quàm in famelicum, sitibundum, nudum, exulem, ægrotum ac captiuum Christum in suis, cùm apud antiquos primùm ac pręcipuum, quod in exequiis suis exercuerunt, fuerint dona & oblationes pro pauperibus. Ad hæc quanta blasphemia cum nundinationibus, quámque horribilis vanitas vigiliarum & exequiarum committatur, nemo est qui pro dignitate exprimere queat. Aduersarij igitur eorúmque sectatores non habent quod veterum Sanctorum obseruationem quoad memoriam defunctorum vel sibi vel detestandę abominationi suæ, quam sub pretextu liberationis animarum ex Purgatorio exercent, vlla specie prætendant.

Solutio

Solutio eorum quæ Aduersarij contra commemoratam veritatem de Oratione & Oblationibus pro defunctis Christianis, ex Sanctis Patribus introduxerunt.

Cap. XCIII.



Hoc loco citant Aduersarij Dionysium, Nazianzenum, Nissenum, Athanasium, Epiphanium, Chrysostomum, Augustinum, Bernhardum, quos omnes testari dicunt, quod antiquitus memoria & supplicatio pro defunctis Christianis apud S. Cœnam fuerit obseruata, nonnullos etiam, quod defunctis multum commodi, refrigerij & consolationis adferat.

Quantum ad primùm attinet, videlicet priscos S. Patres apud S. Cœnam & aliàs defunctorum memoriam celebrasse, sacrificia pro eis obtulisse, denique preces fudisse, nemo est qui inficietur. Quibus verò de causis, & in quem finem id ab eis factum sit, nempe quod potius voluerint contestari, defunctos cum Domino iam in æterna lętitia gaudióque viuere, ac Deo pro tanta gratia ac misericordia se gratos exhibere, quàm eiusmodi gaudium illis iamprimum impetrare, de hoc iam ante satis dictum est. Vlterius nihil habetur in istis testimoniis S. Patrum, vt euidenter paulò superius est demonstratum.

Nec D. Epiphanius aliud quicquam asserit, quàm consuetudinem nomina Sanctorum apud S. Cœnam recitandi. Eiusque nullam aliam rationẽ reddit, vel vtilitatẽ ostendit, quàm vt hoc pacto cõfiteamur ac cõtestemur, omnes qui in Christo ex hac vita discesserũt, nõ in nihilum redactos esse, sed viuere cum ipso. Cúmque pro peccatis defunctorum supplicamus, vitæque huius infirmitatem ac fragilitatem fatemur, meditamúrque profundiùs: item cùm memorias sanctorum celebramus, honorem tribuamus Christo Domino, quòd sit super ipsos omnes, communisq; eorum Saluator & propiciator. Verum quod per eiusmodi supplicationes & oblationes aliquid refrigerij, auxilij & relaxationis defunctis impetretur, de eo Sanctus iste pater nihil penitus habet, quẽadmodum nec vlli alij ex antiquioribus Patribus. Habet quidem inter cætera etiam hæc verba: *Vtilis est Oratio quæ pro defunctis fit, etiamsi non omnem culpam resecet, neque etiam id per quod nos sæpe dum in hoc mundo sumus, fallimur & erramus, tum inuiti tum voluntariè, quò id quod perfectius est significetur.* Hæc oratio mendosa est & mutila: quapropter animus authoris ex ea elici non potest, nisi correctius comparetur exemplar, in quo integra sententia ponatur. Quoniam verò ante hæc dicta verba, clarè expresséque commemorauit principalem causam orationis memoriæ & nominationis defunctorum apud S. Cœnam, nempe hanc,

vt præsentes hoc pacto fidem suam confiteantur, quod mortui qui ex hac vita emigrarunt, viuant, & viuant cum Domino, constat eum de salute & beatitudine eorum qui in fide Iesu Christi ex hac vita excesserunt, nihil omnino dubitasse. Quando igitur dicit, Orationem quæ pro defunctis fit, non omnem culpam resecare: ex quo probabiliter coniici potest, eum sensisse quod aliquam partem rescindat, necessarium tamē est, hunc esse istorum verborum intellectum, quem S. Dionysius tradidit, nempe Orationem istam nihil aliud esse, quàm confessionem & concessionem, quod iam Dominus eiusmodi reatum ac culpam sanguine suo resecuerit. Præcipuum enim ac principale in hac oratione esse statuit, vt fides ac spes quoad mortuos per eam confirmetur, nempe quod tantummodo à nobis discedant, viuántque cum Christo Domino.

Porrò quod dicit Orationem istam non omnem culpam resecare, fieri potest, vt in eo sensu dixerit, quod infidelitatis peccatum non resecetur. *Quicunque enim sine fide in Christum ex hac vita migrant, ij iam iudicati sunt*, vt inquit Dominus, Ioan. 3. Quod verò de iudicatione plenioris ac perfectioris meminit, id haud dubiè de peccatis, sed de confessione peccatorum, deque redemptione à peccatis, facta per Christum Dominum nostrum intellexit. Quamobrem continuò subiunxit, quasi antegressæ rationis causam. *Pro iustis & peccatoribus mentionem facimus. Pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes: pro iustis verò & Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, Martyribus, Confessoribus, Episcopisque & Anachoretis, & pro vniuerso ordine, vt Dominum Iesum Christum, ab hominum ordine separemus*, &c. Iam oratio ista non potest esse superioris Sermonis conueniens & apta causa, nisi eius hic sit sensus, quod quotiescunque pro defunctis oremus, in honorem & gloriam Domini fragilitatem humanam confiteamur, eúmque prædicemus, qui nos peccatis redemit.

Verùm quomodocunque mutilam istam & obscuram orationem intelligamus, hoc tamen expressè, propriè atque explicatè ab hoc S. Patre positum est, Summum ac præcipuum in prolatione nominum defunctorum, item in oratione quæ pro ipsis dicitur esse, quod credant præsentes, quod hi qui præcesserunt, viuant, & non sint, nulli, sed sint & viuant apud Dominum. Vbi sine dubio benè beatéque viuunt, nec opus est, vt iamprimum precibus nostris beatam vitam illis impetremus. Ex reliquis verbis, quoniam propter defectum emendati exemplaris intelligi propriè non possunt, neq; etiam certi aliquid inferri potest.

Cæterum Chrysostomus, Damascenus & alij Patres, qui post istos scripserunt, D. item Augustinus, & qui post eum inter Latinos scripta nobis reliquerunt, de solario auxilioque loquuntur, quod precibus ac sacrificiis nostris, quę pro ipsis offerimus, eis impetremus. Verum in quo consistit eiusmodi solatium & auxilium? Ad hanc quæstionem respondet D. Augustinus, vt remissio plena fiat, vel saltem tolerabilior condemnatio. Sic etiam D. Chrysostomus,

Homil.

Homil.69.ad populum Antiochenum probare conatur quod infidelibus,& catechumenis,aliisque qui malè ex hac vita emigrarunt, nonnihil relaxationis & solatij per eleemosynas & preces quæ pro illis offeruntur ac funduntur,impetrari possit.Et ad hoc confirmandum, adducit *Dominum Hierosolymis peperciſſe, propter ſe & propter ſeruum ſuum Dauid.* Item *quod Iob pro filiis ſuis obtulerit,eíſque hoc pacto gratiam impetrarit. Et ſicut nos pro omnibus viuentibus oramus,in quorum numero ſunt etiam latrones, fures,ſacrilegi, alique homines omnis generis flagitiis ac ſceleribus oppleti, quibus tamen precibus noſtris nos impetraturos ſperamus, vt ſe aliquando conuertant, vitámque ſuam emendent: ſic etiam ſe rem habere de mortuis.*

Quamuis idem iſte Pater in ſermone ſuper verba Pauli, *Nolumus vos ignorare fratres de ijs qui obdormierunt, de iis qui in fide Chriſti hinc migrarunt*,hunc in modum ſcribit. *Quemadmodum eos qui ad inſigne aliquod officium recepti ſunt multi homines plaudendo proſequuntur: ſic etiam debent Chriſtiani ſanctos, qui hinc diſcedunt, bonis verbis proſequi, vt qui ad magnam dignitatem vocati ſunt.* Hæc ille.

Iam non eſt dubium,cõmemoratam Auguſtini & Chryſoſtomi opinionem quòd damnatis tolerabilior condemnatio impetretur,ne ipſis quidem Aduerſariis placere.Neceſſe igitur eſt ,vt Patres iſtos incertas in hoc negocio cogitationes habuiſſe fateantur.

Ad hoc reſpexerunt , quod Eccleſiæ Chriſti ab initio pro defunctis orare conſueuiſſent,idque non feciſſent inaniter:verum cum cauſas inueſtigarent,ſemper longiùs à ſcopo diuinæ Scripturæ aberrarunt.

Antiquiores Patres,vt ſuprà dictum eſt,nullam aliam huius rei cauſam agnouerunt,aut reſpexerunt,quàm communis humanæ perditionis confeſſionem,ac viciſſim communis redemptionis factæ per Chriſtum,vnà cum communione,quam omnes electi Dei habẽt in Chriſto Domino,conteſtationem. Poſteriores verò Patres omnes, quotquot poſt D.Auguſtinum fuerunt,de hac quoque cauſa ſibiipſis perſuaſerũt, quod defunctis plena remiſſio peccatorum aut ſaltem tolerabilior cõdemnatio impetretur:nullum tamen adhuc Purgatorium agnouerunt, etiamſi de eo diſputari conceſſerint,quemadmodum D.Auguſtinus fecit.Qui verò poſt iſtos extiterunt,vt Gregorius , Bernhardus & alij , ij Purgatoriũ quoque ſtatuerunt,idque ex iis ſcripturæ locis quæ D. Auguſtinus pro Purgatorio nihil cõcludere demonſtrauit. Cuiuſmodi eſt iſte locus Pauli de igne,qui vniuſcuiuſque opus ædificantis ſuper fundamentum Chriſtum Dominum probabit.Item dictũ illud Chriſti de Carcere,*ex quo non exibit reus,donec perſoluerit extremum quadrantem.*

In Enchiridio cap. 67. 68.10. 3.

De fide & operibus ca.15.16. to.4.

De Ciuitate Dei li.21.cap. 26.

Vtrúmque dictum nihil ad Purgatorium pertinere probat D. Auguſtinus.Paulus enim in hoc loco loquitur de igne,qui vniuſcuiuſque opus probat , non minus illius qui aurum argentum , aut precioſos lapides ſuper fundamentum Chriſtum ſuperſtruxit, quàm eius qui lignum , ſtuppas aut fœnum. Ad hæc vocabulum (donec) non eam habet vim , vt id cui adiungitur , aliquando euenire oporteat; ſed ſatis eſt , vt nunquam fiat. Quo pacto Euangelica locutio

1.Cor.3.

intelligenda est, Ioseph non cognouit Mariam, donec peperit filium suum vnigenitum: ex qua non sequitur: quod Ioseph Mariam post natiuitatem Christi cognouerit. Sic neque ex eo quod Dominus de carcere dixit: è quo non sit exiturus debitor, donec persoluerit vltimum quadrantem, sequitur, Carcerem quendam esse, ex quo pateat exitus, postquam totum debitum fuerit persolutum: sed rectè se habet ista locutio Christi, etiamsi ex carcere nemo vnquam esset exiturus: siquidem verissimum est, neminem vel minimum debitum proprio supplicio tormentóve persoluere posse.

Quantumuis verò plana apertáque sit D. Augustini dictorum locorum explicatio, nihilominus tamen Gregorius, qui alioqui D. Augustini scripta non parui fecit, ex iisdem locis Purgatorium defendere aggressus est, sicut D. Bernhardus ex dicto Domini de blasphemia in spiritum Sanctum, quæ neque in præsenti neque in futuro seculo remittitur. Quod dictum nihil aliud importat, quàm blasphemiam in Spiritum S. nunquam in æternũ dimitti, sicut hæc verba Domini apud Marcum descripta habentur. Quare ex hoc dicto colligi non potest, alia quædam esse peccata, quæ non in hoc, sed in altero seculo remittantur. Quod si vel maximè verum esset Dominum videlicet quædam peccata in altero mundo dimittere, quæ in hoc seculo remissa non fuissent, ex eo tamen non sequitur, esse Purgatorium in quo eiusmodi peccata prius expurgari pro eisque satisfieri oporteat.

Satis apparet ex breui tantum & exili huius negotij indicatione D. Bernhardum magis iuxta communem ac vulgo receptam opinionem quàm ex propria sententia iudicióque locutum esse. Alioquin enim de Purgatorio & liberatione hominum nihil peculiare docet, nec vllas habet orationes funebres. Et in sermone 26. in Cantica, vbi Gerhardum fratrem suum luget, meminitque publicæ sanctæ orationis ac precis quam vnà cum reliquis fratribus pro eo fudisset, gratias agit Domino, ac laudat eum, quod fratrem suum iam in æternã beatitudinem suscepisset, nullius verò intermediæ Purgationis meminit in purgatorio. At verò existimandum est, sanctum hunc virum fratrem suum non adeò sanctum iudicasse, vt eum ab omnibus peccatis immunem & liberum fuisse putasset. Verum morte Christi semetipsum consolatus est, in cuius fide, sicut ipse meminit, frater eius confidentissimè ex hoc mundo migrauerat. Vnde nihil penitus dubitauit, fratrem suum iam esse in grege beatorum Angelorum, in plena beatitudine gaudióque æterno. Similem sermonem habuit in obitum Episcopi Malachiæ, qui nec ipse tam sanctus fuit in oculis Bernhardi, vt non adhuc ei peccatum adscriberet.

Verùm quomodocunque tandem negotiũ Purgatorij apud D. Bernhardum, alios S. Patres constitutum fuerit, manifestè constat, opinionem de Purgatorio, falsáque cõficta ex eo liberatione sicut in per multis aliis dogmatibus ritibúsque Ecclesiasticis vsu venit hisce postremis tẽporibus, nõ tantũ à S. scriptura, verũetiã ab obseruatione primarum syncriorúmque Ecclesiarum, quàm lõgissimè recessisse. Nec mirũ est,

quan-

quandoquidem ipsi Ecclesiarum antistites temporibus istis corrupti & deprauati erant: id quod & Gregorius & Bernhardus (qui duo præclarissima Ecclesię lumina post Augustinum fuerunt) tam frequenter ac seriò queruntur.

Quid? Bonus Damascenus iuxta vulgatam opinionem firmissimum fundamentum suum ponit in apparitionibus spirituum nec non respõsis, quibus per mortuorũ caluarias craniáque acceptis fidem dedit: adeo vt confirmandum auxilium ac liberationem ex inferno non dubitet introducere, quod legitur de quadam martyre, nomine Prima, quæ mulierem quandam Ethnicam idolorum cultricem precibus suis ex inferno liberarit. Item de Gregorio, quomodo Traianum Imperatorem Christianæ fidei crudelissimum hostem ac persecutorem ex inferno soluerit. Nec non de Libra qua bona & mala hominum opera librentur: ita vt si bona opera vel paululum præponderent, homo certissimè saluus fiat, quemadmodum etiamsi lances in æquilibrio consistant: & quamuis mala opera bonis ponderosiora sint, misericordiam tamen & clementiam Dei præcellere. Imò non dubitat scribere, quòd etiamsi mala opera bona longè superent, iis tamen subueniri posse, per ea bona opera quæ amici eorum pro ipsis faciunt, vt quibus defectus mortuorum adimpleatur ac compensetur. Imò meminit cuiusdam visionis, quomodo publicanus quidam nomine Petrus pauperi alicui homini Eleemosynam à se petenti, ira concitatus frustum panis loco lapidis in faciem proiecerit, ac postmodum extra se raptus viderit panem istum in dextram librę lancem, in qua bona eius opera librabantur, reponi. Sic etiam in genere disserit de sacrificiis ac precibus oblatis pro defunctis, quod defectum bonorum operum ipsis adimpleant & exequent. Hęc sanè nugacissima figmenta sunt, nihilominus tamen auxilia mortuorum tam immodicè auxerunt. In quam porrò abominationem postmodum res prolapsæ sint, & versentur adhuc hodie, nimis, proh dolor, manifestè patet.

In Sermone de his qui in fide hinc migrarũt. Ecolãpadio interprete.

Ex his omnibus discat Christianus Lector, Omnes Christianos Christianæ fidei, hoc est necessaria hominibus ad salutem capita fideles Apostolos Christi ex pleno eius mandato in Ecclesiis perfectissimè ac fidelissimè tradidisse: primósque martyres & confessores, ac deinceps S. Patres diligentissimè obseruasse. Iam verò in scriptis Apostolicis ne minimum quidem indicium habemus de auxilio, quod viuentes mortuis ferre queant, aut debeant. Primi etiam sancti martyres ac Patres minimè dubitarunt, omnes qui in fide Christi ex hac vita migrant, etiamsi peccata in se habeant, eorum tamen plenam remissionem consequi per meritum Christi, ad eumque suscipi in æternam requiem, gaudiumque sempiternum, vbi nostro auxilio nihil vlterius egent. Omnes item orationes, & sacrificia, quę veteres Ecclesiæ pro defunctis facere consueuerunt, tantummodo in vsum atque vtilitatem viuentium facta esse, videlicet ad fidem resurrectionis in eis confirmandam, communionémque in Christo cum omnibus membris eius prouehendam ac propagandam. Quamobrem neque Purgatorium nec

auxilium defunctos ex Purgatorio liberandi, Catholicum dogma esse potest. Non enim semper in Ecclesia neque apud omnes fuit, quę proprietas necessariò requiritur ad Catholicum dogma constituendum, quemadmodum suprà ex Lirinensi demonstratum est.

Quare Liber Reformationis in S. Cœna non ordinauerit commemorationem mortuorum agere.

Cap. XCIV.

IAM quoniam à nobis conceditur, memoriam defunctorum ab antiquissimorum Patrũ temporibus, vnà cum Oratione & Oblatione pro illis apud S. Cœnam obseruatam, atque haud dubiè ab illis creditum fuisse, quòd ista consuetudo fuerit Ecclesiis tradita per Apostolos, iniquissimum esse iudicabunt Aduersarij, quod liber Reformationis istam mortuorum commemorationem non eo saltem modo, quo fuit à vetustissimis Patribus obseruata, ordinauerit.

Ad hoc respondetur, Quicquid non à Domino vel ab Apostolis eius traditum est, vt quod ad salutem omnium Christianorum, atque omni tempore conducat, id vel obseruandi vel intermittendi non modò potestatem verùm etiam mandatum habent Christiane Ecclesię: & obseruandi quidem, quatenus ad ædificationem & incrementum fidei eorum apud quos seruari debet, vtile fore cognoscitur. Hanc doctrinam tradidit nobis ipse Dominus de Sabbatho, aliisque ritibus Iudæorum, Matth. 12. & 15. & plerisque locis etiam apud reliquos Euangelistas. Paulus Rom. 14. & 1. Cor. 8. 9. & 14. Quin & Aduersarij quoque verbis eam fatentur: In articulo enim de Communicatione sub vtraque specie eam quamuis ineptè & absurdè pro se adduxerunt.

Iam verò defunctorum commemoratio, etiam quam vetustissimi Patres obseruarunt, neque à Domino neque ab Apostolis (quantum ex propriis eorum scriptis cognosci potest) tradita est. Quapropter vnaquæque Ecclesia illam vel vsurpare vel intermittere debet: & obseruare quidem, quateuus vnaquæque Ecclesia apud suum populum id ad ædificationem & incrementum pietatis vtile fore agnoscit. Qua in re quilibet Episcopus propriũ suum iudicium habet, quid in hoc negotio sibi faciendum sit: nec debet quisquam Episcopus aliorum Episcoporum Episcopum se constituere, sed vnunquemque iudicio Domini relinquere, vt testatur D. Cyprianus in præfatione habita in quodam Concilio Carthaginensi.

Itaque posteaquam deprehendimus orationem pro defunctis præsertim in missa, vel apud S. Cœnam ad confirmandum grauem & perniciosum errorem in animicis simplicium vergere, vt putent animas defunctorum opera Sacerdotis per se ex Purgatorio liberari. Et tamen alioquin

alioquin bonum est,& vtile ad ædificationem,vt Christiana mortuorũ commemoratio agatur,ad fidem resurrectionis, beatéque cõmunionis in Christo cum defunctis spem augendam & confirmandam,ordinauimus,vt apud sepulturas fidelium eiusmodi commemorationes agantur,eiúsque Christianas formas præscripsimus, in quibus ministri Ecclesiarum docentur,populum per sacras scripturarum lectiones, & earundem explicationes,diligenter ac perspicuè commonefacere.Primum omnium de peccatis,vnde mors proficiscitur,vt homines ad pœnitentiam & mortificationem eorum permoueantur.

Deinde de redemptione facta per mortem & resurrectionem Christi:& demum de beata communione quam & viui & mortui habemus in Christo,ad consolandum homines de defunctis suis,eósque in spe ac fide Christi stabiliendos,vt in beata ac cœlesti vita magis magisq; confirmentur ac prouehantur.

Sic quęcunque veteres in memoriis defunctorum ad ædificationem prouectumque pietatis promouendum respexerunt, nostro tempore apud populum Christi longè meliori ratione ac sine periculo scandali quæruntur & adipiscuntur,quàm quæri vel adipisci possent,si commemoratio defunctorum ea ratione quę apud antiquos obseruabatur,hoc quoque tempore ageretur.

Quod autem in libro Reformationis nulla oratio pro defunctis ordinata est,hoc quoque propter dictam causam factum est:nempe quod oratio pro mortuis hoc tempore non ab omnibus intelligitur,sicut intelligebatur ab antiquis, atque idcircò scandalum si vsurparetur paritura esset.Simplices enim existimaturi essent, fideles defunctos nondũ esse per Dominum nostrum Iesum Christum redemptos,neque à morte iuxta verbum ipsius in vitam transiisse:sed oportere,vt ea iamprimũ precibus illis impetraretur.Cùm igitur orationis pro mortuis intellectum non habeamus,quem habuerunt veteres, nempe vt per eam solummodò studium desideriúmque nostrum Dominum celebrandi, & nostrum erga defunctos amorem declaremus, testemúrque quod iam præstiterit id quod defunctis ab ipso precamur: denique ministerium Ecclesiæ in defunctos fratres adhuc semel postrema vice exerceamus, nostrámque cum illis in Christo Domino communionẽ profiteamur: consultius sanè est, populum istarum rerum claris & intelligibilibus verbis quę ab omnibus intelligantur,admonere,vnde certò & efficaciter ædificari possint. Etenim eiusmodi sublimes maximique momenti ac penitus diuinæ res,quàm apertissimè hominibus proponi, animisq; eorum in culcari debent:omnis autem obscuritas quàm diligentissimè fugienda.

At dicant Aduersarij,Commemorationem mortuorum & Orationem pro ipsis Ecclesias ab Apostolis accepisse, quemadmodum nonnulli Patrum liberè & apertè testantur, quorum in numero est etiam Dionysius. Cùm enim,inquit,de prece super defunctis facienda, ex diuinis ducibus traditio peruenit ad nos,volunt per diuinos duces Apostolos intelligendos esse.

Responsio.

CRedibile quidem est,& antè & temporibus Apostolorum, commemorationem defunctorum,& consuetudinem pro ipsis orandi apud Iudæos in vsu fuisse,cuius rei non obscura vestigia & indicia habentur in 12.cap.2.lib.Maccab.quem ritum forsan Apostoli concesserunt,sicut pleráque alias ceremonias Iudæorum,quatenus videlicet in Christum Dominum nostrum dirigebantur. Verum quod Apostoli orationem pro defunctis tanquam generalem & ordinarium ritum ordinauerint,de eo ne vnam quidem probabilem coniecturam proferre licet.

Beatus Apostolus Paulus scribens ad Corinthios,ac volens fidem resurrectionis confirmare,statim post testimonium Euangelicum de resurrectione Christi,& ad eum pertinentium,Baptismum adducit, dicens,Alioquin quid facient ij,qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?Cur & baptizantur pro mortuis? hoc est, in resurrectionem mortuorum. At Paulus cùm ex Baptismo fidem resurrectionis probet, quare non etiam argumentum duxisset à Commemoratione & oratione pro defunctis,in quibus tamen, vt testantur veteres,summum ac præcipuum fuit, contestatio confessióque beatæ resurrectionis mortuorum? præsertim cùm Apostolus in talibus doctrinis ac testimoniis rationes à sacramentis & ritibus Ecclesiasticis sumpserit.

Quamobrem si suo tempore Defunctorum commemoratio generalis & Apostolica ordinatio fuisset,haud dubiè sic dixisset: Si mortui non resurgunt, quare tota Ecclesia Dei eorum apud S. Cœnam reminiscitur,eisque lætam resurrectionem precatur? Quod sanè argumentum magis proprium fuisset quàm alterum à Baptismo ductum. Quod si quis istud dictum Pauli cum Ambrosio de abusu intelligere velit, quo nonnulli pro mortuis baptizabãtur,vt hoc pacto illis subuenirẽt, ac beatam resurrectionem impetrarent, quî fit, quod Paulus non potius veram & Apostolicam pro defunctis orandi consuetudinem adduxit,si quæ tunc temporis in vsu versabantur?

Sic in prima Epistola ad Thessal. cap.4. vbi eidem Apostolo peculiariter propositum fuit, fratres illos super defunctis consolari, resurrectionis iterum meminit, & quomodo apud Dominum rursus conueniamus,beatéque apud ipsum conuersaturi sumus,narrat, tandem doctrinam & exhortationem suam his verbis concludit: Proinde consolemini vos mutuò sermonibus his. Quomodo autem non subiunxissent,Et commemorationem eorum apud S. Cœnam agite, precésque pro illis offerte?

Certè D.Paulus,qui legitimus,veréque fidelis doctor fuit,hanc clausulam non fuisset intermissurus,siquidem tunc temporis Catholica & Apostolica consuetudo fuisset,eo saltem modo,quem S.Dionysius describit, defunctorum in S. Cœna meminisse, ac preces pro illis fundere.

Quod

Quod si quis dicat, Apostolum idcirco huius ordinationis nullam mentionem fecisse, quod alioquin tunc temporis fuerit omnibus notissima: hoc tamen subterfugium nullam probabilitatem in se habet. Doctrina enim de resurrectione mortuorum est ex præcipuis articulis nostræ fidei, & semper diligentissimè inculcatus: atque idcirco erat omnibus hominibus perspectissimus: nihilominus tamen Thessalonicenses super defunctis consolari vellet, cum adduxit. Ad eundem S. quoque Cœnam & Baptismum in aliis locis allegat, quæ sacramenta omnibus quamoptimè nota erant.

Contentiosis permittendum est vt rixentur: omnibus autem verè fidelibus haud dubiè non obscurum indicium erit, Commemorationem, ac nominationem defunctorum, item in S. Cœtibus diuinisque actionibus pro illis supplicandi consuetudinem, neque Propheticam, neque Apostolicam ordinationem vnquam fuisse: In Leuitico Dominus omnis generis oblationes & sacrificia veteri populo diligentissimè & copiosissimè descripta tradidit, cæterũ cõmemorationis mortuorũ ne syllaba quidem meminit. Sic in omnibus reformationibus antiqui cultus, quas Dauid, Salomon, Hiskia, Iosia & alij instituerunt, ne minimum quidem huius consuetudinis indicium reperitur: non solum in Prophetis, sed etiam in aliis adiunctis scriptis, vt in libris Salomonis, Syrach, Esther, Tobiæ.

Idem iudicandum est & de libris, Noui Testamenti, in quibus tamen Dominus ipse, & Apostoli omnem fructum atque fidei & charitatis tã abundè tradunt: cæterum de commemoratione defunctorum, orandóque pro ipsis ne minimum quidem vestigium apparet. Vnicum habetur ea de re Iudæ Maccabæi exemplum, quod verisimile est potius ab Ethnica consuetudine profectum esse quàm verorum Iudæorum.

Quamuis haud dubium est, veteres sanctos Patres in suis planctibus, de quibus scriptura mentionem facit: quemadmodum Abraham suam Saram, filij Iacob Patrem suum luxerunt, se inuicem de aduentu Messiæ, ac ventura beata vita commonefeciisse, suas preces non pro defunctis, sed pro confirmatione fidei suæ fudisse neque quicquam dubitasse, quin eorum defuncti iam essent in promissa requie diuina.

Verum gentiles, quemadmodum reliquas omnes ceremonias, quas à primis fidelibus parentibus suis acceperunt, progressu temporis iuxta obtenebratæ rationis suæ placitum, deceptique & in errorem abducti à Satana, miserè peruerterunt, atque ad superstitionem detorserunt, ita & de ista lugendi ceremonia fecerunt. Cœperunt enim in ea liberè defunctis, eisque cultum exhibere: cùm potius pro seipsis sacrificia offerre, precésque fundere deberent. Quæ peruersio temporibus Homeri iam in abusu apud eos fuit, sicut videre est Odyss. κ. & λ. & in aliis plerisque locis. At quid obsecro tum ab hoc tum ab aliis Poëtis de mortuis, auxilióque quod ipsis à viuentibus ferri possit, vnquam confictum & excogitatum est, quod non antè hæc tempora publicè in suggestibus & pro

concionibus fuerit prædicatum, multísque voluminibus ac scriptis cõmendatum? Quamobrem non est mirum, si Iudæi antiquis temporibus hac in parte, quemadmodum in compluribus aliis rebus, imitati sunt. Quem abusum deinde pij Deique timentes homines rursus ad bonum vsum, & meditationem resurrectionis transtulerunt: sicut oblatio Iudæ Maccabæi, ab eo qui historias eius conscripsit, ad eam relatum est. Hęc omnia quæ hactenus introducta sunt, qui piè ac Christiana mẽte perpendere volet, is haud dubiè persuaderi non poterit, vt credat orationem pro defunctis, etiamsi vel iuxta meliorem antiquissimorum Patrum consuetudinem & intellectum: vel iuxta recentiorum inconstãtem & scandalosam peruersionem ac prauum intellectum fiat, Propheticam tamen aut Apostolicam traditionem non esse. Quamuis fieri potest, vt defunctorum nomina in S. Officio recitandi, sacrificia item & preces pro illis offerendi consuetudo iam tum temporibus Apostolorũ, vel saltem non longè post fuerit, vsitata, si non in omnibus Ecclesiis, saltem in quibusdam.

Cùm igitur probari nequeat, eam ab Apostolis ordinatam esse: sed potius contrarium: nec S. Patres vllum necessarium ritum in Ecclesia instituere possint: denique manifestè versetur ob oculos, quò incredulitatis & scandali ceremonia ista prolapsa sit: nemo est qui nos reprehendere meritò possit, quod in Ordinatione S. Cœnæ satis nobis fuit, omnia ea prescribere, & in vsum restituere, quæ nobis à Domino & Apostolis eius indubitatò tradita & mandata sunt, commemoratione nominúmque defunctorum recitatione omissa: præsertim cùm veram scripturísque consentaneam, & vtilem ad ędificationem mortuorum recordationem, suo ac commodiori loco ordinauerimus.

Iam autem Aduersarij verba Epiphanij vrgebunt, dicentes, Quomodocunque de Apostolis se res habeat, negari tamen non posse, quòd traditio Patrum sit, testante Epiphanio, ac deinceps statutum Ecclesiæ Iesu Christi. Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem Patris? Ad hanc instantiam respondetur: Defunctorum reminiscendi, pro eis offerendi & supplicandi consuetudo non potest esse statutum aut lex Ecclesiarum Christi. Ad hęc ipsi Aduersarij eam non obseruant, quemadmodum S. Patres eam tradiderunt & obseruarunt. Quare non est, quod cuiquam veterum in hoc negotio obseruationem obiiciant.

Verè enim Christiana Ecclesia, quandiu sponsa est Christi Domini nostri, & vna cum ipso caro, viuit ex eius spiritu, éstque columna ac stabilimentum veritatis, nulla de re leges condit, aut à quodam tanquam necessarium requiret, quicquid non certò & apud omnes ad pietatis cursum prouehendum conducit, atque idcirco in S. scriptura, quæ omnia bona abundè docet, vel non est firmiter solidéque fundatum, vel ex ea certissima cõsequentia deduci potest. Iam verò apud S. Cœnam mortuorum nomina proferre, sacrificia & preces pro illis facere, tale quid non est. Si enim necessarium, aut vbique & omnibus temporibus ad pietatem promouendam vtile esset, certè non Dominus ipse, non

Apostoli

Apostoli eius silentio id præteriissent. Dominus autem in sua Cœna id nec fecit ipse, nec fieri præcepit. Ad hæc testatur D. Gregorius, quòd Apostoli sacrificium in sacra Cœna ad vnicam orationem Dominicam consecrarint, in qua nihil quicquam habetur de memoria defunctorum. Vnde sequitur, Ecclesiam Christi optimo suo tempore & administratione, quando ab Apostolis gubernabatur, memoriam ac supplicationem pro defunctis in vsu nondum habuisse, atque idcirco ad pietatem vel necessariam vel semper conducentem non indicasse. Quamobrem etiamsi sequentibus temporibus eam publico vsu cepit, non tamen quasi necessariam legem hunc suum vsum tradidit, aut obseruari postulauit.

Epiphanius & alij ex antiquis testantur, quod Apostoli ipsi ac deinceps Ecclesia legem tulerit, vt singulis diebus Mercurij & Veneris ieiunaretur. Quam legem sine dubio nec ipsi Aduersarij necessariam agnoscent, adeo vt pro infidelibus habendi sint, quicunque istis diebus non ieiunent. Eiusmodi traditionum plures sunt, quas S. Patres tanquam ab Apostolis acceptas obseruarunt, Aduersarij verò negligunt, reprehendi autem nolent, vt qui statutum matris Ecclesię dissoluant: quandoquidem eas vel non necessarias, vel nostro tempore ad pietatis propagationem exiguam aut nullam omnino vim habentes agnoscunt.

Verum siue necessaria, siue non necessaria: sine ad ędificationem vtilis, siue inutilis, sit lex illa de Commemoratione defunctorum, Aduersarij tamen non habent, quod eam verbis non obiiciant, cùm eam reipsa non obseruent.

Veteres enim Ecclesię Christi apud S. Cœnam nonnullos defunctorum publicè coram tota multitudine nominatim nuncuparunt: aliorum tantummodo in genere meminerunt: quo facto vnà cum toto populo pro eis orarunt, ad fidem ac spem resurrectionis confirmandam, studiúmque ac zelum piè sanctéque viuendi in mentibus hominum inflammandum. Ad hunc verò modum non obseruatur apud Aduersarios: sed sacrifici priuatim tantùm defunctorum meminerunt, ídque tacitis verbis, quæ nemo intelligit, & interdum ipsi quoque parum considerant, quò tendant ac dirigantur. At hæc non est veteris Ecclesiæ ordinatio, lex aut obseruatio, sed eiusdem manifesta peruersio. Qua verò fronte veteris Ecclesiæ consuetudines obiiciant, qui eas sicut in aliis omnibus Ecclesiasticis ordinationibus: ita etiam in S. Cœna horrendum in modum ex omni parte peruertunt.

Primum enim nihil ibi cum fideli populo commune agunt, omnia enim in peregrina ignotáque lingua exercent. Quamobrem neque doctrinam neque gratiarum actionem, neque Orationem, neque consecrationem sacramentorum tractant, quemadmodum Dominus ipse, Apostoli, ac priscæ Ecclesię præceperunt & obseruarunt.

Secundò, Patiuntur eiusmodi homines hoc officiũ administrare, vel ei prędentes adesse, qui iuxta legẽ, ordinationem & obseruationẽ Domini, Apostolorum, veterúmque Ecclesiarum ab eo penitus arceri debent.

Tertiò Sacramenta vel omnino non distribuunt, vel non integra, contra legem Domini, Apostolorum, & antiquarum Ecclesiarum, id quod luce meridiana clarius est. Quamobrem negari non potest, homines istos omnes ordinationes leges & obseruationes Catholicæ Ecclesiæ Christi, Apostolorum, & ipsius Domini penitus transgressos esse & antiquasse.

Nihilominus tamen audent in rebus non necessariis, nostróque tempore nullam ad ædificationem vim habentibus, veterum consuetudines & obseruationes tam seriò obiicere. Quamobrem id verò? Fucum prętigiásque quęrunt, quibus horrendas abominationes suas, omniáque Christianorum dogmatum & obseruationum peruersionem tegant, simúlque siniſtram de Christianæ Reformationis proposito suspicionem generent. Hactenus de memoria defunctorum: pergamus ad reliqua.

De tertio sacrificio Missæ.

Cap. XCV.

TErtium sacrificium Missæ volunt Aduersarij esse Christum Dominum nostrum, corpus & sanguinem eius. Quod ipsum fiat quando Ecclesia Christum Dominum, & eius verum corpus verúmque sanguinem Deo Patri cum gratiarum actione & oratione attenta pro suis & totius mundi peccatis proponit seu repræsentat. Attribuunt etiam Ecclesiæ hoc sacrificium, videlicet quod tota congregatio, quæ officium istud administrat, sacrificium illud offerat per sacerdotem. Pro confirmatione adducunt quædam dicta Patrum, præsertim D. Augustini in Psal. 75. qui scribit Christum quotidie pro nobis offerri, si credamus & commemoremus quia venerit ad nos, & quid nobis donauerit. Verum non dicit, Quod Patri, sed quod nobis offeratur, hoc est, ad fruendum proponatur & tradatur, qui semel in ara crucis pro nobis immolatus est.

Responsio Ecclesiarum Christi.

SVperiùs dictum est, de vocabulis Offerendi, quibus vsi sunt veteres: quem locum Christianus lector primum inspiciat. Deinde vt ad præsentem articulum respondeatur, verum est, in S. Cœna præter oblationem panis & vini: item gratiarum actionis & orationis oportere etiá esse Christum Dominum nostrum verum corpus & sanguinem eius, vnicam victimam pro peccatis nostris, & redemptionem in vitam æternam. Quomodo autem hæc victima & cui in S. Cœna offerri debeat, nõ mediocri explicatione opus habet; Dominus simpliciter dicit, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Accipite bibite, hic est sanguis noui Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur, in remissione peccatorum.*

torum: *Hoc facite in mei commemorationem.* Quam commemorationem D. Paulus exponit esse, quod ibi mors Domini annunciari debeat, quemadmodum etiam incarnatio eius & resurrectio. Et 1. Cor. 10. inquit, Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est, &c. Calix benedictionis communicatio est sanguinis Christi.

In istis verbis spiritus S. substantiam Celebrationis S. Cœnę perfectè & absolutè nobis præscripsit, vnà cum omnibus quę in sacro hoc officio cum & de corpore ac sanguine Christi, victima salutis nostrę agere debemus. Quæ omnia nihil aliud sunt quàm præter doctrinam, gratiarum, actionem & orationem pro omnibus hominibus ac beneficiis Dei, sacramenta conficere & consecrare, atque ad sumendum fruendúmque distribuere: beneficia Christi Seruatoris nostri celebrare, ipsi Redemptori nostro Patríque per ipsum pro omnibus beneficiis gratias agere. Hoc est quod S. Patres appellarunt, Offerre Christum, atque idcirco dixerũt, Oblationem istam nihil aliud esse quàm memorię victimæ Christi celebrationem, vt in citatis paulò antè Patrum dictis demonstratum est. Vnde & D. Cyprianus scripsit, *Paßionem Christi esse nostrum sacrificium.* Et D. Augustinus, *quod sit sacrificium eius sacrificij quod in cruce realiter oblatum & præstitum, & antea in sacrificiis veterum significatum sit ac repræsentatum.* August. contra Faustum lib. 20. cap. 21.

In hac oblatione Christi nulla est propositio vel repręsentatio Domini nostri Iesu Christi, per quam Deo Patri proponatur, & repræsentetur, pręter id quod ibi summas illi gratias agere debemus, quod tantum erga nos amorem declarauit, vt vnigenitum Filium suum in mortem, cúmque eo nobis omnia donarit: deinde etiam deuota mente ipsum orare, vt fidem in dilectum Filium suum nobis augere, & propter eum omnia peccata remittere, ac in perpetuum misericors esse velit. At hæc non est propositio vel repræsentatio Filij Dei qua ipsum Patri sistamus vel repræsentemus: sed multò magis receptio ipsius Domini nostri, qui nobis inibi à Patre ministerio S. officij, vna cum sacrosancto Euangelio & sacramentis proponitur, ac repræsentatur. Nobis enim ibi offertur, vt D. Augustinus rectè dicit, non Patri, hoc est, nobis ad percipiendum & manducandum exhibetur.

Verum quidem est S. Patres quoque dicere, vt antè commemoratum est, Dominum in S. Cœna offerri Patri, propterea quòd vniuersa hęc actio S. Cœnę Deo Patri in honorem peragi, gratię illi agi: ipse denique in nomine dilecti Filij sui inuocari debet. Non autem quod nos Patri Filium suum proponamus, quem tamen ipse nobis per sacrum Euangelium suum, & sacramenta Spirítúmque sanctum proponit: sicut etiam *ad dexteram suam ipsum exaltauit, & aduocatum mediatorémque pro nobis constituit, vbi iugiter pro nobis interpellat.* Roman. 8. 1. Corinth. 2. Heb. 7.

Quapropter omnis pia oblatio Christi, quæ ab Ecclesia per ministros suos in S. Cœna fieri debet, aut potest, in eo consistit, vt ministri totius Ecclesię Dei nomine ibi fidelibus Christum Dominum & mortem eius, & quicquid propter salutem nostram pertulit, fecit, & impe-

trauit, prædicent, & annuncient, sacrosancta sacramenta conficiant, consecrent, & distribuant: Patri per Dominum nostrum Iesum Christum pro omnibus beneficiis in nos collatis ac promissis gratias agant, vnà cum oratione pro augmento fidei & salute omnium hominum: in quo vera commemoratio Domini, & oblationis eius factæ in cruce rectè celebratur.

Notabiles confessiones veritatis in hoc negotio, quas Aduersarij in hoc articulo faciunt, iis autem reipsa & opere penitus contrarium agunt.

Cap. XCVI.

NOTA hoc loco, Christianè Lector, duas insignes confessiones Euangelicę veritatis, quas Aduersarij in hoc articulo faciunt, eásque postea cum celebratione missarum confer, & videbis eam propriæ ipsorum confessioni penitus & ex diametro repugnare.

Primum fatentur totum hoc sacrificium in S. Cœna esse opus ac ministerium totius Ecclesiæ Christi: & sacerdotem debere ibi omnia nomine totius Ecclesię loqui & agere.

Quod verissimum est. At in Missis faciendis omnia apud eos hoc modo dicuntur & aguntur, vt Ecclesia Christi nihil eorum percipiat, aut commune habeat non solum contra ordinationem & obseruationem veteris Christianæ Ecclesiæ, sed etiam apertum verbum Dei.

Secundò fatentur longè ab omnibus Christianis id esse debere, quod Christus Dominus & sacrosancta eius victima oblata in cruce, cum sacrificio Missæ Patri proponatur, vel ei acceptum reddatur: aut quod huic sacrificio meritum, remissio peccatorum debeat ascribi. Christum Dominum enim esse perpetuò ad dexteram Patris, & hostiam suam ipsi Patri proponere, quæ etiam Patri per se accepta, & sola beneplacita sit, remissionémque peccatorum omnibus electis Dei abundanter promeruerit & impetrauerit: quod meritum quilibet sibi ipsi per propriam fidem in Christum Dominum nostrum applicare debeat, iuxta id quod scriptum est Act. 10. *quod remissionem peccatorum accipiant, qui in eum credunt.*

Hæc omnia fatentur Aduersarij admodum piè ac Christianè, quantum quidem ad verba attinet: cæterum res ipsa in faciendis prædicandis & extollendis eorum Missis omnino huic confessioni repugnat. Homines enim ad talem fidem propriámque Missæ applicationem, ne verbo quidem excitantur aut edocentur: in eo verò quod extra dictam confessionem publicè ab illis dicitur & prædicatur, nempe quod

Sacerdos

Sacerdos in Sacra Cœna Deo Patri dilectum Filium suum Christum Dominum nostrum offerat pro peccatis, & ad salutem cùm mortuorum tum viuentium homines persuadentur, vel saltem in ea persuasione relinquuntur, quod sacrificium istud ad remissionem peccatorum, omnimodámque corporis & animę salutem illis sit profuturum, si seipsos pecunia, & corporali assistentia apud missam participes eius faciant, quomodocunque tandem fides eorum & pœnitentia de peccatis sit comparata. Longè enim maxima pars eorum qui missas audiunt, de vera pœnitentia & fide nihil omnino curant, id quod tota eorum vita declarat, ad missas verò non mediocri studio & contentione accurrunt.

Hactenus de tertio sacrificio, videlicet de precationibus, quas in missis super sacrificium recitant: quę quàm benè aut malè quadrent in sequentibus dicetur.

De quarto Missæ sacrificio.

Cap. XCVII.

QVOD Ecclesia Christi seipsam Domino offerre debeat, hostiam viuentem vt monemur, Rom. 12. id piè & Christianè ab Aduersariis in hoc Articulo & D. Augustino proponitur, verum res ipsa in faciendis missis penitus reclamat. Populus enim hac de re nihil quicquam docetur, nemóque ad id faciendum, quemadmodum conueniebat promouetur.

Sacerdotis officium erat populum sacræ Cœnæ præsentem doctrina, Adhortatione, gratiarum actione, oratione, & distributione sacramentorum in acceptum gratúmque Deo sacrificium sanctificare & instruere, sicut beatus Apostolus in Domino gloriatur, *quod per Euangelium gentes præparauerit acceptam & sanctam hostiam per Spiritum sanctum.* Roman. 16. quò postea quilibet seipsum, & totam præsentem congregationem simul cum Domino per sacerdotem Deo offerret, *viuentem sanctam & acceptabilem hostiam.* Rom. 12. At quid eiuscemodi in omnibus eorum missis vel dicitur, vel exercetur, quod ad istud sacrificium conferat, imò quod non potius huic vero sacrificio repugnet?

De applicatione Missæ.

Cap. XCVIII.

HOc loco videndum est, quid per applicare missam intelligatur: deinde quæ sit hac de re controuersia, aut non inter Ecclesias Christi earúmque aduersarios. Vnde tertiò cognoscetur, in quo aduersarij iustè aut iniustè Christianos doctores accusent.

De primo. Antehac & adhuc hodie, proh dolor, apud plerosque per Applicare missam intelligitur, quod sacerdos intentione ac deputatione sua in Secreta missa, sacrificium Christi, & proprium suum opus missandi cui velit applicet, quo vnusquisque gratiam & benedictionem à Domino pro corpore & anima quàm optimè cõsequatur. Adeo vt hominibus persuasum sit, quod nullum vtilius, nullum coram Deo fructuosius bonum opus facere possint, quàm si missas pecunia emant, earúmque largiendo & donando se participes reddãt. Hoc certissimum est, & luce meridiana clarius. Interim populus aut nihil admodum parum docetur, quomodo sacrificium Christi, fideliúmque orationem apud missam sibiipsis per propriam fidem applicare debeat, & quod ea sine fide nemo cuiquam mortalium applicare possit, quod neque adhuc apud Aduersarios docetur.

Quàm hoc sit verum, lege quod scribit magni nominis scriptor Antoninus Archiepiscopus Florentinus in summa sua, parte 3. titulo 13. cap. 6. paragraph. 13.

Si verò propriè, simpliciter & perspicuè de hoc negotio loqui velimus, quemadmodum in eiusmodi excellentibus ac diuinis rebus, quæ omnium Christianorum vel æternam salutem, vel sempiternam perditionem concernunt, quàm simplicissimè propriissimè & apertissimè loquendum est, vera applicatio missę nihil aliud esse potest, quàm quod præsens Ecclesia Christi per sacerdotem & cum sacerdote, pro aliis quoque hominibus orat, & gratias agit: vtque sacerdos per Christianã doctrinam & adhortationem homines excitet, præparet, & sanctificet, quò propria fide sacrificium Domini nostri Iesu Christi, gratiam noui & æterni Testamenti, remissionem peccatorum, & omnimodam benedictionem bonitatis diuinæ ex animo per Christum Dominum nostrum petant & orent, in sacramentis percipiant, veréque sibiipsis applicent. Quibus ad hunc modum verè fidelibus sacerdos postea & minister summi Pontificis nostri Iesu Christi, qui ibidem præsens est in medio suorum, & ad salutem eorum omnia peragit, vnà cum sacramẽtis remissionem peccatorum, confirmationem noui & æterni Testamenti, denique beatam communionem Christi verè tradit & applicat. Hæc sola est Christiana applicatio missæ.

Hactenus de significatione & vsu locutionis Applicare Missam.

Quid

Quid versetur in controuersia inter Ecclesias Christi & earum Aduersarios.

Cap. XCIX.

Probe nouerunt Christiani, solíque ipsi id rectè exercent, nempe quod ad S. Cœnam & in omnibus sacris cœtibus fieri debeant deprecationes, obsecrationes, interpellationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, vt D. Paulus docet 1. Timoth. 2. Huic verò reluctantur, quod homines persuadentur, & in falsa persuasione hærentes relinquuntur, quasi oratio, & gratiarum actio, quam sacerdos facit in Missa sine vllo intellectu populi, nonnunquam etiam sui ipsius aliis hominibus prosit, etiamsi illi pro se ipsis nec orent nec gratias agant, sed contrariam Christo Domino & contumelioſam vitam degant, quemadmodum manifestè cernitur in plurimis etiam diligentissimis Missarum auditoribus.

Hoc antiquum est & perpetuum fidelium ministrorum veræ religionis ac cultus contra falsos perfidósque confictæ religionis nundinatores certamen, id quod omnes Prophetæ, Christus Dominus ipse, Apostoli, & omnes missi fideléſque ministri Christi à seculo testati sunt.

Nempe quod legitimi veræ religionis ac cultus administri omnes supplicationes, omnia sacrificia exercitiáque Ecclesiæ eò dirigant, vt omnium quidem salus quæratur, pro omnibus oretur, & offeratur, fidelissimè verò etiam doceant, hortentur & instent, vt singuli per propriam fidem eorum se participes reddant. Falsi verò confictæ religionis ac cultus ministri parum curant, cuiusmodi fidem aut pœnitentiam homines habeant: modò externum suum ministerium orationes & sacrificia magni faciant, & largiter persoluant, quo & ipsi plus honorum, facultatum, & voluptatum huius mundi habeant.

Deinde etiam in eo consistit tota de missa controuersia. Veri ministri Christi orant quidem & gratias agunt pro omnibus hominibus: Orant vt Dominus propitius esse velit, daréque per mortem dilecti Filij sui omnibus hominibus, præsentibus & absentibus, malis quoque & improbis, vt ad eum se conuertant, defunctis verò largiri lætam resurrectionem. Id verò hac ratione faciunt, vt omnem præsentem populum diligentissimè excitent, hortentur & impellant, vt vera pœnitentia peccatorum, firmáque ac solida fide simul preces & gratias agat, sacrificiúmque Christi & beatam eius communionem in sacramentis ex animo petat, percipiat, sibíque applicet. Omnia igitur in lingua populo probè intellecta peragunt, summa cum religione & grauitate sacramenta dispensant, serióque testantur omnes eos reos

fieri corporis & sanguinis Domini, qui huic actioni tantummodo interfunt, sine vera pœnitentia peccatorum ac stabili fide in Christum, quæ per dilectionem efficax sit ad omne opus bonum: denique quantum in ipsis positum est, nullos qui in confessis peccatis hærent, huic sacro officio interesse patiuntur, quod etiam serium est mandatum Domini, & à veteri Ecclesia fidelissimè obseruatum.

Quid verò faciunt falsi Missarum nundinatores? Missas faciunt prout ab ipsis ratione præbendarum requiruntur, vel pecunia, aut alio lucro redimuntur, vel prout alioquin per eas honorem, fauorem & pecunias se acquisituros sperant, de pœnitentia & fide nihil curantes.

Illi enim ipsi maxima ex parte in manifesta Simonia, scortatione, aliisque sceleribus & flagitiis hærent. Qui verò liberales sunt in offerendo, vel eos propter missas in magno precio habent, hi accommodi sunt idoneique missarum auditores: hos fidere faciunt externo tantumopere, securósque in omnibus peccatis & horrendo diuinæ maiestatis contemptu reddunt. Vnde postea in missis suis peregrina & ignota lingua omnia & dicunt & faciunt, idque ludicra & impia festinatione ac confusione: pro opulentis plures magisque solennes missas faciunt, quàm pro pauperibus: aureas & id genus alias præstigiosas missas comminiscuntur, nihilque est ex omnibus idololatricis abominationibus, quas vnquam Prophetæ in antiquis falsis sacerdotibus & idololatris redarguerunt, quod non in eorum missis reperiatur. Hoc nimis proh dolor manifestum est, & contra hoc solum pugnant Christianæ Ecclesiæ, & fideles earum ministri, Facilè igitur coniici potest, quid Aduersarij quærant, dum in abominationibus istis fucandis, & ornandis tantum laboris & operę impendunt: interim verò ne vnum quidem abusum fatentur aut corrigere student.

Hactenus de controuersia Applicationis Missæ.

In quo Aduersarij Christianos doctores iustè aut iniustè accusent.

Cap. C.

PRIMVM omnium taxant id quod in Christianis Ecclesiis docetur, Christum sacrosanctam ceremoniam suæ Cœnæ instituisse tantum in vsum & profectum singulorum astantium, præsertim eorum qui sacramentis communicant.

Quem

Quem fædum, & impium errorem esse aiunt : putántque quoniam ibi Deus etiam pro aliis & absentibus inuocandus sit, vt sacrificium filij sui illis prodesse permittat, quod hæc ceremonia non sit tantummodo in vsum præsentium instituta.

Hic rursus vides, Christiane Lector, quàm crassè & improbè Christianam doctrinam calumnientur. Quando enim Christiani dicunt, Dominum hanc Ceremoniam tantummodo in vsum præsentium instituisse, loquuntur de tali vsu Cœnæ, quo eam nemo pro aliis, sed quilibet pro seipso percipere debet, quemadmodum vnusquisque pro se ipso, non pro aliis baptizatur. Item, quod non possimus corpus & sanguinem Christum pro aliis Patri offerre, sed oporteat quemuis ibi sacrificium istud in cruce semel oblatum pro se ipso vera fide percipere. Porrò orationes gratiarum actiones, donorumque pro pauperibus Christi oblationes, etiam pro absentibus fieri debent, cui nemo contradicit. Manifesta igitur calumnia est Aduersariorum in hoc loco reprehensio.

Secundò reprehendunt Aduersarij quod Christiani Doctores dicunt Christum Dominum in sua Cœna non obtulisse, quem rursus fœdum & impium errorem esse aiunt, propterea quod in sacratissima Cœna sua obtulerit, quando panem in suas sanctas manus accepit, & gratias egit, patrémque pro discipulis suis & omnibus electis rogauit, eis mandauit vt hoc facerent in sui commemorationem, &c.

Hæc iterum aperta calumnia est, Christiani dicunt Dominum corpus & sanguinem suum non in Sacra Cœna, sed in cruce pro peccatis nostris victimam Patri obtulisse : in S. verò Cœna suis in cibum & potum tradidisse. Quod verum est, & S. Scriptura clarè testatur.

Si verò *offerre* significat, super pane & calice Patri gratias agere, & pro electis Dei Filiis orare, sicut nonnulli Patrum iuxta consuetudinem veteris Testamenti intellexerunt, nemo est qui neget Dominum in sua cana obtulisse, & offerri præcepisse, non quidem victimam, sed sacrificium Orationis & gratiarum actionis προσφέρειν offerre, vel proferre significat vt iam antedictum est. Quare cùm in S. Cœna panis & vinum Domino quasi offertur, gratiæ aguntur, ipséque inuocatur & rogatur, vt hominibus largiri dignetur, quo etiam semetipsos illi offerant, & ad gratiam suam omnéque placitum sistant, non malè sacrificium, seu oblatio dici potest, iuxta consuetudinem legis Mosaicæ : & sic omnes antiqui Patres S. Cœnam oblationem dixerunt.

Adhunc verò modum sensus & intellectus Offerendi in Missa nunquam fuit populo declaratus : sed potius dictum fuit, quomodo sacerdos Filium Dei offerat. Spiritus S. qui commemorationem istam optima ratione tradit, nullum offerendi sacrificandíue vocabulum in negotio S. Cœnæ vsurpauit : sed gratias agendi, orandi,

panem calicémque accipiendi, frangendi, distribuendi, manducandi & bibendi, atque idipsum in memoriam suam faciendi. Quæ verba ab omnibus Christianis intelliguntur, suntque vtilia ad ædificationem, & periculo deprauati intellectus carent. Quare consultiss. est, eiusmodi propriis claris ac dilucidis verbis in talibus rebus vti, quibus & Dominus ipse, & Apostoli eius vsi sunt. Offerendi verò & sacrificandi vocabula, posteaquam in tam horribilem abusum sensumque deprauatissimum detorta sunt, & neque à Domino neque ab Apostolis vsurpata, hoc tempore prętermittere. Verùm de hoc suprà latiùs.

Tertiò citant S. Patres, qui administrationem S. Cœnæ in vtroque ponunt, nempe sacrificio & distributione Sacramentorum.

De hoc suprà etiam rursus dictum est, Christianos nihil ardentioribus votis expetere, quàm vt istud sacrificium oblatióque eo modo quo à S. Patribus intellecta & obseruata fuit, etiam hoc tempore in opus reducatur.

Nempe vt ad gloriam Dei beata memoria Domini nostri Iesu Christi celebretur, & Sacrosancta eius oblatio facta in ara crucis, manifestis, deuotis, atque ex Scripturæ fontibus haustis doctrinis, adhortationibus, gratiarum actionibus, precationibus & Sacramentorum dispensatione fideli populo offeratur, distributióque Sacramentorum iuxta institutionem Domini peragatur. Quod sacrificij genus Liber Reformationis in genuinum suum vsum restitui ordinauit.

Iam verò apud Aduersarios tum Oblatio ista, tũ Sacramentorum dispensatio, quæ duo S. Patres semper coniungunt, tanquam substantiales istius Sacrosanctæ ceremoniæ partes, iamdudum antiquata est: imò ne rursus pristino ac vero suo vsui restituatur, manibus pedibúsque obnituntur: interim tamen dicta & ordinationes S. Patrum Christianis, quasi eis aduersentur, audent obiicere.

Quartò scribunt, Christianos nullum statuere discrimen inter oblationem Christi & eius applicationem.

Quæ & ipsa calumnia est. Fides enim non modò applicationem agnoscunt, vbi quilibet sibi ipsi per propriam fidem redemptionem ac meritum Christi apprehendit & applicat: verum etiam applicationem Sacerdotis, qui redemptionem & communionem Christi omnibus fidelibus per verbum & Sacramenta applicat & tradit, vt iam dictum est.

Quintò affirmant Catholicam Ecclesiam nunquam docuisse missam esse opus tantum externum solius Sacerdotis quo secundum suam deputationem viuis aut defunctis quibus voluerit, promereatur remissionem peccatorum, verum longè aliter & contrà.

Quod verum est: Catholica enim Ecclesia id nunquam docuit: Verum missatores iamdudum in concionibus suis ad primas missas & aliàs

hominibus

hominibus id ita inculcarunt, vt iampridem infinitus animarum numerus in omnibus nationibus in atrociſſimo hoc errore pereat. Hinc enim primum omnium exortum eſt, vt in maiori parte nationum conciones ad populum extra Aduentum & Quadrageſimam fermè penitus interciderint: contra verò omnes anguli Miſſis referti ſint.

Innocentium citant ſcribentem, *Quod ſacerdos agit miniſterio, populus agit voto.* Et tamen nihil apud eos intelligibiliter populo proponitur, vnde attentionem deſideriúmque mentis erga id quod Sacerdos verbo & ſacramentis agit, concipere poſſet.

Sextò dicunt, Orationem ſacerdotis, dum tamen in fide & prę deuotione fiat, efficaciorem eſſe apud hanc ſacratiſſimam actionem & oblationem quàm aliàs. Ad cuius rei confirmationem adducunt Sermonem quendam qui ſub nomine Cypriani circumfertur, eius verbo illum non eſſe optimè norunt.

Nemini Chriſtianorum dubium eſt, orationem tanto efficaciorem eſſe, quanto ex firmiori ſolidioréque fide proficiſcitur: non autem virtute actionis apud quam fit. Quamuis apud omnes verè fideles etiam externa S. Cœnæ actio multum valet ad fidem ac deuotionem promouendam. Alioquin Dominus omnem fidelem precationem, vbicunque ea fiat, benignè ſe exauditurum promiſit.

De Opere operato.

Cap. CI.

HOc loco dicunt Aduerſarij, Scholaſticis doctoribus inciuiliter & malitioſè affingi, quaſi docuerint opus ſacerdotis in Miſſa valere coram Deo ex Opere operato, ſine bono motu vtentis, ſinéque opere operantis, hoc eſt, etiamſi nec ſacerdos nec populus ſuum opus, hoc eſt veram fidem adiungat.

Reſponſio.

HAnc erroneam ſeductoriámque doctrinam Chriſtiani nemini adſcribunt, niſi qui vltro ſe illi adiungit. Quoniam verò experientia compertum eſt, multa millia ſacerdotum quotidie contra ordinationem & inſtitutionem Domini miſſas facere, alióſque homines eas audire, quos ambos propria vita conuincit, quod omni pœnitentia ac fide vacui ſint, quandoquidem in manifeſtis & excommunicatione dignis flagitiis ſceleribúſque contra conſcientiam hærent, negari non poteſt errorem iſtum in nimis magna hominum parte ſat altas radices egiſſe, quas necdum Aduerſarij euellere tentant, quin potius omnibus iis, quę ad conſeruationem iſtius abominationis faciunt, fuco patrocinantur.

Alioquì verum est S. Cœnam iuxta institutionem Christi administratam, per se bonum ac salutiferum opus esse omnibus qui ea ritè vtuntur: etiam si sacerdos omni fide destitutus sit, modò populus sine propria culpa id ignoret. Consimilis ratio est etiam de cæteris ministeriis Ecclesiasticis, mãdatis ab ipso Domino, in quibus omnibus solum opus operatum, hoc est opus iuxta verbum & mandatum Domini peractum, atque idcircò opus ipsius Domini, quamuis per ministrũ externè absolutum, vtile ac salutiferum est fidelibus: siquidem illud tãquam opus Domini vera fide recipiant & vsurpent: nihilque obest illis opus operantis ministri, licet impurum sit, hoc est, non quidem vera fide, sed tamen alioquin iuxta institutionem Iesu Christi à ministro perfectum. Omnis enim gratia in sacramentis nullo modo ex opere operantis ministri, sed ex opere operato Christi, quod ibi iuxta verbũ & mandatum illius præbetur, proficiscitur. Nihilominus tamen opus operantis sumentis & sacris Christi vtentis quoque accedere oportet, hoc est, indubitatam fidem in Christum & promissiones eius, quæ opus Christi apprehendit, eóque fruitur. Non quod fides aliquid ex se nobis promereatur, vel ad opus meritúmque Christi nonnihil ponderis præterea adferat, sed quòd opus meritúmque Christi apprehendat.

Quod si voluerimus ad hunc modum ista verba intelligere, nihil cõtrouersiæ in se habent. Verum loquendum est iuxta vulgarem consuetudinem, & ad captum hominum, quò veritas omnibus perspicuè patefieri, & à mendacio propriè discerni queat: quò & mendacium homines relinquere, & veritati firmiter adhærere possint. Neque licet in Ecclesia Christi eiusmodi horrendis abominationibus fucatis sermonibus patrocinari, quo facilius rudioribus hominibus tanquam insignes cultus supponantur, vel ipsi in talibus abominationibus confirmentur. Iam verò nimis, proh dolor, manifestum est, quomodo homines apud Missam opere operato non Christi Domini, sed sacerdotis fidant: idque non eo modo quo instituit Dominus, & ipsius opus esset: sed quemadmodum iamdudum contra ordinationem Domini deprauatum, opúsque Antichristi factum est.

Adhæc quomodo nihil curent opus operantis vel ministri, vtrum fideliter id peragat: vel sumentis, qui tamen iudicium sibi sumit, quando sine proprio opere operantis, hoc est, opere veræ fidei suæ, opus operatum, quamuis iuxta mandatum & institutionem Domini peractum, vsurpat, vel eius se participem reddit.

Porrò noua disputatio ab Aduersariis excitata est de Consecratione, Vtrum ea si Canone fieri possit: ad quam nonnihil respondendum est.

De

De Consecratione Sacramentorum.

Cap. CII.

HOc loco nouum dogma contra proprios ipsorum Scholasticos Doctores inducunt, Librúmque Reformationis accusant, quod Consecrationem Sacramentorum ponit in sola recitatione verborum Domini, *Accipite comedite, hoc est corpus meum*, &c. *Accipite bibite hic est sanguis meus*: non etiam vel potius in prece Canonica, & inuocatione nominis diuini super proposita dona: quæ tamen, vt aiunt, sit ad Consecrationem Sacramentorum necessaria.

Hac de re primùm omnium veritatem S. Scripturę, & obseruationem veteris Ecclesiæ producemus: tum demum ad Aduersariorum accusationem respondebimus.

Ex Sacra Scriptura.

DOminus accipiebat panem, gratias agebat, frangebat, dabatque discipulis suis dicens, *Hoc est corpus meum*, &c. Item de calice, *hic est sanguis meus*, & subiicit, *Hoc facite in mei commemorationem.* Hinc fidelis congregatio ab initio semper docuit & agnouit Consecrationem Sacramentorum per istorum verborum Domini recitationem fieri debere, in quibus Christus Dominus semetipsum suis præsentem sistit, & Sacramenta sanctificat, non minùs quàm in prima sua Cœna fecit.

Hinc etiam D. Paulus Corinthiis indicare & comprobare volens, quod quicunque panem Domini indignè manducarent, & de calice biberent, reos se constituerent corporis & sanguinis Domini, hunc Sermonem & actionem eius commemorat. Quod si alius sermo vel prædicatio fuisset, quàm dictus iste sermo Domini: vel is non fuisset solus & vnicus per quem panis & calix Domini in corpus & sanguinem eius consecrari deberent, haud dubiè Apostolus mentionem eius facere debuisset, quo firmior esset eius probatio, quod in pane & calice Domini corpus & sanguis eius percipiatur, atque idcirco reus fiat corporis & sanguinis Iesu Christi, quicunque hunc panem & calicem Domini indignè sumit. Orationes enim & probationes Spiritus S. integrę ac perfectæ sunt, omnique defectu carent. Iam verò Apostolus huius solius Sermonis Domini meminit, & nullius alterius precationis, cùm probare vult, panem & calicem Iesu Christi in S. Cœnam corporis & sanguinis sui Sacramenta consecrari. Consecratio igitur Sacramentorum per hæc verba certò perficitur.

Perpendat apud se quiuis Christianus dictam Adhortationem Apostoli, Haud dubiè enim nemo qui eam penitus introspicere volet, aliter dicere poterit, quàm propositum & intentionem Apostoli hoc

in loco fuisse, vt Corinthios ab inordinato ac prophano vsu S. Cœnę, qui apud eos inualescere cœperat, deterreret, & ad ordinarium ac sanctum eius vsum hortaretur & incitaret, idque hoc argumento, quod in S. Cœna non simpliciter panem tantum & vinum percipiamus, sed præterea verum corpus & verum sanguinem Christi, ita vt qui panem istum manducet, vel de calice bibat indignè, reus efficiatur corporis & sanguinis Domini, vt quę Dominus vnà cum pane & vino nobis exhibeat. Item Apostolum ad fundamentum istud stabiliendum quod in S. Cœna non merum panem & vinum percipiamus, sed simul corpus & sanguinem Domini, veram & vnicam Consecrationis Sacramentorum formam adduxisse, quam à Christo Domino acceperat, & Corinthiis ex mandato ipsius tradiderat: nempe quod Christus ea nocte qua traditus est, acceperit panem, gratias egerit, fregerit, ac dederit discipulis suis dicens, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, &c.

Quamobrem si sermo iste non idem ille sermo ac benedictio, solúsque & vnicus fuisset per quem Corinthiis quoque panis & calix Domini in corpus & sanguinem Christi fuisset consecratus, necessarium esset admonitionem Apostoli, & enumeratorum verborum Christi declarationem nihil conclusisse, omnique fundamento caruisse. Hoc autem fieri nequit, Apostolus enim hęc omnia scripsit ex instinctu spiritus Sancti. Verum igitur esse oportet, quod Apostolus doctrinam de S. Cœna, & Consecratione Sacramentorum in hunc modum à Christo acceperit, Corinthiisque tradiderit, quòd Consecrationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi per recitationem istorum verborum Domini perficere debuerint. In ea nocte qua Dominus traditus est, &c. In quo credebant Dominum ipsum esse in medio sui: & quemadmodum in prima sua Cœna, quam cum Apostolis celebrauit, sic etiam in ea quam celebraret apud ipsos, panem & calicem in Sacramenta ac vera signa exhibitiua corporis & sanguinis sui consecrare, verumque corpus & sanguinem suum cum eis illis exhibere. Quamuis gratiarum actio ac preces semper etiam in S. Cœna adesse debent: adhuc tamen consecratio Sacramentorum consistit in recitatione verborum Christi. Et hoc est fundamentum S. Scripturæ.

Ex Sanctis Patribus.

ANtiquissimus Iræneus, lib. 4. aduersus hæreses, cap. 34. sic scribit, *Qui est à terra panis percipiens vocationem Dei*, (non enim habet inuocationem, vt Aduersarij verba eius peruertunt) *iam non communis panis est, sed Eucharistia, hoc est, panis gratiarum actionis ex duabus rebus constans terrena & cœlesti, Quid verò vocatio Dei quam panis percipiat? Nonne, Hoc est corpus meum?* Consecratio igitur Sacramentorum his verbis perficitur, iuxta fidem quæ tunc temporis fuit in Ecclesia Dei. Sanctus Dionysius, quem etiam Aduersarij perperam citant, quasi opinioni eorum adstipuletur, in hunc modum scribit.

„ *Hinc*

„ *Hinc adstans diuinus sacrorum præfectus ad diuinum altare celebrat sacra* Hinc) *quia ad*
„ *& diuina opera Iesu, de quibus dictum est, opera diuinissima de nobis prouo-* *imitationem Dei*
„ *dentia, quæ pro salute nostri generis, beneuolentia sanctissimi Patris per Spi-* *nulla re*
„ *ritum sanctum iuxta Scripturas perfecit.* *magis per-*
ducimur,
quã sacris
verbis &
sacramen-
toriũ ope-
rationib⁹,
hæc enim
à S. Patre
præmissa
sunt.
O frigidã
mysteriorũ
considera-
tionem! in
vulgatis
Missatori-
bus.

Vbi in missis vestris auditur hæc celebratio operum Iesu, incarnationis, mortis, resurrectionis, ascensionis, & administrationis salutis nostræ, quam sedens ad dextram Patris apud nos in Ecclesia sua administrat, Regnum Dei? Hę enim θεουργίαι ἱησοῦ sunt, de quibus S. Pater hoc loquitur loco.

Vbi verò diuinorum sacrorum præfectus celebrauit horum operum Iesu religiosè colendam diuinitatem, & ea oculis mentis, quibus solis contueri possunt, speculatus est, ad symbolicam eorum procedit administrationem, & id, quemadmodum à Deo traditum est. Vnde religiosè simul, & vt decet sacra administrantem, post diuinorum operum hymnos, de eo se excusat, quod sacram illorum administrationem audet aggredi, prius clamans ad Dominum, Tu dixisti, *Hoc facite in mei commemorationem*. Deinde cùm precatus est, vt idoneus factus huic administrationi qua Deum imitatur, diuina dona, quadam sui ad Christum ipsum assimilatione, valeat perquàm sanctè, tum perficere, tum distribuere: vtque ij, qui sacris participaturi sunt, illis, vti decet, sanctos, participēt, diuinissima dona conficit, ἱερουργῶν, & per proposita sacra ratione symbola in conspectum producit, hymno celebrata. Nam tectum antea & indiuisum panem retegens, & in multas partes secans, & quod vno poculo contineatur, omnibus dispertiens, vnitatem συμβολικῶς multiplicat & distribuit, in his sanctissimorum sacrorum administrationem perficiens.

In his obserua primum, quid aliud sit hæc ἱερουργία θεομίμησος, Deum imitans actio, & quæ sacerdotis ad Christum ἀφομοίωσις adsimilatio, quæ diuinas res conficit, ἱερουργεῖ τὰ θεῖα, quàm recitatio ipsa scilicet verborum Domini, *Accipite & manducate*, &c. Cùm enim sacerdos nomine & loco Christi dicit, Hæc dicit Dominus, *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum*, &c. Dominum ipsum quodammodo imitatur, & ei assimilatur.

Deinde obserua hic, quod Sacerdos non dicitur sacrificare diuinas res, sed ἱερουργῶν, id est, sacra illas ratione parare & exhibere, atque in conspectum producere: non eleuare: & celebrare populo perclarum & intelligibilem hymnum.

Postremò attende & illud, quod sacerdos orat pro iis, qui sacris participaturi sunt: quod horum causa panem vnum in multa diuidit, non in tres tantum particulas: quod denique vnum poculum omnibus dispertit. Quid est omnibus? Videat qui intelligere potest, ipsa verba Dionysij, quæ sic se habent.

Ἐνθεν ὁ θεῖος ἱεράρχης ὅπως τὸ θεῖον θυσιαστήριον κοσμήσας, ὑμνεῖ τὰς εἱρμὸς ἱερὰς θεουργίας ἱησοῦ, τῆς θεοπάτης ἡμῶν παρουσίας, ἃς ὅπως σωτηρίας τοῦ γένους ἡμῶν εὐδοκίᾳ τοῦ πανάγιος πατρὸς ἐν πνεύματι ἁγίῳ, κατὰ τὸ λόγιον, ἐτελείωσεν.

Τί μνήσας ἢ ἐν τὴν σεβασμίαν αὐτοῦ καὶ νοητὴν θεωρίαν ἐν νοεροῖς ὀφθαλμοῖς ἐποπτεύσας

ὅπι τὴν συμβολικὴν ἱερουργίαν ἔρχεται, καὶ τοῦτο θεσπεσίου ὄντος· ὅθεν εὐλαβῶς τε ἅμα καὶ ἱεραρχικῶς μετὰ τὰς ἱερὰς τῶν θεουργῶν ὕμνους, ὑφ' ὧν αὐτῶν ἱερουργίας ἀπολογεῖται, πρότερον ἱερῶς πρὸς αὐτὸν ἀναβοᾷ, σὺ εἶπας τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Εἶτα τὴν θεομιμήτου ταύτης ἱερουργίας ἄξιος αἰτήσας γενέσθαι, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν χρισθὲν ἀφομοιώσει τὰ θεῖα τελεῖσαι, καὶ δικαίους παντοίως, καὶ τοὺς τῶν ἱερῶν μεθέξοντας ἱεροπρεπῶς μεταλαχεῖν, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὥσπ' ὄφιν ἄγει τὰ ὑμνημένα δι' ἱερῶν προσχήματων συμβόλων. τὸν γὰρ ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσιν καταμερίσας, συμβολικῶς τὴν ἐπὶ πλεῖστον πολυδύναμον καὶ διανεμητὸν παναγεσσίλων ἐν τοῖς ἱερουργίαν τελῶν.

Ad hunc modum descripsit S. iste Pater præcipuas ac principales partes missæ. Cum hac descriptione conferat Christianus Lector, rationem missandi vsitatam apud Aduersarios, & videbit quanto interuallo à forma S.Dionysij distet. Sed ad propositum. Hic apertè vides Sanctum patrem nullius orationis quæ sacramenta consecrentur meminisse, sed cuiusdam ἱερουργίας, hoc est, sacri operis, in quo sacerdos se Christo assimilet, eúmque imitetur ac perficiat quod Dominus præcepit dicendo, Hoc facite in mei commemorationem. Quid verò id aliud est, quàm verba Domini vt ab ipso prolata sunt, recitare, ac deinceps sacramenta promere & distribuere?

Meminit quidem hic sanctus Pater cuiusdam precationis, sed quæ ἱερουργίαν, id est, consecrationem præcedit, in qua sacerdos orat, vt Dominus velit eum dignum efficere ad hanc actionem, quò Sacramenta sui ad ipsum assimilatione perficere τελέσαι, sanctéque distribuere valeat, vtque ij qui sacris participaturi sunt, illis vti sanctos decet participent.

Hęc omnia D. Chrysostomus adhuc magis propriè declarat in Sermone quodam de Proditione Iudę, vbi in hæc verba scribit. *Et nunc ille præsto est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoque consecrat. Nõ enim homo est, qui proposita de consecratione mensa Domini corpus Christi facit, & sanguinem: sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est: sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernam diem & vsque ad aduentum Domini præstat sacrificio firmitatem.* Hæc ille.

Quid obsecro magis perspicuè de Consecratione & in quo illa consistat, dici potest? Hoc verbo ait, *Hoc est corpus meum*, non prece canonica proposita consecrantur. Atque idcirco quod S. iste Pater lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. scribit de diuturnis precib. quas fundat Põtifex, quò gratia in sacrificiũ influat, omniúmq. animæ accendãtur, nõ ita intellexit, quasi cõsecratio sacramentorũ diuturnis precibus, nõ autẽ penitus per verba Domini fieri debeat: sed de gratia & fructu loquitur, ad quem sacramenta inseruire, cuiúsque sumentes participes fieri debeant. Verba enim huius S. Patris iam adducta apertissima sunt. Certum quoque est, istarum precum non eandem apud veteres rationem fuisse, & Apostolos in Consecratione solam orationem Dominicam vsurpasse.

Quod quoniam Aduersarij non ignorant, & iam enumerata D. Chry-

sosto-

ſoſtomi clariſſima verba ſupra in principio huius materiæ ipſi allegarunt, ibique copiosè ac prolixè diſſeruerunt, quomodo Sacramentum iſtud omnipotenti verbo Dei conficiatur, cuius & hic quoque meminerunt, ſanè non conuenit, vt id ipſum nunc ſtultitiam & dementiam criminentur. Reuera enim quemadmodum Chryſoſtomus de Conſecratione loquitur, ita veteres Eccleſiæ ſemper obſeruarunt, quibus etiam Doctores Scholaſtici conſonant. Taceo Emiſenum, qui & ipſe hanc veritatem clarè exprimit. Ambroſius ſanè breuiſſimis iiſque apertiſſimis verbis eam fatetur in lib. de iis qui myſteriis initiantur cap. 9. cùm inquit, Sacramentum quod ſumis, Chriſti ſermone conficitur.

Verum eſt, quod D. Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. ſcribit, *Quãuis Chriſtus Dominus per multipicia ſigna præfiguratur, tamen id ſolum corpus & ſanguinem eius dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumitur, ad ſalutem ſpiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis.* In qua myſtica prece S. iſte Pater ſine dubio verba Domini, *Hoc eſt corpus meum*, &c. includit, eáque cum cæteris Patribus pro eis verbis agnoſcit, per quę Conſecratio ſacramentorum propriè perficitur. *Sic de Sacramentis lib. 4. c. 5.*

Nec minus verum eſt, quemadmodum antea dicimus, quod fideles verba Domini in vera nunquam recitabunt, niſi etiam Domino gratias agant, ipſúmque inuocent. Attamen Gregorius, quoniam & ipſum Aduerſarij perperã citãt, teſtatur, Apoſtolos ad ſolã orationẽ Dominicã hoſtiã cõſecraſſe. Animaduerte quid teſtetur. *Cõſecrationẽ ab oratione ſeiũgit, ac diuerſum quid ab ea conſtituit, teſtatúrque quod Apoſtoli ad conſecrandum nullã aliam orationem adhibuerint quàm Dominicam.* Vbi igitur erat Canonica Conſecrationis precatio, quam Aduerſarij comminiſcuntur? *Alias Cœna.*

Conſimili modo D. quoque Baſilium perperam citant: neque enim vel verbo vllius Canonicæ precis meminit, qua ſacramenta primum cõſecranda & conficienda ſint. Verum ſcribit de verbis cuiuſdam ἐπικλήσεως vſitatę ſuis temporibus, ὅτε τὴν ἀρτὸν εὐχεσθαι δοτε, hoc eſt, quando panis gratiarum actionis & calix monſtrabatur. At quid fuit iſta ἐπίκλησις? vocabulum iſtud vulgò ſignificat cognominationem. Sed ſit ſanè quod hoc in loco inuocationem ſignificet, vnde tamen adhuc probari poterit, cõſecrationem confectionémque ſacramentorum per iſtius inuocationis verba, & non potius per verba Domini fieri ſolitam fuiſſe? Equidem apertè dicit Baſilius, Hæc verba, non ad conſecrationem, ſed ad monſtrationem panis & vini adhibita fuiſſe. Et Dionyſius teſtatur, Reuelationem ſacramentorum in ſua Eccleſia Conſecrationem ſubſecutam eſſe: qui ordo etiam in Liturgia Grecorum obſeruatur.

Grecorum quoque ritum introducunt, qui poſt recitata verba Domini primum ad Patrem orant, *Fac ô Domine, hunc panem precioſum corpus Chriſti tui.* Item, *Quod in calice eſt, fac precioſum ſanguinem Chriſti tui.* Vnde inferunt, Grecos panem & calicem Domini non verbis Domini, ſed ſigno crucis, dictiſque iam precatiunculis conſecrare, propterea quod Diaconus antè eas ſacerdoti dicat, *Domine benedic panem ſanctum, Domine, benedic calicẽ ſanctũ*: in eorúmq; Liturgijs ſcriptũ ſit, quòd ſacerdos

continuò benedicat, signétque sancta dona, & oblationem. Ad hoc respondetur, Quare non etiam ea notarunt quæ in Liturgia Græca præcedunt, nempe quod Pontifex verba Domini, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum*, &c. & *Accipite, bibite, hic est sanguis meus*, &c. clara voce pronunciet, iísque panem & calicem benedicat. Item quæ Pontifex apud Græcos etiam post commemoratam orationem precatur, vt Dominus potenti manu sua velit ipsis ministris, & per eos omni populo dare sanctum suum corpus & sanguinem: imò quod etiam post percepta sacramenta orat Dominum, vt participem se faciat corporis & sanguinis sui.

Ex istis omnibus notandum est, veteres agnouisse, quod Christus corpus & sanguinem suum non in pane & vino reseruandum, sed discipulis suis manducandum & bibendum instituisse, idque in cibum vitæ æternæ, in quo consistit legitimus vsus huius sacrosancti sacramenti. Et si igitur exhibitio corporis & sanguinis Christi verbis eius penitus nititur, nihilominus tamen fidelis mens eam perpetuò orare debet non tantum post recitationem verborum Consecrationis, sed etiam post corporalem sacramentorum sumptionem peractam. Non enim hic sensus est, quòd panis & vinum, vel accidentia panis & vini Christum, verum panem cœlestem, ac cibum vitę æternę habeant, sed quod nos discipuli Christi, quibus hic cibum à Christo Domino destinatus est, eo frui debeamus. Quęcunque igitur preces super pane & calice funduntur, propter nos funduntur, nempe vt per hæc sacramenta Christum ad salutem nostram percipiamus.

Ex his omnibus vnicuique in promptu est videre, quæ fuerint Antiquorum de consecratione sententia, & in quo eam penitus collocarint, nempe in verbis Christi, non autem vlla prece dicenda à sacerdote. Impudens igitur audacia est Aduersariorum, qui talem obseruationem dementiæ crimini subiicere non verentur, nouúmque insuper dogma cõminiscí, contra non solum scripturam & omnes S. Patres, sed etiam contra ipsos Doctores Scholasticos, Thomas enim & alij omnes fatentur, Sacerdotem quando verba Christi super symbola recitat, intentione ea consecrandi, verè Sacramentum conficere.

Responsio ad reprehensionem Aduersariorum & occasio eius.

ACcusant Aduersarij Librum, quod officium S. Cœnæ ita ordinauerit, vt nullà ibi fiat sacramentorum consecratio. Vehemens enim, vt aiunt, insania est, præsumere Consecrationem sacramentorum sine prece canonica. Et hoc probare conantur similitudine ducta à Baptismo: Dicunt eum non baptizare, qui tantum verba Domini de Baptismo, Ite & baptizate omnes gentes, &c. historicè super paruulum recitat, non autem pronunciat etiam essentiales formulæ baptizandi verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti.*

Hoc loco animaduerte Christiane Lector, quomodo Aduersarij ex auersatione Christianæ Reformationis sibi ipsis tenebras offundant ac pugnent. Similitudo enim ducta à Baptismo contra ipsos est, non contra Librum Reformationis.

Verum

Verum enim est, quod si quis super infantem verò vel adultum non baptizaret, is mandato Domini nec satisfaceret, nec baptizare diceretur. Quamobrem id verò? Dominus dixit, *Baptizate eos in nomine Patris*,&c. Quod sanè faciendum est, siue fiat his verbis, *Ego te baptizo*, &c.vt nostra forma habet:siue,Baptizetur seruus Christi,quam formam baptizandi Græci in vsu habent. Omnino hominem baptizari oportet, idque in nomine Patris,&c.modò id exequendum sit,quod Dominus in his verbis præcepit.

Ad eundem modum in S. Cœna mandauit Dominus id ipsum facere, quod fecit ipse.Panem igitur & calicem ibi habere oportet, ea præsentibus discipulis Christi distribuere, simúlque verba eius pronunciare, Hoc est corpus meum,&c. Hic est sanguis meus,&c. Quæ verba si quis historica tantum ratione recensere vellet,& non etiam homines ibi habere præsentes, ad quos ea pronunciaret, quibúsque sacramenta distribueret,quemadmodum Aduersarij faciunt,is certè sacramenta non conficeret: mandato enim Domini non satisfaceret: qui idem facere iussit, quod fecit ipse.Iam verò non simpliciter panem in corpus suum & calicem in sanguinem suum consecrauit,sed sanctificauit ea discipulis, mãducandáque & bibenda dedit.Quamobrem quicunque discipulos Christi præsentes non habent,vel eis sacramenta non distribuunt,qui abusus est Aduersariorum, his recitatio verborum Consecrationis in S. Cœna perinde est,ac si quis neminem haberet baptizandum,verba autem Domini de baptismo interim solummodo recitaret. Sic vides,Christiane Lector, similitudinem à Baptismo sumptam contra Aduersarios facere, non contra Librum Reformationis.

Is enim omnia ea facienda ordinauit, quæ Dominus ipse fecit, fierique iussit.

Neque etiam gratiarum actionem & orationem prætermisit. Consecrationem verò Sacramentorum meritò verbis Domini, non orationi attribuit.Cibus enim est donum Domini, nec ab oratione nostra depẽdet.*Panem quem ego dabo vobis*,inquit Dominus,*est caro mea*.Consecratio autem panis & vini est, vt nobis quoque sint sacramenta verí corporis & sanguinis Christi, hoc est,vt & nos quotiescunque de pane isto manducamus, & de calice bibimus, non fiamus rei corporis & sanguinis Christi:sed percipiamus ac manducemus hunc cibum, corpus & sanguinem Domini, in vitam æternam. Hæc consecratio tum demum nobis verè applicatur,& à nobis accipitur, quando sacramenta eo quo dictum est modò sumimus,Pro quo meritò orare debemus. Nihilominus tamẽ gratia & beneficentia ista à verbo Domini pendet, éstque operatio Spiritus S.non ab oratione nostra.

Tertia principalis pars huius materiæ:verba quæ in vulgatis Missis adhibentur,mysterio S. Cœnæ rectè ac propriè quadrent.

Cap. CIII.

HOc loco conantur Aduersarij omnia verba missæ suæ, & canonis, quasi ad mysteria & tractationem, sacræ Cœnæ optimè quadrantia defendere, imò non dubitant scribere Canonem suum esse orationem longè diuinissimam, in qua nihil contineatur, quod non fuerit à tempore etiam Apostolorum in sacrificiis vsurpatum: nihil denique in eo vel in verbis vel in sententiis corrigi posse.

Quoniam igitur Aduersarij duo in Canone suo defendenda suscipiũt, vnum quod sit precatio antiquissima: alterum, quod tam benè ac perfectè composita sit, vt nihil in eo neque in verbis, neque in sententiis emendari queat, demonstrandum nobis hoc loco erit, primùm quàm vetustus canon sit, deinde quàm artificiosè ac propriè compositus.

Primum, Quod Canon, quem Aduersarij in vsu habent, nouum commentum, non antiqua traditio sit, ex eo colligi potest, quod Aduersarij ipsi prædicant, formam missæ suæ à D. Gregorio compositam, ordinatámque fuisse. Quod si ita est, quemadmodum ex parte quidem, non autem omnino verisimile est: & ipsi eum adhuc canonem, quem Gregorius vsurpauit, obseruant, necessariò sequitur, Canonem eorum non esse antiquum. Gregorius enim canonem, qui suo tempore communiter in vsu erat, quidam quem scholasticum nominat, adscribit, qui certè tunc temporis antiquus scriptor non fuit, quandoquidem vetustiorum Doctorum nullus vllam eius mentionem facit: quemadmodũ nec ij qui præcipuos maximéque famosos Ecclesiæ viros connotarunt, vt Sophronius & Gennadius.

Verùm Aduersarij, quoniam ex munere ludimagistrorum apud Collegia magnam dignitatem effecerunt, laborem verò pueros erudiendi à se in pauperes quosdam homines transtulerunt, quos etiam adeò parcè tractant, vt ex paupertate sua nunquam emergere possint, scribunt, scholasticum illum, cuius mentionem facit Gregorius, non hominem aliquem fuisse, qui propriè hoc nomine vocaretur, sed peritum, egregiè doctum, in rebúsque ecclesiasticis exercitatum virum. Ad quod probandum his argumentis vtuntur.

Primùm est, quòd D. Gregorius non scripserit quidam dictus scholasticus, sed simpliciter scholasticus.

Alterum, quod Patres olim, per hoc nomen (scholasticus) egregiè doctum, & in rebus ecclesiasticis exercitatum virum intellexerint. Idque probare conantur ex Augustino & Gennadio.

Vt autem dictum Gregorij meliùs intelligatur, ponamus eam totam hoc loco: Cum S. iste doctor rationem reddere vellet, eius quod ordinauerat, vt in Officio S. Cœnæ precatio Dominica quoque recitaretur, ad verbum sic scribit.

Orationem Dominicam (intellige Pater noster) *idcirco mox post precem dicimus* (quam antè Canonem appellauerat) *quod Apostolorum mos & consuetudo fuit, vt ad hanc solum orationem oblationis hostiam consecrarent: & valdè mihi inconueniens visum est, vt precem quam scholasticus composuerat super oblationem diceremus, & ipsam traditionem,*

traditionem, (rursus intelligit Pater noster) *quam redemptor noster compo-suit, super eius corpus & sanguinem non diceremus.* Hæc ille.

In his verbis nullus ineit contemptus canonis, vsurpati à D. Gregorio. Omnibus tamen verè doctis minimèque contentiosis, manifestum est Gregorium certo cuidam viro, quem nullo peculiari dignitatis titulo ornat, canonem istum adscripsisse. Simpliciter enim scribit, *quam Scholasticus composuerat.* Quod si nomen istud muneris alicuius & officij, non certo cuipiam viro proprium fuisset, debuisset Gregorius locum & tempus exprimere, quibus Scholasticus iste munus suum obiisset, indéque nomen istud sortitus fuisset. Quoniam enim hanc sententiã suam ad Episcopum quendam Syracusanum in Sicilia scribebat, & haud dubiè quælibet Ecclesia, & omnibus temporibus, suum peculiarem Scholasticum habuit, (siquidem scholasticum agere tunc temporis, fuit publicum & eximium munus Ecclesiasticum, quemadmodum Aduersarij, sed sine omni probabilitatis specie, asserunt) adiungendum Gregorio erat, *Scholasticus nostræ, vel alterius cuiusdam* Ecclesiæ. Item *huius vel superioris temporis.* Quemadmodum vulgò dicere solemus, præpositus siue Decanus huius vel illius Ecclesiæ, hoc vel isto tempore. Alioquin enim, quomodo ex his verbis colligi posset, de cuius Ecclesię aut temporis Scholastico locutus fuisse? Quod si infinitè & sine vllo discrimine de hoc officij nomine scribere voluisset, dicendum ei fuisset *quidam Scholasticus*, sicut dicitur, quidam Episcopus, quidam Præpositus.

Verùm adhuc longè impudentius est quod scribunt, sciri quid Patres olim nomine Scholastici significauerint: non vtique virum aliquem cui hoc nomen esset proprium, sed peritum, egregiè doctum, & in rebus Ecclesiasticis exercitatum virum. Ex Patribus verò ne vnum quidem producere queunt, qui isto nomine in tali sensu fuisset vsus. Annotarunt quidem in margine Euseb. lib. 5. Eccles. Hist. cap. Verum ne verbum quidem habetur de eo, quod antiqui Patres appellarint Scholasticos viros egregiè doctos & in rebus Ecclesiasticis exercitatos.

Sed hoc in eo loco commemoratur, Antiquam fuisse consuetudinem Alexandriæ Templa, Scholas, ac Doctores sustentandi, qui S. scripturam interpretabantur & docebant. Inter quos fuit quidam nomine Patenus, maximè clarus & nobilis. Hinc Beatus Rhenanus in margine quidem annotauit, istam consuetudinem forsan posterioribus quoque temporibus obtinuisse, talésque Doctores fortasse progressu temporis Scholasticos appellatos esse. De quo iamdudum nihil præter inane nomen, & falsò arrogatam dignitatem adhuc in Collegiis restat. At non dicit Rhenanus, quod Scholasticus apud antiquos talem doctorem significarit.

Magis adhuc inconsideratè & temerè agunt, quod ad figmenti sui confirmationem D. Augustinum citant, in libro de Catechizandis rudibus cap. 9. Quo tamen in loco S. iste Pater ne verbo quidem talium Scholasticorum meminit, sed docet quomodo suscipiendi, & ad fidem Domini nostri Iesu Christi erudiendi sint, qui à cõmunibus Scholis Grammaticorum & Oratorũ ad Ecclesiã accedebant. Tales erãt

adhuc Ethnici, Scholastici, nõ periti, plurimúmq; in diuinis rebus exercitati Doctores. Sed ipsorũ Gratianus in hunc errorẽ ipsos abduxit, qui Scholasticos ponit, cum tamen hoc nomen apud D. Augustinum non legerit: nec non ingens & insatiabilis eorum cupiditas, qua erga dignitates Scholasticas ardent. Hinc est vt etiam Gennadio non dubitarint adscribere, quòd in catalogo illustrium virorum frequentiùs talium scholasticorum meminerit. Origenem quoque talem Scholasticum faciunt, quo nomine sanctum istum virum nemo vnquam grauauit.

Verum sit sanè de confícto hoc scholastico munere, quomodocunque Aduersariis placuerit: concedatur etiam quod is qui Canonem Gregorij composuit, non proprio nomine Scholasticus dictus fuerit, quod tamen tunc temporis & viris & mulieribus commune erat. Nam inter eos ad quos Gregorius scripsit, duo inueniuntur, quibus nomen fuit Scholastici: vnus qui iudex fuit in Campania, alter qui defensor Ecclesiæ: quin & soror Benedicti Scholastica vocabatur. Verum quomodocúnque tandem se res habeat, quid verò antiquitatis vel authoritatis conciliare potest, etiamsi vel maximè eiusmodi munus officiúmque Scholasticum vt aduersarij comminiscuntur, fuisset, vel is qui Canonẽ Gregorij composuit, huiusmodi Scholasticus extitisset? Quomodo enim probare poterunt, Canonem suum eundem illum Canonem esse, quo Gregorius vsus est, quémque doctus quidam ac peritus Scholasticus eius temporis composuit? Quod si vel hoc quoque in ipsorum gratiam credere voluerimus, ad quod tamen faciendum nullam nos ratio impellit, postquam à forma Gregorianæ missæ in omnibus principalibus partibus tam longè recesserunt, in eo quod nihil cum populo intelligibiliter agunt, eique sacramenta non integrè administrant, quo pacto comprobabũt, Scholasticum istum Canonis compositorem esse antiquum doctorem Ecclesiæ? cùm ostendere nequeant, quod vel vllus ex vetustis Patribus vnquam eius meminerit. Quare hæc eorum citatio perinde ad rem facit, vt ea quæ ex Dionysio, Augustino & Chrysostomo adduxerunt. Quis enim tam stupidus sit, vt videre nequeat, quã id penitus nihil pro assertione Aduersariorum concludat? Isti S. Patres tum antequam id quod super mensam Domini est, sanctificatur & benedicitur, tum etiam cùm idem consecratur, benedicitur, & ad distribuendum comminuitur, preces fuderunt, quas postea Ecclesia oratione Dominica concludit, vt Augustinus scribit: vel Sacerdos cum populo sanctam peragit precationem, cum à sacerdotali loco excluſi fuerint, qui non debent communicare de mensa Domini, vt Chrysostomus meminit. Ergo Aduersariorum Canon est eadem illa prædicatio, de qua isti duo Patres loquuntur, Vbi quæso didicerunt tanti Doctores eiusmodi Consequentias facere?

Tantumdem virium habet quod de Græco canone adducunt, dicentes, quicquid in Græcorum Liturgiis legitur, id ita D. Basilio & Chrysostomo traditum esse.

Et quoniam nonnulla in eorũ Canone habentur, quæ aliqua ex parte

cum

cum illis consonant, ideò necesse est vt & eorum & Græcorum Canon ita ab Apostolis profectus, vnúsque sit & idem. Nunquid hæc non bella conclusio est? præsertim cũ ipsi Græci libelli testẽtur, quod successu tẽporis mutati & locupletati sint, variáque illis admixta, de quibus S. Patres nunquam cogitarunt. Conferantur saltem libelli, quos Ioannes Tuscus & Pelargus transtulerunt, cum his qui Venetiis & Romæ Græcè impressi sunt, ac consideretur vtrum Basilius & Chrysostomus sui ipsorum memoriam in ista forma posituri fuerint, sicut in impressis libellis habetur. Porrò etiamsi certũ esset omnia quæ in istis libellis leguntur, ab ipso Basilio & Chrysostomo; sicut posita habentur scripta esse, nũ propterea Aduersariorum Canon æquiualebit, quia in quibusdam verbis cum libellis istis concordat? Ex his omnibus vides, Christiane Lector, quàm anxiè homines isti quærant, nihil tamen inueniãt: imò quàm ridiculas nugas & figmenta producant, quibus grauissimis abusibus & horrendis abominationibus peruersæ missæ fuco quodam patrocinari queant.

Examinatio Canonis, & manifesta probatio quàm impius sit.

Cap. CIV.

ANte omnia notabis, Christiane Lector, regulam ac naturã omnium precationum & sermonum, qui in Ecclesia Dei vel debẽt vel possunt exerceri: ad quam omnes orationes, hymni ac sermones in Ecclesiis Christi dirigendi & attemperandi sunt. Spiritus S. apertè docet, serióque præcipit, vt in Ecclesia Dei, intelligibiliter, ordine atque cõmodè peragantur, quò à præsentibus omnibus probè intelligi, & ipsi in fide Christi ædificari possint, 1. Cor. 14. Cum hac regula spiritus S. confer vel totum Canonem, vel singulas eius partes.

Primùm, Totus Canon Aduersariorum huic regulæ contrarius est, præsertim ea ratione, qua ipso abutuntur, nempe quod in peregrina ignotáque lingua, idque tam submissè ac tacitè eum recitant, vt ipsum ne ij quidem, qui Latinè docti sunt, intelligere, indéque seipsos ædificare queant. Hoc sanè ludibrium exercere est in aërem loqui & insanientibus assimilari, vt Spiritus S. per Apostolum testatur. Quod cum Missatores in diuinissimo maximique momenti negotio & opere Domini nostri Iesu Christi, omniúmque nostrum æternæ salutis faciant, annon æternam Dei ac Domini nostri Iesu Christi maiestatem horribili contumelia afficiunt.

Quoniam igitur Aduersarij, dum Canonem suum in aliena lingua, & adeò tacitè mussitant, vt astantes, etiam qui Latinè optimè nouerunt, nihil percipere possint, seipsos populo ac vicissim populum sibi Barbaros constituunt, quod iuxta testimonium spiritus S. cùm per ipsum Canones fidos mysteriorum & sanctissimorum donorum Dei dispensatores se populo exhibere deberent, quid aliud agũt, quàm quod grauissimum sacrilegium committunt, sacrosancta mysteria, quantum in ipsis, à populo abscondentes & substrahentes?

Amplius dicit Apostolus, quod diuina mysteria hominibus in peregrina lingua proponere, infidelibus & obstinatis proprium sit, qui ea quidem audiunt, non autem intelligunt, citátque Prophetam Esaiam, qui hoc idem testatur cap. 28. Quare cùm Aduersariorũ Missatores prę-cipua salutis nostræ mysteria in Canone suo ita prælegant, vt ea nemo intelligere queat, ideò fideles Christi quantum in ipsis est obstinatos hostes Dei condemnant, qui quidem verbum eius audiunt, non autem intelligere debent, quæ atrocissima abominatio est.

Et quod omniũ est maximè horrendũ, dũ Canonẽ suũ orationẽ, & actionẽ sanctã, sic planè Ethnica, idololatrica ac magica ratione mussitant, sine multitudinis intellectu, rudiores in eo confirmant errore, vt existiment hãc eorum mussitationem ac multiplicem signationẽ crucis, opus esse quod ex sua virtute plurimũ apud Deũ valeat & efficiat.

Christianus Lector diligenter intueatur & examinet iudicium Spiritus sancti de hac re, & quam atrox crimen esse dicat, mysteria Dei in Ecclesia Christi tali lingua proponere, quam non tota Ecclesia ad fidei suæ ædificationem intelligere potest.

Hactenus de Canone in genere.

IAm si per singulas eius partes transire voluerimus, rursus horrendas peruersiones, contemptum & ignominiam diuinæ Maiestatis, perniciosam item simplicium seductionem abundè reperiemus. Primum in minori Canone, quem appellant, sicut etiam in maiori multa dicunt de oblationibus & donis quæ fideles olim attulerunt, obtulerúntque Domino, id quod Secretarũ maior pars testatur: corã quibus sacerdos ad populum se conuertens dicit: *Orate pro me fratres & sorores, vt vestra & mea oblatio omnipotenti Deo accepta sit.* Iã verò nullæ sunt ibi oblationes, quemadmodũ mos erat apud antiquos panem & vinũ pro pauperibus adferre, vt suprà dictum est. Iam negare non possunt Aduersarij verba & precationes istas ab antiquis super donis & oblationibus, quę à fideli reuera afferebantur, recitandas, ordinatas & ab illis ipsis dictas fuisse. Annon hoc est Deum & Ecclesiã eius grauiter contemnere, ante & ad Deum, corámque Ecclesia eius loqui & orare super oblationibus & donis, ad imitationem veterum, qui ea re ipsa & verè adferebant, corámq; se iacentia habebant, quando eiusmodi verba & precationes recitabãt: talium verò oblationum nullam adferre, vel præsentem adferre: imò nescire sicut maior missarum pars apud Aduersarios ignorat, quod aliquis amplius adesse debeat, quàm sola hostia, vt vocatur, pauxillúmque vini in calice, quę sacrificium & oblationes famulorum famularúmque, fratrum & sororum, de quibus verba veterum, quibus ipsi abutuntur, principio dicta fuerunt, esse non possunt. Adhęc non adferunt ea famuli aut famulę: & si vel maximè id facerent, quo pacto tamen pauxillum istud panis & vini oblationes & sacrificium dici potest, cui ista veterum precatio quadret? Quare his verbis absentibus oblationibus vti, nihil aliud esse potest, quàm horribilis contemptus diuinę maiestatis & Ecclesię.

Quod

Quod si Aduersarij hoc loco glossis & expositionibus vti velint ac dicere quod vocabulum Oblationes & sacrificium intelligi debeant pro publica supplicatione & gratiarum actione, quam ibi Sacerdos & populus simul ad Dominum facere, eíque offerre debeant, nemo tamen est, qui hoc ita intelligat, nec veteres ea verba, quantum ad hanc materiam attinet, tali sensu vsurparunt. Quarum totum illud adhuc manet noua, impia, contumelioſa, & exitioſa veterum imitatio. Adhæc Missatores nullas ibi communes gratiarum actiones cum populo faciunt, nullas preces fundunt, vt antea indicatum est, nescit enim populus quid dicant.

In eiusmodi diuinis rebus debent omnia quàm simpliciſſimè, & ad ædificationem populi vtiliſſimè & orari & sermone proferri. Volentes igitur hoc loco precari vt Deus & eorum & populi precem gratiarúmque actionem exaudire, & acceptare velit, imitantes in eo S. Patrum consuetudinem, vtantur ad id verbis eorum, ac liberè dicant, *Orate fratres & sorores, vt vestra ac mea precatio & gratiarum actio Deo accepta sit.* Item in Secreta, *Esto misericors supplicationibus nostris & benignus suscipe precationes, & gratiarum actiones populi tui, vel famulorum & famularum tuarum quo precationes & gratiarum actiones, quas singuli faciunt, & facient, ad honorem nominis tui, seruiant omnibus ad salutem*: Non, *Propitius accipe Oblationes populi tui, vel famulorum & famularum tuarum, vt quod singuli obtulerunt*, &c. Cum tamen non modo non singuli, sed nemo obtulerit. Loquendum enim hic est, vt res se habet.

Sic quando in maiore Canone dicunt, *Memento famulorum famularúmque tuarum, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerũt hoc sacrificium laudis* (quę verba veteres de reali oblatione donorum, pro quibus gratiæ agẽdę erant Domino intellexerunt) quare non subiungunt (videlicet sacrificiũ precationis & gratiarũ actionis nostrę? Quid tandem causa est, quod perpetuò apud istam actionem eiusmodi verba vsurpantur, quæ nemo rectè percipit & intelligit? Quod si S. Patres in tanto apud eos precio sunt, religióque illis est, ipsorum verba vsurpantur, quę nemo rectè percipit & intelligit? Quod si S. Patres in tanto apud eos precio sunt, religioque illis est ipsorum verba vsurpare, exprimant quoque facta eorum adferantque reuera Oblationes ac deinde super eas orent, quemadmodum Antiqui fecerunt: idque eatenus, quatenus id faciant ad ædificantem intellectum circũstantium, sicut faciebant veteres. Si verò Patrum opera imitari volunt, nullásque Oblationes adferre, volunt autem verbis eorum de realibus oblationibus, & donis sonãtibus vti, quid aliud faciunt, quàm quod Deum eiusque Ecclesiam & antiquos ludibrio habeat, talibusque præstigiis miseram plebẽ seducũt?

Hic idem abusus, contemptus & ignominia diuinæ maiestatis, Ecclesiæque eius, in his quoque verbis latet, quæ postmodum sequũtur. *Hanc igitur Oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine, vt placatus accipias, diésque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna*

damnatione nos eripi, & in electorum tuorum grege iubeas numerari, per Christum Dominum nostrum. Quam Oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi.

In istis verbis rursus apparet, quod ea de iis Oblationibus ac donis quæ tota præsens Ecclesia Christi, familiáque Dei contulerat, sonant. Super quibus oratur, vt Dominus ea propitius accipiat, sibíque gratam Oblationem esse sinat à se benedictam, adscriptam, acceptabilem ratam, & verè fidelem cultum quem Paulus appellat λογικὴν λατρείαν, quò illud ipsum, quod ex collatis oblationibus pro Sacramentis deputatur, corpus & sanguis fiat Domini, hoc est cibus ac potus in vitā æternam. Hic rursus coram Deo & sancta eius Ecclesia de oblatione quadam dicitur, quæ tamen præsens non est; id verò quod adest, videlicet pauxillum panis, vel potius imago tantum & simulachrum panis & vini, super quę sublimia hæc verba recitantur, ita comparatum est, vt nemo Christianus, qui id cum veteris Ecclesię consuetudine & obseruatione confert, nequeat ad horrendu istū diuinę maiestatis contemptum obmutescere.

In quinto cap. lib. 4. de Sacramentis eorum qui D. Ambrosij nomine inscribuntur, nonnihil de istis verbis habentur, ex quo cognosci potest, quomodo posteriores rem verbis tantum, non autem effectu verarum & essentialium oblationum correxerint. Sic enim in eo loco legitur: *Fac nobis hanc (Orationem) ascriptam, rationabilem, acceptabilem: quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Consimilis ratio est verborum illius precationis, quam statim à Consecratione dicunt. Vnde & memores Domini nos tui serui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij tui Domini Dei nostri tam beatæ resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascēsionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiā puram, hostiā sanctā, hostiā immaculatam, panē sanctū vitæ æternæ, & calicē salutis perpetuæ. Supra per quæ propitio & sereno vultu respicere digneris, ac acceptahabere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificiū Abrahæ Patriarchæ nostri, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchizedec, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.*

Supplices terogamus, omnipotens Deus, iube hæc proferri per manus Sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectum diuinæ maiestatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.

Fortasse qui descripsit incogitatia sua interuertit has voces Oblationem & Orationē nam non recitantur rectaverba Ambrosij.

In hac oratione primum omnium mentio fit memoriæ Christi & passionis eius, Resurrectionis & Ascensionis in cœlos, quam plebs sancta celebret, cum Sacerdote. Vbi verò fit hoc in Missis Aduersariorum?

Secundò memorantur dona & data Dei, de quibus offeratur ibi hostia pura, &c. At vbi sunt ista dona & data Dei, de quibus puræ hostię efferuntur?

Tertiò, Cum dicunt, *Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis & datis, hostiam puram, panem sanctum, vitæ æternæ*, &c. Quid est hoc loco offerre? Offerúntne Sacerdotes panem vitæ æternæ, an Deus nobis? Equidem

dem sic sonant verba Domini nostri Iesu Christi, *Accipite, & comedite, &c.* Non dicitur, Accipe ô Deus à nobis.

Quòd si offerre hoc loco significare debet Filium Dei Patri proponere pro remissione nostrorum peccatorum, sicut Aduersarij id exponunt, certè id nostrum opus non est: ipse enim semetipsum & nos Patri hostiam acceptabilem sistit, non nos ipsum.

Si verò gratias Deo agere, quod nobis dilectum filium suum in victimam, & propiciatoriũ sacrificiũ donauit: eúmq; orare, vt nobis propter victimam dilecti Filij sui Domini nostri Iesu Christi, quam pro nobis obtulit in ara crucis, propitius esse dignetur, peccata nobis condonare, & benedictionem suam largiri, quare non ita loquuntur? Etenim in eiusmodi rebus loquẽdũ est, vt sẽtitur, aptissimé q; ad fidei ædificationẽ.

D. Chrysostomus & alij Patres etiam dicunt, Nos offerre Christum in Cœna, offerre eandem hostiã, quę semel in Cruce oblata est pro nobis. Sed continuò seipsos exponũt, dicentes hoc nostrũ Offerre nihil aliud esse quàm oblationis Christi memoriam celebrare. Videantur quæ hac de re D. Chrysostomus scripsit, Homil. 17. in Epistolam ad Hebræos.

In Orationibus Liturgiæ, quæ Chrysostomo & Basilio adscribitur, nulli inuenitur dici, Offerimus tibi Deus panẽ vitæ æternæ, vel dilectũ filium tuum Christum. Nullum penitus habetur in precationibus istis indiciũ vllius rei, quam Domino offeramus, nisi propositorũ donorũ, symbolorúmq; corporis & sanguinis Christi: itẽ λογικῆς λατρείας, cultus mentis, precationis & laudis, quæ sunt spirituales oblationes.

In precatione, quæ habetur in Liturgia D. Basilio adscripta, quam Græci statim post Consecrationem dicunt: eodem loco, vbi apud Papistas, precatio de qua nunc agimus, recitatur, oblationes sacrificij & ministerij istius vocantur ἀντίτυπα corporis & sanguinis Christi: itẽ proposita dona: non panis vitę æternæ, & calix vitæ æternæ. Ex quo rursus apparet nouum commentum & Canonis Aduersariorum correctio.

Quartò, Vbi in eorum Canone sequitur, Supra quę propitio & sereno vultu respicere digneris, Quid referet hoc, quę? Proximè ante hæc verba positum est, *Sanctum panem vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ, hoc est, corpus & sanguinem Domini.* Quare iuxta communem verborum ordinem ac cohærentiam nihil aliud per (Quæ) intelligi potest. At quomodo non absurdum est orare, vt *Deus propicio vultu respicere dignetur, super corpus & sanguinem dilecti Filij sui Christi, & hoc sanctum sacrificium acceptum habere, sicuti acceptam habuit oblationem Abelis, Abrahæ & Melchisedec?*

Verum Aduersarij interpretantur hæc verba dicentes, precationes istas hoc sensu intelligendas esse, vt Deus oblationem illam dilecti Filij sui pro nobis quoque acceptam habere dignetur: & quantum ad opus oblationis nostræ attinet, vel quatenus cõsecrata hostia Ecclesiã Christianam, vt mysticum corpus Domini nostri Iesu Christi significat & repræsentat: & quod ad actionẽ oblationis nostrę attinet, aut quatenus cõsecrata illa hostia Ecclesiam Christi tanquã corpus eius simul significat & repræsentat. Alioquin enim neminẽ tam stolidũ esse, qui ig-no-

set Deo Patri nihil posse esse acceptius corpore & sanguine vnigeniti Filij sui Christi. Dicunt etiam D. Augustinum docere, quod nos tali loquendi formæ assuefieri oporteat, qua corpori Christi non solũ hoc tribuitur, quod est ipsi tãquam capiti proprium: verumetiam quod eidem competit, quatenus secum membra sua comprehendit. Secundum quem modum Christus in Psal. 21. aliisque plurimis peccata sua confitetur, quæ solummodo sunt membrorum suorum non sua capitis.

Tales glossæ elegantes quidem sunt, si modò etiã intelligerẽtur, & ita populo proponerẽtur. Quãtus verò Sacerdotũ & missatorum numerus est, qui ipsi hęc verba tali sensu intelligãt, taceo Ecclesiæ Christi tradãt & exponãt? Sanè Aduersarij ipsi hac glossa cõtẽti nõ sũt, alioquin nõ adiicerẽt *(Aut)* & *(Alioquin.)* Porrò si hęc verba ab omnibus in genere ita exponerẽtur, vt Aduersarij tradũt, quod tamẽ nõ fit, quid causę esset, vt nũc in luce N. Testamẽti mysteria Christi Ecclesię proponerẽtur, & eiusmodi precationes recitarentur, quę iãprimũ multa declaratione & expositione indigerent, cùm tamen scripturæ consentanea claráque & intelligibilia verba abundè suppetant, quæ quilibet Christianus sine vllo commentario & glossa facilimè intelligere potest?

Quod D. Augustinus docet in scriptura obseruandũ esse, quid Christo Domino nostro per se, tãquam capiti Ecclesiæ suę, & quid Ecclesię tãquã corpori eius, propriè cõpetat, id huius loci nõ est, Precatio. n. Canonica nõ est in S. scripturis tradita. Adhęc nõ amplius versamur in caligine V. Testamẽti, sed in luce noui. Quãobrẽ nũc loqui debemus, sicut Christus Dominus ipse & Apostoli eius locuti sunt, hoc est, apertè ac propriè, nõ quẽadmodũ prophetæ, obscurè, absconditè, & in genere.

Inferũt etiã Canoni suo precationẽ quę D. Basilio adscribitur, in qua oratur, *Deus vt spirituale cultũ acceptũ habere dignetur, sicut accepta habere dignatus est munera Abelis, Noẽ, Abrahami*, &c. At quî fit vt Patres istos nõ etiã opere imitẽtur, & ita loquãtur, vt intelligi queant, nec prolixis iã primũ cõmẽtariis eorũ sermo indigeat? Huic rursus elucet Aduersariorũ Canonẽ esse nouũ ac deprauatũ figmẽtum. Dicit. n. Supra quę, & proximè prędcedit. *Panẽ sãctũ vitæ æternæ, & calicẽ salutis perpetuæ?* Quãobrẽ precatio ista, *Supra quæ propitio & sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es, munera pueri iusti Abel*, &c. Iuxta vulgatã verborũ cohærẽtiã nõ nisi de corpore & sãguine Christi intelligi possit. Et certè inter mille missatores vix vnum reperias, qui hęc verba aliter intelligat, etiã inter eos, qui illa exactius perpẽdunt, propriéq; intelligere cupiũt. Eorũ. n. infinitus numerus est, qui Canonẽ nõ aliter quã magicã quandã imprecationẽ, sine vlla mẽte & cõsideratione, quẽ sensũ verba in se cõtineãt, recitãt: putant sui muneris esse solummodo ea dicere cum certis quibusdam, & ad hanc rẽ destinatis gestibus, ac signis, inclinando, erigendo, brachia vel tota vel ad dimidiam partem expandendo, cruces signando, aliáque id genus faciendo, in quibus addiscẽdis sępenumerò longissimũ tẽporis spatiũ consumũt.

Quintò orat Aduersariorũ Canõ: Hæc iube perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuũ, in cõspectũ diuinę Maiestatis tuæ. At quæ sunt hæc dona? oblationes certè pro paupibus ibi nullæ sunt.

Quod

Quod si preces & gratiarū actiones intelligūtur, quare nō propriis suis nominibus exprimuntur, quæ ab omnibus intelligi possent ? Si verò hæc verba ad corpus & sanguinem Christi referantur, sicut etiam paulò ante nominata sunt, quomodo non absurdissimū est orare Deum, vt ea iubeat iamprimum deferri per manus angeli in conspectum diuinę maiestatis suæ, in quo alioquin perpetuò sunt? Verùm Aduersarij hæc verba interpretantur, ídque satis callidè, nempe in hunc modum: Propositionem passionis Domini nostri Iesu Christi, & pro ea gratiarū actionē, quæ per Sacerdotem figuraliter fit, propter indignitatē nostrā Deo placere non posse. Idcirco supplices se rogare Deum, vt per eum ipsum (filium suum) qui est magni consilij Angelus, eadem illa offerri iubeat in sublime altare humanitatis eius, quo sic ad nostram reconciliationē semper in conspectu diuinæ maiestatis suæ appareat, & luceat. At quis est qui verba hoc modo intelligat? Quin & ante quoque de proponēdo sistendóque dictum est, quod Dominus ipse passionem suam Patri offerat, ac proponat, non nos. Sin autem iste sensus est, Deum orari, vt commemorationem dilecti filij sui, quam in S. Cœna agimus: precésque & vota nostra quæ illi offerimus, vnà cum gratiarum actione, quod nobis vnigenitū filium suum, & cum eo omnia donauit, per eundē filiū suū grata acceptáq; habere dignetur: quare non loquūtur vt sentiūt, & scriptura Ecclesiáque hac de re loqui solet? Quid opus est fidelibus mysteria Christi tā obscuris & non intellectis verbis absc̄odere, sepelire, ac deinde prolixis cōmētariis ac glossis rursus eruere & in lucē proferre.

Oratur quidē etiam in Liturgia Gręca, vt Deus prę̄sentem oblationē in cæleste altare suū subuehat. Hanc verò precationem de Oblationibus ac donis intelligunt, quæ pro pauperibus conferebantur. At instant Aduersarij dicentes, commemoratarum precū formā nempe. Vnde nos memores & supplices te rogamus, inueniri apud D. Ambrosiū lib. 4. de Sacramētis, cap. 5. Verū quidē est, quod in eo loco talia verba reperiuntur. At quis est inter verè doctos, qui hos libros Ambrosij esse agnoscat?

Quod si vel maximè Ambrosij esse concedamus, fieri tamē potest, vt ipsius tēpore, vel quicūq; tandem eos cōposuit, rectè fuerint intellecta, quando videlicet dona pro pauperibus semper prę̄sentia erant: omniáque in ea lingua pronunciabantur, quam vniuersus populus planissimè intelligebat. At nunc longè alia ratio est.

Porrò cum nec his neque aliis quibuscunque verbis alligati simus: sed omnibus verbis & operibus, omnibus deniq; rebus liberrimè vtamur ad ædificationem fidei, certè huius libri authoritas, etiamsi certè Ambrosij esset, parum aut nihil iuuat, quandoquidem hæc verba vulgò vel penitus non, vel perperam & scandalosē intelliguntur.

Sextò, Habentur in Cānonę hæc quoque verba: *Per quem hæc omnia Domine semper creas, sanctificas, viuificas, præstas.* Et dum Sacerdos hæc verba loquitur, ter hostiam consecratam, calicémque consecratum signo crucis obsignat: quo verba ista propriè ad ipsam hostiam, & calicem, quæ signo crucis munierat, refert. Si verò de pane & vino in sua natura intelligi debent, annon impius iocus est, ea verba quæ haud

dubiè in principio super essentialia munera ac dona, quæ fideles cumulatim pro pauperibus adferebant, recitari consueuerunt, nunc super pauxillum panis & vini dici? Sin de corpore & sanguine Christi, quomodo quadrabit, id quod dicitur, Per quem hæc omnia semper bona creas. Quis vnquam cogitauit, corpus & sanguinem Domini non semper bona esse? sicut Manichæi de communi cibo ac potu commenti sunt, Imò quomodo quadrabit, Quæ tu sanctificas, viuificas? Deus enim semel sanctissimum istud corpus & sanguinem in vtero intemeratæ virginis Mariæ, ac deinceps per resurrectionem sanctificauit & viuificauit, vt & nos per id sanctificemur & viuificemur.

Verum & hanc quoque precationem interpretantur Aduersarij, voluntque hunc eius esse sensum, quod ibi confiteantur, Deum per dilectum filium suum, quoties S. Cœna celebratur, panem & vinum in corpus & sanguinem eius transmutare, sanctificare & viuificare, vt & nos per ea sanctificemur & viuificemur. Etiamsi verò hæc glossa recipi posset, si modò verba ista eo sensu intelligerentur, adhuc tamen nulla ratio subest, propter quam in hoc diuinissimo negotio tam obscurè & intricatè loquendum sit, cum id facilè corrigi & emendari possit. Ex his omnibus vnicuique Christiano facile est videre, Canonem Aduersariorum in omnibus principalibus sui partibus peruersum ac scandalosum esse, & magis ad contemptum ludribriúmque diuinę maiestatis præsertim hoc tempore facere, quàm ad vllam ædificationem prouehendam.

Totus enim Canon in peregrina lingua, populóque Christi non intellecta recitatur. Quod apertè & ex diametro pugnat cum mandato Spiritus S. 1. Cor. 14. vt suprà indicatum est: quinetiam omni consuetudini, obseruationi, ordinationi, doctrinęque veteris Ecclesiæ & S. Patrum.

Secundò, Quandoquidem adeo penitus sine intellectu ac tacitè vt qui vel optimè linguam intelligit, verba tamen percipere non possit: insuper tanta nihilominus pompa, imò maiori, quàm Sacrosanctum Euangelium, & omnes Scripturæ Dei, denique tam peregrinis & inusitatis gestibus ac signis, prælegitur, efficaciter eò confert, vt abominatio ista & pernicioſus error in mentibus hominum confirmetur, quasi Canon singularis quidam cultus Dei, efficax Oblatio Christi, ac talis quædam precatio sit, quæ si verba eius vel clanculum tantum adhibitis eiusmodi gestibus ac signis recitentur, omnia à Deo impetrandi vim habeat: quod tamen idololatricum, veréque magicum opus est.

Tertiò, Principalis Canonis partes eiusmodi verbis compositæ sunt, quę aut merum sunt diuinę Maiestatis, & Ecclesię eius ludibrium, cùm de oblationibus ac donis de quibus sonant, nihil quicquam adsit; aut grauis & horrenda seductio, quasi iamprimum ibi per Sacerdotis actionem, recitationem nempe Canonis, Oblatio Christi Deo accepta, nobisque fructuosa fiat. Id enim claris & apertis in Canone oratur, siquidem ea verba ad Christum Dominum nostrum, sanctúmque corpus & sanguinem eius referre velimus: quemadmodum vulgò omnes Missatores faciunt.

At quis

At quis tandem hunc nobis Canonem composuit? quis ad eum nos alligauit? quis ipsum recitare nobis præcepit? quis ex numero S. Patrum? quod Concilium? quæ Ecclesia? Annon precioso sanguine Christi liberati sumus ab omnibus elementis huius mundi, ab omnibus omnium hominum dictis & factis, quatenus ea ad ministerium Christi nobis nõ inseruiunt? Annon per Dominum nostrum Iesum Christum Domini facti sumus omnium rerum, vt eis ad efficaciſſimum fidei in ipsum proiectum vtamur? Annon debemus totum Euangelium, omnia mysteria Christi & salutis nostræ fidelibus eius quàm apertissimè & simpliciſſimè proponere? Annon velum adytorum scissum est? nunquid non vmbra veteris testamenti discussa est, lux verò noui exorta? in quo sicut Christus Apostolis suis, omnia quæ à Patre audierat patefecit, ita & Apostoli Ecclesiis omne consilium Dei pleniſſimè reuelarunt, omniáque mysteria Domini nostri Iesu Christi fideliſſimè & absolutiſſimè annũciarunt, & in lucem prodiderunt. Quare igitur nos ipsos rursus in vmbram ac tenebras, miserámque & egenam elementorum huius mundi, & humanorum figmentorum seruitutem seducere ac precipitare vellemus? Legimus in tertio & septimo Concilio Carthaginensi & in tertio Toletano, quod tunc temporis non vniusmodi precationes in Canone in omnibus Ecclesiis vsurpatæ fuerint: quódque Concilia ista, quoad Canonem & alias id genus Ecclesiasticas preces amplius non requirant, quàm ne quisquam talibus orationibus vtatur, quæ aliquid in se habeãt contra fidem, sed quæ à prudentioribus Episcopis compositæ sint, ac deinceps à Concilio confirmatæ. Imò in Concilio Toletano ordinatum est, vt Episcopus sicut precationes, ita & hymnos, qui componuntur, nullos reiiciat, subaudi, quatenus cum scriptura non pugnant.

Iam verò omnium Ecclesiarum Christi, quæ ab initio fuerunt, & adhuc sunt, vnum & idem ius est. Cum igitur adeo verum sit, vt à nemine negari possit, quod verba Canonis, quem Aduersarij propugnant, maior pars etiam ipsorum missatorum taceo populi, vel omnino non, vel pauciſſimis pauciores non impiè & scandalosè intelligunt. Quare non quælibet Ecclesia in tali casu libertate Christiana vteretur, & istum non intellectum ac scandalosum Canonem prætermitteret, in eius verò locum alias precationes substitueret, quæ à fidelibus omnibus ad ædificationẽ quam optimè intelligi possent.

De Canone ac forma Missæ, quæ apud S. Dionysium, & alios Patres inuenitur.

Cap. CV.

ADversarii præter alios antiquos etiam S. Dionysium citant ac dicunt, Canonem suum formæ S. Officij, quæ apud eundem Dionysium, aliósque Patres reperitur, consentaneum esse, atque idcircò tam vetustum, quam est ipsa Ecclesia Christi. Ab Apostolo-

rum enim temporibus in Ecclesia Christi obseruatum esse aiunt. Ve/ vt manifestè videas, Christiane Lector, quod hoc à veritate alienum si nihilque à forma & modo precationum, ac celebrationis S. Cœnæ veterum magis diuersum & alienum esse, operępretium nos facturos arbitror, si formam S. Dionysij, & aliorum antiquorum hoc loco adscribamus, quæ sic se habet. Lege cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia.

1 *Primum Pontifex supra sacrosanctum altare orat.*

2 *Oratione peracta, ab altari incensum adolere incipiens phanum circuit.*

3 *Demum ad altarè rediens, Psalmorum incipit melos, concinente secum sacra carmina vniuersa Ecclesia.*

4 *Deinde S. Scripturarum lectio recitatur per ministros, intellige Diaconos & subdiaconos, quos ille nomine* τῶν λειτουργῶν *significat, vt habent Græca scholia in hunc librum.*

5 *Post sacram lectionem Catechumeni fidei discipuli, & vitali lauacro nondum initiati, item Energumeni, qui à fœdis potestatibus, immundisque spiritibus aguntur: & ij quoque qui in pœnitentia sunt, extra templum aguntur: manent autem intus soli, qui diuina spectare, atque percipere idonei sunt, intellige Sacramenta.*

6 *Porrò ministrorum quidam clausis templi foribus astant, alij verò quisque quod suum est officium peragunt.*

7 *Ministrorum præcipui cum Sacerdotibus sanctum panem & benedictionis calicem sancto altari imponunt.*

8 *Omnium Catholica laus, & symboli fidei confessio canitur.*

9 *Post hæc venerandus antistes sanctam orationem peragit, & sanctam pacem omnibus nunciat.*

10 *Postmodum se mutuò omnes salutant.*

12 *Mystica deinde nominum piorum sanctorum recitatio fit.*

13 *Et Pontifex ad medium assistit altaris: eúmque sacerdotes, & selecti ministrorum aliqui circumstant.*

14 *Tunc Pontifex diuina opera laude prosequitur, intellige opera nostræ redemptionis & restitutionis.*

15 *Quo facto diuina munera consecrat, intellige sacramenta, ea laudat, & venerandis operta & abdita signis in conspectum producit.*

16 *Cúmque diuinorum beneficiorum munera ostendit, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur.*

17 *Sumpta demum atque omnibus tradita communione diuina gratias agens, finem sanctis mysteriis imponit.*

Hæc est forma S. Cœnę, quam S. Dionysius conscriptam reliquit, suóque tempore Ecclesia obseruabat.

Consimilis forma reperitur apud D. Chrysostomum, & alios S. Patres.

Et quoniam Diuus Chrysostomus Homilia 18. in 2. ad Corinthios inter cętera verba formam quoque sacræ Cœnæ, quæ suo tempore in vsu erat, maxima ex parte & præcipuas eius partes descripsit, non videtur incommodum si quod ibi scriptum habetur, in hunc quoque locum trãsferatur, vt possit Christianus Lector vtrámque formam, nempe quam Christiana Reformatio proponit, & pro qua Aduersarij pugnant,

pugnant, cum hac veteri forma Ecclesiæ conferre, tantóque postea felicius suam de illis sententiam pronunciare.

Forma administrationis S. Cœnæ vsurpata temporibus D. Chrysostomi, & ab eodem conscripta. Homilia XVIII. *in secundam Epistolam ad Corinthios.*

CAP. CVI.

EST autem vbi nihil differt Sacerdos à Subdito, vt quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim omnes, vt illa percipiamus digni habemur : Nam sicut in veteri lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos. Sed nunc non sic, verum omnibus vnum corpus proponitur, & poculum vnum. Quin & in precibus, Viderit quis populum multum simul offerre, cùm pro Energumenis, tum pro pœnitentibus: communes enim preces à Sacerdote, & ab illis fiunt, & omnes vnam dicunt orationem, orationem misericordia plenam.

Iterum vbi excluserimus à Sacerdotalibus ambitibus eos, qui non possunt esse participes sanctæ mensæ, alia facienda est oratio, & omnes similiter super terram iacemus, & omnes similiter surgimus, quando iterum pax communicanda, omnes similiter salutamus.

In iisdem iterum horrendissimis mysteriis benè precatur Sacerdos populo, & benè precatur populus Sacerdoti. Nam cum spiritu tuo, nihil aliud est quàm hoc, Ea quæ sunt Eucharistiæ, hoc est, gratiarum actionis communia sunt omnia: neque enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus. Prius enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis, vt dignè & iustè hoc fiat, incipit Eucharistiam.

Et quid miraris, si cum Sacerdote populus loquitur ? vbi sanè & cum illis Cherubim, & supernis potestatibus communiter sanctos illos hymnos personant.

Hæc est forma Missarum, quæ tēporibus Chrysostomi obseruata fuit: cum qua per omnia concordat, quicquid indicij Latinarum formarū reperitur in scriptis S. Patrum, Cypriani, Hieronymi, Augustini, Gregorij. In hoc officio omnia cum fideli populo, & ad ædificantem eius intellectum, non peregrina lingua, vt nunc, peragebantur. Consimiliter in vna congregatione non plura, quàm vnum Officium eodem tempore administrabantur, de eóque semper aliqui saltem, & ambo Sacramenta percipiebant. Tota verò offerendi ratio in eo posita erat.

Quod fideles dona sua, ac munera pro pauperibus eò adferebant, Dominóque per Sacerdotem offerebant, hoc est, in honorem eius contribuebat, vnà cum oratione & gratiarum actione, gratáque sacrificij Domini nostri Iesu Christi, semel in cruce oblati, annūciatione & cōmemoratione: quo fides in Christū Dominū nostrū in omniū animis cōfirmaretur, & p dilectionē ad omnia bona opa efficacior redderetur. nemóq;

externo tantùm opere S. Cœnæ confideret: quin potiùs omnes seriò monerentur, quod ad iudicium & cõdemnationem omnibus inseruiat, qui sine vera fide ei præsentes interfint. Hæc omnia clara sunt.

Iam iudicet quiuis Christianus, an non missis antiquorum Christianorum, dicta ratione ac forma obseruatis, Aduersariorum Missę ex diametro repugnant, Christianæ verò Reformationis forma in omnibus substantialibus partibus consentiat. Etiamsi enim signum adoletionis incensi in ea ordinatum non sit, sicut nec osculum pacis: perspicuum tamen est, hæc signa non esse necessaria, & neque apud Aduersarios, quemadmodum apud veteres, vsurpata significatio ac virtus ipsa talium signorum, in qua totius negotij cardo vertitur, non est in libro Reformationis prętermissa. Porrò quamuis ędificans sanctorum Apostolorũ & Martyrum memoria, quæ fit publica nominum ipsorum recitatione, ad hanc actionem in libro Reformationis ordinata non sit, commodiori tamen, & ad ædificationem vtiliori loco & tempore celebranda est instituta. Ad veram oblationem & communionem, item nè quis S. Cœnæ præsens adsit, nisi ad fructuosam eius perceptionem idoneus, fideliter hortatur Reformationis liber. Forma igitur, quę in eo proposita est, & S. scripturę, & priscarum Ecclesiarum obseruationi concordat: quod facilè cuiuis Christiano apparebit, qui ea quę hactenus in hac materia disputata sunt, penitius inspicere, diligentiúsque examinare volet. Nihilominus tamen ad reprehensionem Aduersariorum, breuiter aç summatim ordine respondebimus.

Apologia libri Reformationis, contra accusationes Aduersariorum, in negotio S. Cœnæ.

Cap. CVII.

Cto accusationes Aduersarij instituunt.

Prima est, Librum dicere, Christum Cœnam suam tantùm communionis caussa instituisse, & in prima sua Cœna non obtulisse.

Ad hanc Accusationem superiùs satis responsum est, in Articulo de quatuor Oblationibus in Missa. Constat Dominum de Sacramentis corporis & sanguinis sui non dixisse, Offerte ea Patri, sed *accipite, comedite, bibite, &, Hoc facite in mei commemorationem.* In quibus verbis nullum habetur prœceptum de oblatione corporis & sanguinis Christi.

Quod si Gratiarum actio oblatio est: & corpus ac sanguinem in S. Cœna offerre dicimur, quando cum gratiarum actione annunciatur ac commemoratur, quomodo hoc corpus & sanguis in ara crucis pro nobis oblatus sit, sicut S. Patres interdum loqui solent, tunc liber Reformationis non contradicit, Dominum in prima sua Cœna obtulisse, hoc est, gratias egisse, nobísque vt eodem modo offeramus prœcepisse, hoc est, Deo Patri & sibi gratias agamus, quod corpus & sanguinem suum pro nobis in cruce immolauerit.

Verbis

Verbis autem offerendi & sacrificandi Liber non est vsus, imitatus in hoc Dominum & Apostolos eius, posteaquam in tam deprauatum sensum detorta sunt. De hac re vide supra latius in articulo de sacrificio Missæ.

Altera Accusatio est, Librum Reformationis hæc vocabula, Oblatio & sacrificium exponere, quod nihil aliud significent, quam memoriam sacrificij Christi. Actionem verò Cœnæ negare esse sacrificium, quamlibet Sacerdos eam applicet. Denique asserere, quod Sacerdos nequeat in Missa Dominum nostrũ Christum Patri figuraliter & mystice offerre.

Superius adducta sunt dicta S. Patrũ, vt Augustini ex expositione Ps. 75. Item ex 20. lib. contra Faustum, c. 18. & 21. item ex Homil. 17. Chrysostomi, in Epist. ad Hebr. in quibus ipsi Patres, Offerre Christũ in Cœna, exponũt, pro eo quod est memoriã oblationis Christi factę in cruce celebrare. Nõ offerimus aliud sacrificiũ, inquit Chrysostomus, tanquã Põtifex, sed hoc idẽ quod ipse obtulit: imò magis memoriam celebramus huius sanctæ oblationis. Porro quod etiam populus in S. Cœna Domino offerri debeat, vna cum precibus & gratiarum actione, etiam liber Reformationis docet.

De applicatione quoq. satis dictũ est, etiã in proprio ipsorũ Articulo. Sacrificiũ Christi Sacerdos nemini aliter applicare, & fructuosum reddere potest, quã prædicatione victimæ Christi, distributione sacramentorum & oratione pro hominibus, ad quod fides ac propria applicatio quoque omnium qui verum huius sacrificij fructum percipere volunt, requiritur necessariò, quemadmodum ipsi Aduersarij fatentur.

Quomodo autem Christus Dominus figuraliter Patri offerendus sit, declarare necesse est. Si Christũ figuraliter ac mystice Patri offerre est, quando symbola panis & vini, quæ corpus & sanguinẽ Domini designant, super mensam Domini, quasi ante conspectũ Patris proferũtur, & iuxta institutionẽ Domini, cũ pia & cõueniẽti gratiarũ actione vsurpantur, tũc liber quoq. mysticã istã oblationẽ nõ prętermisit. Sic etiam si idẽ est quod memoriã corporis & sanguinis Christi, cũ gratiarum actione celebrare, in hoc sacrosancto sacramento Cœnæ, quod figura ac typus est corporis & sanguinis Christi, sicut quintum caput lib. 4. de Sacramentis, eorum qui D. Ambrosio adscribuntur, hac de re loquitur. Verùm non inanis typus. In eo enim Dominus reuera se nobis exhibet.

Cęterum neque Scriptura, neque S. Patres vel verbum habent, significationis isto sacrificio. Quare nec liber Reformationis debuit eiusmodi nouis, & obscuris verbis vulgatam & scandalosam sacrificij Christi ignorationem augere & confirmare.

Tertia Accusatio est, Librum Reformationis iniuriã inferre Ecclesię Christi, vbi dicit, Hactenus in Ecclesia prędicatũ fuisse, & adhuc doceri, Sacerdotẽ ad hoc offerre Patri Christum, vt intentione & oratione sua faciat eũ esse nouũ & acceptabile sacrificiũ pro hominũ salute, & quasi meritũ passionis Christi applicet cui velit, imò distribuat his quoque, qui nulla fide idipsum apprehendũt. Quasi deniq; populo persuaserint, opus Sacerdotis externũ, & sacrificium quod Patri pro peccatis nostris

pponitur, tãtę esse virtutis & efficaciæ, vt astãtes iuuẽtur eo in corpore & anima, hic & in vita futura: nõ obstãte q̃ simul interim in omnis generis criminib. & peccatis Deo & cõsciẽtię manifestè cõtrariis sint & permaneãt. Postremò q̃ sãctã istã actionẽ verterint in opus merè humanũ, atq; hinc prę sumere homines cõtra Deũ & Dominũ Christũ, eo q̃ Missa in peccatis & contẽptu Christi quã maximè cõfirmẽtur, fiántque securi. In summa, diuinam Maiestatem non posse grauius lędi, quam hoc abusu: ita enim appellari Missam à Libro.

Ad hanc Accusationem respondemus primò, Librum Reformationis Eccleśię Christi nullam iniuriam facere, sed accusare eos, qui sub nomine ac prætextu Eccleśię eiusmodi horrẽdã superstitionẽ introduxere, & adhuc tuẽtur & stabiliũt. Nõ valet, vt Eccleśię continuò adscribatur, quicquid perfidi eius Pseudoministri faciunt.

Quod verò ad Accusationem ipsam attinet, ex fructibus cognoscantur arbores. Quàm securè & absque omni pœnitentia Missatores maxima ex parte viuant: nec non communis turba eorum, qui Missas audire & spectare solent, nimis, proh dolor, manifestum est. Nihilominus quãtis laudibus Missatores Missam suam extollant, & quoscũque possunt ad eam inuitent: quanta item diligentia ac contentione homines omnis generis flagitiis & sceleribus contaminatissimi, ad Missas confluant, experiẽtia nimis apertè testatur. At quoniam nemo sine spe salutis Deum colit, dubium non est, quin exiguo temporis spacio longè pauciores Missæ celebrarentur, audirentur & spectarentur, nisi Missatores manifestis peccatoribus, qui de nulla vnquam pœnitentia cogitant, aliquid vtilitatis & emolumenti ex Missa pollicerentur, eósque in talia fiducia relinquerent. Quis verò vnquam audiuit, quod debita grauitate & seueritate contestentur, quod omnes, qui Missis suis, sine vera peccatorum pœnitentia intersunt, iram & vltionem Dei contra se per Missam prouocent? Quid antehac in primis Missis, & alias, de Missarum nundinatione & mercatura prædicatum fuerit, adhuc videre licet in editis sermonum libellis. Sed de hoc supra satis.

Post hæc, quod Liber quæritur, Missas in opus merè humanum conuersas esse, id abundè testantur Missæ, quæ quotidiè apud Aduersarios celebrantur. In his enim nihil omninò est eorum, quæ Dominus ad S. Cœnam suam instituit, nempe quemadmodum ipse id ordinauit. Primum enim in genere sinunt eiusmodi homines Missas facere, qui nullã habent portionẽ in Regno & sacramẽtis Christi: quod Dominus non modò non permisit, sed apertè prohibuit. Secundò ad audiendas spectandásque Missas promiscuè omnes admittuntur, etiam qui nolunt esse Discipuli Christi, atque idcirco digni sunt, qui ab eiusmodi mysteriis Christi omnibus modis arceantur.

Tertiò, Leguntur & orantur omnia sine ædificante circũstantium intellectu, quod & ipsum verbo Dei manifestè repugnat. Quartò, Sacramenta vel non distribuuntur, vel non integra, iuxta institutionem Domini. Hęc omnia aduersãtur mãdato Domini. Quid igitur eorũ remanet, quę præcepit Domin⁹, & sicut ipse instituit? Etsi. n. adhuc vsurpãtur verba Scripturę, quemadmodum & Sacramenta, id tamen non fit vt ordina-

uit Dominus. Quamobrem cùm nihil eorum, quę sunt ad hanc actionem à Christo ipso instituta, reliquum in Missis sit, necessariò sequitur, eas esse opus purè humanum, & instinctum spiritus Satanę.

Porrò quàm grauiter & horribiliter diuina Majestas lędatur & contemnatur, quod sanctissima ista ceremonia tantoperè peruertitur, & directè cõtra institutionẽ Domini seruatur: imò quòd per eã peccatores contra iudiciũ diuinum obdurantur, & in omnibus sceleribus ac flagitiis securi reddantur, id cuilibet Christiano per se patet, & in omnibus Prophetis passim obuium est, qui contra peruersas ceremonias, falsámque fiduciam, quę in illis collocatur, tam seriò clamant.

Quarta accusatio est, Librum Reformationis abrogare & damnare Missam totius Ecclesię Christi, quę pręcipuè in eorum Canone consistat: qui in Libro Reformationis excluſus sit, & nouus quidam ritus, hactenus in Ecclesia non auditus, introductus.

Catholicę Ecclesię Christi Missa est S. Cœna Domini, sicut ipse eam instituit, & obseruari pręcipit. Ritus & obseruatio veteris Ecclesiæ iá ante descripta est. In libro autem Reformationis nemo quicquam reperiet, quod verę Missæ Christi, & Ecclesiæ eius vel minima ex parte repugnet: imò quod non sit à Domino ipso institutum, & ab Ecclesia eius fideliter obseruatum. Tantum abest, vt veram Catholicæ Ecclesiæ Christi Missam abroget, aut damnet. Porrò quid in ipsorum Canone desideretur, quódque nihil minus sit, quàm antiquus Catholicę Ecclesiæ Canon, supra demonstratum est, in proprio Articulo.

Quinta Accusatio est, Librum Reformationis confingere & instituere nouam Missam, in qua nulla fiat consecratio, cum inuocatione nominis Diuini. Ordinare enim vt Hymno Sanctus decantato, sine omni inuocatione aut prece Canonica, mox verba Domini Iesu Christi decantentur, ac cõfestim vbi populus responderit Amen, pari modo decantet & Pater noster. Quare necesse esse: vt subditi nostri vero corpore & sanguine Christi priuẽtur, vbi ad doctrinã Libri suscipiendã fuerint adacti.

In hac accusatione rursus introducitur nouum ac falsum dogma Aduersariorum, quod verbo Domini manifestè repugnat, fideíque & obseruationi veteris Ecclesiæ, nempe quod Consecratio Sacramentorum non fiat per verba Iesu Christi. Etiamsi enim Liber Reformationis ordinat, vt verba Domini singulari grauitate decantentur, aut recitentur, vt populus Amen ad ea respondere queat, nihilominus tamen scribunt Aduersarij, quod homines qui eiusmodi Missarum formas recipiãt, priuentur corpore & sanguine Christi. In quo cõsecrationem à verbo Domini remouent, Canoníque suo iam attribuunt. Qui quoniam à Libro prętermissus est, non dubitant scribere, quod quicunque hac nostra forma vti velint, corpore & sanguine Christi priuentur: Item nullam fieri consecrationem, etiamsi verba Domini recitentur, quemadmodum in Libro ordinatum est. Sed quando Canõ quoque recitatur, quomodocunque tandem dicatur (sicut quotidiana experientia docet quàm impiè à multis milibus Missatorum legatur) tum demum fieri consecrationẽ: An non hoc est preces hominum, Verbo Domini anteponere?

Porrò Librum Reformationis nullā inuocationem nominis Diuini ordinasse, verum non est: videātur ambæ formæ prolixæ supplicationis pro omnibus necessitatibus Ecclesiæ, quas Liber ad imitationē veterū præscripsit. Ordinatū quoq; in eo est, vt Oratio Dominica etiá recitetur, quā solā Apostoli, vt D. Gregorius testatur, ad cōsecrationē recitarunt.

Denique quando in Libro ordinatum est, vt populus ad verba Domini, *Accipite, Comedite, hoc est corpus meum*, &c. Amen dicat, in eo continetur communis inuocatio ac petitio, & in Oratione Dominica nempe vt ei Dominus corpus & sanguinem in cibum ac potum ad vitam æternam tradere velit, sicut ea in verbis suis porrigit.

Sexta Accusatio est, Librum non ordinasse vt oretur pro Papa, & mortuis, neque vt memoria habeatur animarum, quæ cum signo fidei discesserunt.

Ad hæc omnia superius responsum est. Quod ad Papam, constat veteres in hac precatione suorum tantummodo Episcoporum nominatim meminisse. Ad hæc non obscurum est, quid antiqui Canones requirant, pro quibus hominibus & officiis, & qua ratione hoc loco precationes fieri velint.

Quod ad defunctos, certum est, antiquissimos in hoc officio pro illis non orasse, id quod vel ex Dionysio manifestum est.

Sanctorū memoriā in hac oratione celebrare, non est necessaria ordinatio. Quamuis igitur hoc loco ad grauē abusum & errorem, ad quem detorta est, amouendum, prætermittitur, aliis verò temporibus, quibus & oportunius, & ad ædificationē promouendam vtilius fieri potest, habetur, id tamen nemo Christianorum meritò vituperare potest.

Septima Accusatio est, Librum velle vt oblationes non Sacerdoti ad altare, sed Curatoribus potius secularibus offerantur, tradantúrque, & ab iis in gazophylacium pauperum reponantur. Cùm veteres oblationem ad altare, & Sacerdoti adferri ordinauerint.

Oblationē antiqui ad Mensam Domini attulerunt, quādo offerebant panē & vinū. De pecunia nihil habetur. Quamobrē cùm Dominus ipse in veteri populo suo, certum locum pro Oblatione pecuniæ deputarit, non debebant Aduersarij ægre ferre, si Liber diuinam ordinationē imitatur. Sed neque verum est, quod veteres Oblationes Sacerdoti attulerint; Christo Domino eas attulerunt, pro Sacerdotibus quidem, sicut etiam Liber Refor. disponit. Verùm à tempore Apostolorum suos habuit Ecclesia Diaconos, quorum officium semper fuit, oblationes recipere ac dispensare, idq; cū consilio ac consensu Presbyterorum, & Episcopi: quibus etiam rationem reddebant omnium acceptorum & expensorum: at Sacerdotes non recipiebant ad se oblationes.

Ad hæc neque seculares Curatores Liber Reformationis oblationibus præfecit. Propositum enim nobis est, probatissimos maximéque spirituales illis præficere, qui veri ministri, hoc est, Diaconi Ecclesię esse possunt. Spiritualem enim esse, Ac vera ordinatio non à nudis nominibus, verbis & coronis, sed legitima ac pia probatorū & idoneorū hominum ordinatione, fideli denique iniuncti muneris executione dependet.

Octaua

Octaua Accusatio est contra id, quod Liber ordinat, vt verba Domini clara voce ad intellectum omnium fidelium præsentium recitẽtur, quo & ipsi suum Amen ad ea subiicere queant. Dicunt, Patres velle, vt mysteria Domini abscondantur. Ad hæc nullum obseruari nostro tempore discrimen inter populum sanctum & prophanum, imò excommunicatos. Demum Orationem illam, quę ante consecrationem super hostiam dicitur, ideò Secretam vocari, propterea quod non debeat omnibus temerè publicari, &c. Veteres S. Patres volunt, vt mysteria Christi, non à fidelibus, coram quibus solis S. Cœna celebrari debet, sed ab infidelibus & energumenis abscondantur. Et quam ob caussam fideles legitima & intelligibili S. Cœnæ administratione, quæ sola ad ędificationem facit, spoliarentur, propterea quod Ecclesiarum Præpositi, tam cum Christo Domino, quàm cum Sacrosanctis eius Sacramentis tã perfidè agunt, vt sine discrimine omnes, etiam eos, qui apertè indigni, & excommunicationem promeriti sunt, ad sanctissimum istud officium admittant? Quo iure priuari debent Filij Dei summa consolatione sua, Videlicet verbo Domini nostri Iesu Christi, propterea quod Ministri Ecclesiæ tam infideles serui sunt, & à mensa Domini non arcent, qui ad eam admitti non debent? Suum quilibet onus portare debet, nec pij propter improborum peccata puniri, sanctissimisque donis despoliari.

Veteres ab indignis mysteria ita absconderunt, vt ea ne spectãdi quidẽ potestatem illis permiserint. Quę disciplina si collapsa est, sicut, proh dolor, nimis grauiter interdicit, exigatur rursus, & qui volunt esse ministri Domini, fideles se declarent, dent Filio Dei debitum dimensum, & alienos, iuxta præceptum mandatumque Domini de illis, tractent.

Non ignorant Aduersarij, hæc verba Domini apud veteres clara voce ad vniuersum populum pronunciari consueuisse, populúmq; suũ Amen illis subieciisse: quã consuetudinẽ Græci adhuc hodierna die obseruant. Nihilominus tamen audent tentare simplicium oculorum præstigiis fascinare, citando S. Patres Ambrosium & Basilium, quo minus in hoc negocio verum prospicere queant: cùm tamen sciant, vtrunque Doctorem, sicut & antiquos omnes contrarium & docuisse & obseruasse.

Verùm superius in Confutatione Canonis Aduersariorum satis comprobatum est, hęc mysteria omnia, ad planũ circumstantium intellectũ pronuntianda ac proponenda esse. Legatur quid D. Ambrosius, in cap. 14. prioris ad Corinth. super hac re scripserit, quid item, lib. 4. de Sacramentis, quos tanquam Ambrosij citando Aduersarij satiari non possunt. Quid item in Liturgiis, adscriptis D. Chrysostomo & Basilio.

Quare Canonem Secretam orationem appellent, ipsi rationem reddant. Paulò ante ex D. Chrysostomo declaratum est, precationem istam communiter cum populo, & ad eius intellectum faciendum esse. Habent quidem Græci nonnullas precationes, quas Sacerdos in silentio dicit, verba verò Domini, & omnes principales preces publicè ad intellectum omnium circumstantium enunciant. Hactenus ad ea, de quibus Aduersarij Librum Christianæ Reformationis, quò ad S. Cœnam. reprehendunt. Quæ omnia beneuole Lector, pia & Christiana mente

perpendere & examinare velis.

Fama est nonnullos esse Prælatos Coloniæ, quibus hæc Aduersariorũ figmẽta tantoperè arrident, vt liberè iactare audeant, Missam suam nũc primùm debere consistere, nec quenquam ipsam euertere valiturum. Verum qui spiritum Christi habent, & veritatẽ eius agnoscunt, omnia item, quę ad Confutationem figmentorum, ab Aduersariis pro defensione Missæ suæ adductorum, prolata sunt, perpendunt, sine dubio videbunt, Missam, pro qua Aduersarij pugnant, in nullius animo, in quo vera fides Christi locum habet, & Antichristus nondum obtinuit, consistere posse.

Vndecima quarta Accusatio.

De Pœnitentia, Confessione, & Satisfactione.

Cap. CVIII.

HANC Accusationem Aduersarij in quinque partes distribuerunt, quarum prima est: Vtrum Pœnitentia seu Absolutio debeat inter Sacramenta Ecclesiæ à Domino instituta numerari: Altera de Confessione, An teneamur Sacerdoti omnia peccata distinctè confiteri. Tertia de Satisfactione, An ea Pœnitentibus imponenda, Quinta de Excommunicatione.

De prima Parte.

Vtrum Pœnitentia vel Absolutio Sacramentum sit à Domino institutum.

Cap. CIX.

HAC de re supra disputatum est in Articulo de Sacramentis in genere. Responsum verò tale est.

Pœnitentia est verus & Christianus dolor de peccatis, non Sacramentum Ecclesiæ: Si per Sacramentum intelligatur inuisibilis gratiæ Christi Visibile signum: sicut Baptismus, S. Cœna, & Impositio manuum. Sacramenta sunt & dicuntur. Christiana enim Pœnitentia peccatorum, donum est & opus Spiritus Sancti in Electis, per quod de peccatis suis ira conterũtur, & ex animo dolent, vt remissionem eorum ardentibus votis, seduláque imploratione gratiæ & misericordiæ diuinæ, per Christum Dominum nostrum, firmo denique propositio emendationis, petant: Veterem Adamum in semetipsis mortificare fortiter aggrediantur, omnibúsque bonis operibus summâ diligentiâ incũbãt. Hæc sanè spiritualis affectio est, & internus dolor animi, dicta pœnitentia opera excitans, non visibile signum.

Sic neque Absolutio Sacramentũ dici potest, hoc modo de Sacramẽtis loquendo, ea enim nihil aliud est, quã liberũ pronuntiare à peccato, vel, peccata in nomine Domini remittere, per quàm ministri Ecclesiæ, omnibus

omnibus qui peccata sua Christianę de illis pœnitentiæ,ac doloris sufficienti testificatione confitentur,veniámque eorum humiliter ac supplices petunt,ex mandato Christi ea remittunt,eósque ad communionem Domini nostri Iesu Christi admittunt.

At hoc signum non est,vel significatiua actio,sed opus ministerij Ec clesiastici curæque animarum, institutum ab ipso Domino, quemadmodum Scripturæ loca testantur,quæ Aduersarij ex Mat.16.& 18.capitibus,de ligando & absoluendo:item ex Ioh.20. cap.de remittendo vel retinendo peccata adduxerunt.Præclarum habetur eadem de re testimonium, 2.Cor.2.vbi Apostolus hortatur Corinthios,*vt eum,quem ex iussu suo excommunicauerant*,1. Cor. 5 *& Satanæ in perditionem carnis tradiderant,rursus in gratiam recipiant,atque peccata remittant,ne nimio dolore conficiatur*.Etsi verò Dominus hoc opus præcepit,nullum tamen ad id visibile signum instituit,vnde sacramentum appellari posset iuxta vim & Potestatem istius vocabuli,qua sacramenta definimus esse, inuisibilis gratiæ Christi visibilia signa.

Quoniam verò antiquitus,vt apud Cyprianum & alios scriptum reperitur,etiam signum impositionis manuum ad Absolutionem adhibitum est,fieríque potest,vt Consuetudo illa fuerit ab Apostolis profecta, hac ratione posset Impositio manuum, vel Absolutio facta per impositionem manuum Sacramentum appellari,quod nec liber Reformationis negat.Verùm Absolutioni siue Pœnitentiæ per se hoc nomẽ congruere nequit,ea nempe significatione,quæ iam ante exposita est. Nullus igitur S. Patrum id vel Pœnitentiæ vel Absolutioni attribuit: nisi velimus dicere,vocem sacramenti tantundem valere, quod Græca dictio μυστήριον.Absolutio enim magnũ est salutis nostræ mysterium, sicut etiam verè fidelis pœnitentia:ambo enim dona sunt & opera Spiritus S.

Aduersarij hoc in loco de duabus clauibus quoque loquuntur,scientiæ & potestatis.Quod si ita intelligunt, quod Dominus Ministris Ecclesiæ suæ omnibus dederit spiritualem scientiam & potestatem, cognitionem atque auctoritatem peccatores reprehendendi &corrigendi,ligandi & absoluendi,tunc non malè loquuntur.Nam vt D.Augustinus scribit,Dominus non tradidit claues regni cœlorum Petro per se,sed Ecclesiæ in Petro,cuius personam Petrus gerebat.

Hactenus de prima parte.Reliqua inuenies supra in Articulo de Sacramentis in genere.

Secunda pars.

De secreta Confessione.

Cap. CX.

DE isthoc exercitio liber Reformationis in Articulo de Pœnitẽtia &Excõmunicatione adeò Christianã,&S.Scripturis cõsẽtaneã doctrinã tradit,vt nemo Christian' quicquã in ea

desiderare queat. Qui etiam Patrum scripta ab Aduersariis hoc loco adducta, diligenter examinare volet, cogetur fateri librum Reformationis eiusdem esse per omnia sententiæ cum Patribus: quod deinceps primum omnium demonstrabimus, ac postea ad Aduersariorum calumniam respondebimus.

Quod doctrina libri Reformat. de secreta missa, cum doctrina S. Patrum nullo modo pugnet.

PRimùm omnium seriò mandamus, ne quis ad communionem Cœnæ Domini admittatur, nisi à Pastore, aut reliquis ministris sacramentorum ad Confessionem suam, priuatam Absolutionem antea accepererit.

Secundò requirimus vt quilibet & peccata & delicta, quæ conscientiam illius præcipuè sollicitant & premunt. Ministro delegatur, ac de his consilium & consolationem cum absolutione petat.

Tertiò constituimus, vt Pastores vnumquémque audiant & examinent de fide sua, & intellectu decem præceptorum, atque eos hoc modo ad veram peccatorum suorum cognitionem perducant.

Quartò, Ne quisquam absoluatur, qui non serium ac firmum propositum ostendat sese emendandi: paratúsque sit ad omnia scandala à se data, quantum in ipso fuerit, rursus tollenda.

Hæc omnia sunt expressa in libro Reformationis proposita, quæ tu ipse legas, Christiane Lector.

Vlterius nihil quicquam S. Patres requisierunt, quod ex omnibus eorum dictis, quæ Aduersarij adduxerunt, comprobari nõ potest. Ad hęc positum quoque in libro est, ne quis ad enumerationẽ peccatorũ, hoc est, ad omnes actiones suas in dictis & factis cũ omnibus circũstantiis speciatim Confessionario emerandum & patefaciendum, adstringatur.

Eiusmodi peccatorum enumerationem nec S. Patres requisierũt: nihil aliud est quàm pręstigiatio & impostura, quod Aduersarij ad homines inanibus & pomposis verbis fascinandos, tam multa Patrum dicta allegant. In omnibus enim illis nihil aliud voluerunt, quã ad occultorũ quoque peccatorum, & malarum cogitationum mentis seriã pœnitentiã agendã hortari. Quod verò Christianus per salutẽ animę suę teneatur omnes prauas cogitationes, dicta aut facta, cũ omnib⁹ circũstantiis Sacerdoti recensere, id quod vltimis hisce tẽporibus, quibus vera pœnitentia grauiter collapsa est, & doctum est, & maxima cum importunitate exactum, vnde multa millia animarum in horribilem anxietatẽ & desperationem impulsa sunt & adacta. Talis doctrina apud nullum ex veteribus inuenitur, id quod cuiuis Christiano obuium est, qui citata Patrum loca cum Antecedentibus & consequentibus diligenter examinauerit.

Primùm non verentur Aduersarij confictum Clementẽ introducere, cũ probè sciãt, Epistolã à se allegatã, impiũ esse ac inane figmentum, in quo S. Petro absurdissimæ quæque adscribuntur. Quare à nemine in testimo-

testimonium veritatis citari potest, sicut nec ab vllo ex veteribus citata reperitur. Quod haud dubiè ab illis factum non esset, si eam fide dignam indicassent: præsertim cum plurimos S. Petri commemoret sermones factos ad istum Clementem suum, eique vt scripto consignaret, mandatos. Sermones etenim Apostolorum debent tanquam Sermones spiritus S. præsertim in tanti ponderis rebus Ecclesiasticis, obseruari, quotiescunque certa eorum mentio habetur.

Nihilominùs tamen nec fictitij Clementis dictũ euincit, Christianos ad omnia occulta peccata, prauè dicta aut facta, cum omnibus circumstantiis Sacerdoti recensenda teneri. Oratio enim fictitii Petri a supposititio Clemẽte conscripta, nihil aliud est, quam adhortatio ad Sacerdotes, vt si fortè alienius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel auaritia, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei qui præest. Qui animæ suæ curam gerit, inquit. Is verò est, quem hic iubet fictitius Petrus cõfiteri, non is cui iubet confiteri, videlicet curator animarum. Ita isti homines passim deprauant quæ adducunt testimonia.

Alium locum ex eadem adhortatione supposititij Petri adducunt: in quo abiectionem ex corde latentis amaritudinis peccati cõparat nauseæ & vomitui eorum, qui in mari nauigant, & dicit, Intrinsecus latentem amaritudinem peccati, si quando talis ex iniustis affectionibus cõcepta sit, abiiciendam prorsus & euomendam esse.

Quod verò habetur in vtroque loco de eo, quod singula peccata cum omnibus suis circumstantiis inter confitendum enumerare oporteat. Primùm dictum tantummodò est exhortatio ad Sacerdotes, in qua solum loquitur de confessione eorum morborum qui latenter irrepserũt, inuidiæ, infidelitatis, auaritiæ, & similium, quando adhuc in animo hærent, & homo non facilè ab eis se liberare potest. Alterum verò dictum agit, de plena eorum ex animo abiectione, quę fit per veram pœnitentiam, non solam confessionem. Solummodò enim mala in semetipso latentia, conscientiamque suam grauantia & sollicitantia recensere, non est ea ex animo abiicere, ac quasi euomere.

Iam Liber Reformationis non modo nihil contrarium, sed idem omninò docet. Hortatur enim vt vnusquisque ea peccata, quæ conscientiam suam precipuè sollicitant & grauant, hoc est, quæ adhuc illi adhærent, ministro detegat, ab eoque consilium solatiumque quærat. Iam verò ea peccata, quibus seipsum aliquis adhuc implicatum & irretitũ deprehendit, ipsum imprimis grauare ac sollicitare debent, quamuis omnia delicta, quantumuis exigua sint, vnũquemque Christianum premere & molestare meritò debent. Verùm ea omnia & singula recensere, homini impossibile est: nec etiam Confessionarius suum peculiare consilium ac solatium ad singula seorsim dari potest.

Porrò quod Aduersarij ex Epistola Dionysij ad Demophilum producũt, id ne verbũ quidẽ de Secreta Confessione in se habet: sed est reprehensio cuiusdam Monachi, qui in scripto quodam de se prædicauerat, quod impium aliquem & peccatorem, in præsentia sua ad pedes Sa-

cerdotis se prosternentem,pede detrusisset,& Sacerdotem,quod peccatorem istum admiserat, acriter redarguisset, cùm tamen Peccator iste supplicaret,& confiteretur,quod ad medicinam venisset.Hæc sunt verba Dionysij in eo loco.Verum sic ludere solent Aduersarij, cum salute hominũ,idq; in tam sublimibus mysteriis Redẽptionis Christi. Nihilo plus loquuntur de Secreta Confessione Tertulliani quoque & Cypriani dicta,longè minus de enumeratione peccatorũ facienda Sacerdoti: Sed de publica Cõfessione, quã eius tẽporis fideles pro peccatis faciebãt,nõ Verbo tantũ,sed etiam tota vitæ conuersione:non coram solo Sacerdote,sed etiam in conspectu totius populi Christi,& vniuersæ Ecclesiæ. Ad quã agendam S.isti Patres nonnunquam non eorũ solummodo peccatorũ, quæ in opus adducta sunt,verumetiam quæ sunt in sola cogitatione: vt terroris ac formidinis Christum in persecutione confitendi,quæ adhuc tantum in corde manent,& neque ore prolata,neque opera perfecta & admissa sunt.Tertullianus libro de Pœnitentia scribit,ἐξομολόγησιν, hoc est, confessionem Ecclesiæ esse disciplinam sese prosternendi & humiliãdi, conuersionem iniungentem misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu,Sacco & cineri incubare: corpus sordibus obscurare, animũ mœroribus deiicere: illa quę peccauit tristi tractatione mutare. Cęterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animę caussa. Plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctésque adDominũDeum,Presbyteris aduolui,& aris Dei adgeniculari,omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia dicit Tertulianus esse ἐξομολόγησιν. Cúmque pudorẽ huius Confessionis depellere vult,hoc præcipuè argumento vtitur.

Quod fideles,corã quibus ea fieri debeat, omnes fratres sint,peccatori compatientes & condolentes,pro eóque orantes.Hanc confitendi rationem Cyprianus quoque, qui Tertullianum tanquam magistrum suum,libenter in omnibus imitatur, eodem omninò modo, in citatis aliisque compluribus locis describit.

Hic certè nihil habetur de Secreta,& quæ tantum ore fit, peccatorum enumeratione, sed eiusmodi seria & efficax Confessio describitur de qua Aduersarij multa quidem prædicare possunt, verum quę hactenus apud ipsos non modo non est inuenta,sed ne audita quidem, quod ad eam seriò homines adhortentur,sicut in Libro Reformationis ordinatum est.

Verùm Origenes scribens in Ps. 57.loquitur quidem de priuata quadam,& secreta Confessione, quę peculiari cuipiam & sapienti medico animarum facienda sit, consiliumque ab eo petendum, vtrum operæ precium vtilèque sit, tale quoddam peccatum publicè quoque in congregatione fidelium confiteri.Ad eiusmodi verò confessionem tantummodo hortatur,neminem cogit,multò minus singulorum peccatorum euumerationem postulat.

Ad hęc non vult, vt ea cuilibet fiat, Tantummodo, inquit, circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius Medicum cui debeas caussam languoris exponere, qui sciat infirmari

infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demũ, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem: si quid consilij dederit, facias & sequaris: si intellexerit & præuiderit talem esse languorẽ tuum, qui in conuentu totius Ecclesię exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri curari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hac deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. Hæc ille.

Hæc est doctrina Origenis in citato loco, quæ habetur etiam de Pœnit. Dist. 6. Quam sanè Aduersarij, quantum ad electionem ac probationem Cõfessionarij pertinet, ægrè admissuri essent. Præcisè enim postulant, vt suo quisque Pastori, quantumuis in diuinis rebus imperitus, quantumuis impius & obstinatus sit, confiteatur. Qui profectò de vera confitentium ædificatione & emẽdatione magis sollicitus esse nequit, quàm de sua propria: quisque nisi lucrum, & cupiditas dominandi cõscientiis hominum, interdum impium quoque & fœdum arcana hominum cognoscendi desiderium eum impelleret, iamdudum Parochiales suos omnes omni confessione liberasset.

Porrò quod ex Nicephoro adducũt, id ita scriptum est, vt cuiuis perspicuum sit, id de nulla confessione agere, in qua tenetur homo omnia & singula peccata sua cum omnibus circumstantiis recensere. Quomodo enim vnus Episcopus vel etiam probati Monachi huic muneri potuissent satisfacere?

Consimilis ratio est etiam dictorum Basilij, quæ quidem docent, peccata Ministris Christi, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse: & hanc esse salutarem confessionem. Quòd verò singulorum peccatorum, quorum homines conscij sunt, enumeratio necessaria sit, id S. iste Pater non magis docet quàm reliqui.

D. Chrysostomum quoque producunt, cum tamen non ignorent, ipsum necessitati arcana peccata confitendi apertè contradixisse. At nihil aliud quærunt, quàm vt frequenti & nominum & locorum S. Patrũ citatione simplicium oculos perstringant, quę minus veritatem liquidò cernere queant. Tu verò Christiane Lector inspice citata loca: inuenies enim quod nihil aliud volunt, quàm sacerdotibus à Domino iunctum esse, vt peccata discernant, iudicent & remittant: quódque ministerium ac potestatem eorum nemo contemnere debeat. Quod etiã liber Reformat. docet. Enumerationis verò peccatorum nulla fit in eis mentio. Hoc quidem vrget & iste Pater, vt peccata non ore tãtum, sed multo magis corde confiteamur, hoc est reuera tanquam peccata agnoscamus. Quod verò sacerdotibus vnà cum omnibus suis circumstantiis enumeranda sint, id adeò non docet, vt contrarium expressè docuerit, non vno tantum loco: vt etiam in illo quem Aduersarij postremò citant, libenter tamen perperam exponendo in alium sensum detorquerent.

Non dico, tibi, inquit, *vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses, sed obedire te volo Propheta dicenti, Reuela Domino viam tuam.*

Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum iudicem delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, &c. Hæc ille. Hoc dictũ aiunt Aduersarij liberare tantum à publica Confessione, quæ fiebat in publico pœnitentiæ exercitio: de qua paulò antè ex Tertulliano dictũ est: non de secreta, quæ fit soli sacerdoti. At facilè est hoc asserere, difficilè verò rationibus comprobare. Constat enim S. hunc Patrem sapientissimis & optimis verbis, & inter cæteros Patres omnes cantissimè, ac circumspectissimè scripsisse, & locutum esse. Quamobrem si hęc eius sententia fuisset, vt Aduersarij dicunt, non debebat hoc loco ad solam confessionem, quæ Deo fieri debet, adhortari, eius verò, quæ sacerdoti priuatim & secretè facienda est, neque hic, neque vllibi alias meminisse. Sed oportebat ipsum hoc quoque loco, vbi tam copiosè de vera Pœnitentia, omnibúsque ad eam pertinentibus, concionatus est, eius quoque Confessionis, quæ seorsim sacerdoti facienda esset, mentionem facere. Quod non modò non fecit, sed eam in omnibus suis scriptis & libris, quorum infinitus penè numerus est, in nullo loco ne verbo quidem attigit. *Non dico tibi,* inquit, *vt te proda in publicum, neque vt te apud alios accuses.* An non sapiens iste, cautus, ac plane diuinus Orator, Verè aureum os, his verbis suis appositurus fuisset, (nisi apud sacerdotem) si secretam Confessionem Christianis in genere necessariam agnouisset? Constat igitur, quod quemadmodum arcana confessio in Ecclesia Constantinopolitana per proximum Christini antecessorem obsoleuerat, sic nec D. Chrysost. eam necessariam facere, vel seriis ad eam adhortationibus in vsum restituere voluerit. Cuius ratio in sequentibus explicabitur.

Non minùs absurdum est, quod illud quoque, quod Tripartita historia de Confessione commemorat, deprauare conantur. Ibi enim manifestè recensetur, Constantinopoli sacerdotes quosdam, sicut etiam Romæ, pœnitentibus præfectos fuisse, qui secretas hominum Confessiones audiebant, eisque pœnitentiam iniungebant. Quam consuetudinem Nectarius, proximus ante Chrysostomum Constantinopolitanus Episcopus, abrogarit, nullámque amplius presbyterum pœnitentibus prefecerit, postea quam ei à nonnullis suasum erat, vt singulos ad communicandum iudicio conscientiæ suę relinqueret. Ad communicandum, inquit, non ad agendam publicam pœnitentiam, vel non agendam, vti Aduersarij verba hæc à suo Germano sensu detorquent.

Sic enim ea peruertunt: Nectarium vnumquemque iudicio conscientiæ suæ reliquisse: quod non ita accipiendum sit, quasi fecerit omnibus liberum secretò confitendi si velint, aut non, si nolint: sed quod ad pœnitentiam attinet, liberum feciſſe, reliquisséque vniuscuiusque iudicio, an pro peccatis occultis publicè pœnitere velit, an non. Verùm neque de secreta confessione, neque de publica pœnitentia quicquam habetur: sed de communione, ad quam singulos iudicio conscientiæ suæ, nullo præcedente Confessionarij iudicio, qui secretam eorum confessionem audiuisset: atque idcircò sine omni confesione secreta, Nectarius admisit. Ad communicandum positum est. Antea non sic fuerat

fuerat, sed ad communicandum nemo admittebatur, nisi facta à presbyteris, qui pœnitentibus prętecti erant, potestate: quos propterea homines conueniebant, suámque apud illos confessionem facere cogebantur. Vnde manifestum est, Confessionem secretam tũc temporis in Ecclesia Constantinopolitana in altero summo Patriarchatu, non necessariam ad salutem iudicatam fuisse: quódque ista Ecclesia neminem propter eam cogitauerit excommunicare.

Interim tamen verum quoque est, quod eodem loco in Tripartita historia scriptum legitur, Eos videlicet qui confiteri fugiunt, maius sibi onus imponere. Verùm peccata confiteri non est ea recensere: sed ex intimo cordis affectu peccatorem se agnoscere, & confiteri: ídque non solum coram Deo, Verum etiam coram tota Ecclesia eius. Talis autem confessio facilè fieri potest, sine peculiari sui ipsius accusatione, & singulorum peccatorum enumeratione. Videatur tota Homilia Chrysost. 32. in Epistolam ad Hebręos, vbi verum confitendi modum optimè declarat, ac propriissimè describit.

Non minus perperam Latinos quoque Patres citant, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Leonem, Gregorium. Qui omnes nihil aliud docent, quàm primò, Deum dedisse presbyteris potestatem peccata cognoscendi, discernendi, iudicandi, remittendi: & quod Christiani potestatem istam nullo modo aspernari, sed magni ęstimare debeant. Secundò, quod presbyteri debeant esse confitentium medici: ij verò qui morbis peccatorum laborant, eiusmodi medicos libenter conuenire, suámque ægritudinem liberè non grauatim illis reuelare.

Tertiò, quod Pœnitentia æquet Sacramento Baptismi. Vnicum Leonis dictum aliquid amplius habet, nempe, quod admodum vtile ac necessarium sit, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. Omnia ista dicta, si probè intelligantur, vera sunt & salutaria, dummodo in dicto Leonis vocabulum (*necessarium*) non nimis altè tendatur.

Primùm enim vt sępenumero hactenus confessi sumus, verum est, Presbyteros in Ecclesiis à Domino ordinatos esse, vt fratrum peccata cognoscant, discernant, iudicent, seruent vel remittant: vtque per impositionem manuum salutarem peccatoribus medelam & pharmacum adhibeant: fratres verò id magni faciant, gratóque animo vsurpent.

Item vera Pœnitentia, per quam à peccatis ad Dominum nos rursus conuertimus, suo modo non mali Baptismo ęquat, quandoquidem pœnitentibus per absolutionem eadem gratia & communio Christi restituitur, quam in S. Baptismo acceperant. Cui Liber Reformat. non modò non contradicit, sed etiam id ipsum docet, & ad hoc seriò adhortatur. De eo igitur nulla controuersia est: sed de hoc controuertitur, Vtrum enumeratio peccatorum necessaria sit. Hic Aduersarij omnes & suas & complicum suorum vires in vnum conferant, tenténtque, si vel vnum aliquod dictum in medium proferre queant, ex quo probari possit, Christianos teneri, vt singula occulta peccata sua in confessione

cum omnibus eorum circumstantiis enumerent, verum id facilè præ termittent.

Iam verò quoniam nonnulli Patrum, præsertim verò Origenes ad priuatam Confessionem aliquantò diligentius hortantur, vt ex parte Cyprianus quoque, quos etiam nos imitati, constituimus ne quis ad S. Cœnam admittatur nisi prius confessus sit, & absolutionem acceperit. D. verò Chrysostomus Confessionem liberrimam relinquit, adeò vt ne quidem ad eam adhortetur: non abs re foret, amborum causas probè cognoscere, ac penitius introspicere. Primum omnium igitur notabit Christianus Lector, quem scopum vtraque pars respexerit.

Si S. Patrum hac de re dicta rectè intueamur, manifestè deprehendemus, priores, qui priuatam Confessionem magnis laudibus extollunt, ad hoc præcipuè respexisse, quod ea mirum in modum prodest, ad afflictas conscientias, per veram pœnitentiam, tanquam pharmacum animæ, à morbis peccatorum liberandas. Primum enim omnes Christiani de eo consentiunt, veram Pœnitentiam peccatorum esse eiusmodi serium ac vehementem dolorem de peccato, quo homo Deum Patrem suum cœlestem offendit, vt qui in tali vera & Christiana pœnitentia est, gratiam & remissionem suorum peccatorum supplex petat in S. cœtibus Christi, & aliàs, strenua humiliatione, oppressione, & mortificatione veteris Adami, cum omnibus affectibus & concupiscentiis suis: & imprimis eorum membrorum, per quæ homo peculiariter ad peccandum impulsus est: assiduo item exercitio omnium bonorum operum, quibus talis pœnitens conatur semetipsum rursus ad omnem obedientiam Dei præsentare, & iuxta omnem voluntatem eius vitam instituere, denique vbicunque peccatis suis nomen Dei prophanauit, hominésque offendit, sedulitate & assiduitate sua in omnibus bonis operibus gloriam Dei rursus augere, & homines ædificare.

Secundò, De hoc quoque Christiani consentiunt, Neminem ad eiusmodi veram ac Christianam pœnitentiam peccatorum peruenire posse, nisi per viuam & efficacem agnitionem peccatorum, ac seueritatis iudicij diuini.

Tertiò, constat etiam, pauciſſimos huiusmodi viuam & efficacem peccatorum suorum cognitionem habere: eorúmque grauitatem, & seueritatem iudicij diuini ita diligenter perpendere.

Quartò, manifestum est, Presbyteros propterea ordinatos esse, vt Euangelium, quod à pœnitentia initium sumit, non solum in genere omnibus hominibus, sed etiam priuatim singulis prædicent, & quantum in ipsis est, diligentissimè inculcent.

Quintò, non est dubium, Sacerdotes posse tantò efficacius ac fructuosius prædicationem pœnitentiæ annunciare & inculcare, quantò melius singulorum infirmitates & ægritudines, quibus videlicet morbis, vnusquisque peculiariter affectus sit, nouerunt.

Sextò, Patet exercitia pœnitentiæ esse, seipsum coram Deo & hominibus accusare: peccata sua ex animo confiteri, amplificare, ac deuotissima

ma mente gratiam & misericordiam Dei implorare: in Ecclesia & alias indesinenter orare, alias etiam, vt vna nobiscum Deum inuocare velint, rogare, ieiunare, vigilare, corporales labores subire: carnis recreationem ac voluptates refugere: in omnibus actionibus externis abiectissimè & humillimè se gerere: sedulo seriòque in congregationibus Dei comparere: verbum eius diligenter legere & audire: in S. cœtibus & alias libenter se religiosis ac deuotis hominibus adiungere, à mundanis verò & hominibus & negotiis, quantum quidem id patitur dilectio proximi, subducere: ægrotos, afflictos, ac pauperes libenter inuisere, eisque inseruire: liberaliter eleemosynam erogare: denique omnis generis officia, ad pietatis profectum conducentia, cuiusmodi sunt, dissidentes ac sibi mutuò infensos reconciliare: docere rudes: excitare desides: monere peccantes: consolari afflictos ex omnibus hominibus summa cum diligentia præstare & exhibere.

Septima, facilè quiuis cognoscere potest, quod sicut opera ista Pœnitentiæ diuersa sunt, ita nec singula singulis ad remedium peccatorum, hoc est, pœnitentiam peccatorum acuendam, & zelum semetipsum emendandi accendendum & corroborandum multùm conferre. Quibusdam enim multum ieiunare, laborare, vigilare, ad hunc finem plurimum conducit: aliis legere S. scripturam, audire verbum Dei, precibúsque se exercere: aliis afflictos & egenos frequenter inuisere, aliis denique, religiosis hominibus se associare, à quibus erudiri & ædificari possint.

Quod cùm ita sit, perspicuum est, multis quàm maximè prodesse, vt eruditi Animarum Medici, quò ad hęc pœnitentię exercitia, fideliter ipsis consulant, in quibus vt se peculiariter exerceant, vtilissimum illis esse existiment.

Octauò & postremò, quoniam Deus talem pœnitentiam requirit, per quam homines se à peccatis ad ipsum penitus conuertant, ac nonnullis sat diu laborandum est, priusquam queant animam à damnatis cupiditatibus peccandi auellere, veráque & plena pœnitentia peccatorum ad Dominum conuertere: multi etiam sint, qui de pœnitentia & conuersione sui ad Deum sibi persuadeant, cùm tamen adhuc in peccatis, in malis, & inordinatis affectibus, propositóque peccandi, hęreant, plærisque rursus necessarium est, vt hac in re Medici animarum iudicio ac consilio vtantur, seséque de vera pœnitentia rectè instrui sinant.

Quoniam igitur omnibus temporibus admodum exiguus numerus est eorum, qui sua peccata sufficienter agnoscunt & deplorant, propterea quod Deum ac Seruatorem nostrum Iesum Christum non rectè agnoscũt, nec legi & Euãgelio eius firmiter credũt. Multi etiã non satis norũt, quomodo debeãt seipsos ad eiusmodi verã pœnitẽtiã promouere, quídq. eis ad eã quã maximè vel prodesse vel obesse possit, etiã quando veram habeant peccatorum pœnitentiam, vel solam eius imaginem: iis quoque quibus Ministerium Curæ animarum iniunctum

est, omninò competit, vt summam diligentiam adhibeant, omnémque moueant lapidem, vt tam priuatis appellationibus, quàm publicis exhortationibus, homines ad veram pœnitentiam, seriúmque de peccatis dolorem permoueant & impellant: certúmque sit, animos hominum sæpenumero priuatis alloquiis facilius commoueri posse, quàm publicis concionibus & doctrinis, his de caussis veteres S. Patres, fideles & eruditi animarum Curatores, semper agnouerunt, secretam confessionem peccatorum, quæ verè peritis ac fidelibus Animarum Medicis fieri solet, vtilissimum maximéque salutiferum opus esse, & inter fideles diligenter proponendum.

Huc respexerunt S. Patres, qui ad Secretam confessionem tam diligẽter hortantur. Nihilominus tamen, quoniam neque Dominus, neque Apostoli eam ordinarunt aut præceperunt, eáque cum fructu nemo vti potest, nisi qui amicis admonitionibus, fidelibúsque suasionibus ad eam inuitatur: & prẽter ipsam diuersæ rationes ac viæ sunt, homines de peccatis suis commonefaciendi, & ad veram pœnitentiam adhortandi, hinc est quod nulli Patrum hoc opus tanquam necessarium requisierunt, sed liberum reliquerunt, & tantummodo fideliter homines adhortati sunt, & quilibet eorum tanto vel magis vel minus, quanto maiorem vel minorem eius fructum & vtilitatem expertus est.

Cùm enim numerus Christianorum creuisset, tantóque impurior factus esset, quinetiam hoc opere nonnulli ad scandalum abuterentur, in Ecclesia Constantinopolitana vt supra diximus, prætermissum est: & doctrina, commonefactio, & ad pœnitentiam adhortatio, in publicis concionibus, aliísque priuatis alloquiis & cohortationibus collocata fuit.

Et hoc D. Chrysostomus, prout tum tẽporis res in Ecclesia sua comparatæ erant, vtilius ad ædificationem iudicauit. Priuata enim & secreta confessio, in qua conscientiæ grauamina patefacienda, & interiores animi morbi reuelandi sunt, eiusmodi opus est, quod nunc semper omnibus hominibus ad veram pœnitentiam prouocandum confert. Adhæc talium Confessionariorum pauciſsimus est numerus, quibus eiusmodi confessio cum fructu fieri possit, & qui tanquam prudentes Animarum Medici afflictis conscientiis salutaria consilia dare queant. Hæc impedimenta sine dubio D. Chrysostomo obstiterunt, quo minus ad priuatam secretámque confessionem, vt ad alia bona opera, hortatus sit. Videbat quod populo suo, de cuius socordia & vitiis admodum seriò conqueritur, publicis tantùm concionibus, ac priuatis admonitionibus, quæ rationibus & viis à Domino ipso prẽmonstratis, ad eum fieri possent, subueniri oporteret. Antiqua enim ac seria pœnitentialis disciplina Ecclesiæ iamdudum per multitudinem ineptorum hominum plurimùm debilitata & labefactata erat.

Porrò quod Leo Papa scripsit, multum vtile & necessarium esse, vt peccatorum reatus antè vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur, in eo (necessarium) latius extendi non potest, quàm cùm

quis

quis ab Ecclesia ligatus est, eiúsque solutionem facilè impetrare potest. Qui enim ab Ecclesia ligatus est, hoc est, excommunicatus non est, aut ad satisfactionem, hoc est, pœnitentiæ declarationem adstrictus, is in communione est Domini nostri Iesu Christi, eáque potest frui ad vitam æternam, si ex vera fide, veráque pœnitentia peccatorum, Dominum pro remissione inuocat. Omnibus enim temporibus verum esse oportet, quod quicunque in Christum credit, & per eum peccatorum veniam petit, habeat remissionem eorum, & vitam æternam.

Quoniam verò nobis considerandum fuit, quomodo subditi nostri longo iam tempore salutari doctrina Euangelij destituti fuerint, atque idcirco in nimis grauem peccatorum ignorationem, sicut & redemptionis factæ per Dominum nostrum Iesum Christum, & omnium mysteriorum Christianæ religionis prolapsus sit, adeò vt meritò non per publicas tantùm conciones, aliá que in S. literis ordinatas compellandi rationes, verumetiam per hoc medium Secretę Confessionis, præsertim cùm ea adhuc in vsu versetur, tentandum sit, homines ad viuam & efficacem peccatorum suorum agnitionem, pœnitentiam, atque omnem pietatem permouere, his de caussis non iniuria constituimus, ne quis ad S. Cœnam admittatur, nisi priuatam absolutionem, cum conuenienti peccatorum suorum confessione prius petierit & impetrauerit.

Quæ ordinatio nemini Christiano molesta esse potest. Nam & alias nemo ad S. Cœnam admitti debet, nisi qui in omnem obedientiam Euangelij, & omnem ædificantem ordinationem sponte se tradit, & ad omnem Christianam doctrinam & instructionem voluntarium se, & auidum demonstrat.

Quare timendum non est, ne ordinatio ista, quenquam à S. Cœna absterreat, qui alioquin ad eam idoneus esse potest. Impossibilis enim ista, & ad ædificationem inutilis peccatorum enumeratio à nemine exigitur: tantummodo amicè admonendi sunt homines, vt ea peccata & morbos, de quibus maximè consilio & solatio egent, detegere non detrectent. Adhæc familiarissimè catechizandi sunt, hoc est, de fide sua interrogandi, erudiendi & confirmandi. Quę sanè adeo salutaria beneficia, propriáque animarum curæ officia ac ministeria sunt, vt ea quilibet Christianus non nisi summa cum gratiarum actione suscipere debeat, ad eáque summa cum alacritate & auiditate mentis se conferre. In hoc consistit ordinatio nostra de S. Confessione.

Ordinatio Concilij Lateranensis, vt vnusquisque fidelium saltem in anno semel suum proprium Sacerdotem adeat, eíque omnia peccata sua, quorum reatu constringitur confiteatur, necesse est, vt vel de iis tantùm peccatis intelligatur, per quorum priuatam detectionem, & enumerationem Confitens tantò melius ad emendationem erudiri, & ędificari possit: vel quò ad reliqua attinet, de confessione, quæ publicè fit, sine particulari singulorum peccatorum enumeratione. Alioquin enim ordinatio ista nec vtilis esset, nec possibilis. Nemini enim possibile est, omnia & singula peccata sua specialiter enumerare: neque omni-

bus ad ædificationem prodest, omnia peccata omni tempore particulariter recensere : id quod piis, & qui veræ conscientiarum medicinæ scientiam habent, apertissimum est.

Nunc deinceps respondendum est ad prȩcipuum argumentum Aduersariorum eorúmque accusationi, quam contra Librum Reformationis instituunt, occurrendum.

Defensio Libri Reformationis, & Responsio ad argumenta & reprehensiones Aduersariorum.

De certificatione Remissionis peccatorum.

De enumeratione peccatorum.

Cap. CXI.

PRIMVM omnium carpunt Aduersarij Librum in eo, quod nolit quenquam ad peccatorum enumerationem obligari, cùm tamen Catholicus Ecclesiæ intellectus sit ac sensus, quod ligatio & solutio, de qua mandauit Dominus. Mat. 16. & 18. & Ioan. 20. Aliter fieri non possit, quàm si hi, qui post Baptismum sunt in grauiora peccata prolapsi, delicta sua prius distinctè Sacerdoti confiteantur, & ab eo tanquam iudice iudicium : & tanquam medico medicinam accipiant, imò & sensum communem id agnoscere, quod nemo retinere, ligare, aut soluere queat, id cuius nullam habet cognitionem.

Responsio.

SVperius ostensum est, veteres S. Patres peccatorum enumerationem nunquam requisiuisse, neque requirendam agnouisse. Quare non modò præter veritatem, sed etiam præter omnem veritatis speciem ab Aduersariis adfirmatur. Catholicum esse Ecclesię sensum, quod ligandi & absoluendi ministerium, Ecclesię suæ à Domino commendatum, alia ratione expediri nequeat, quam si peccator peccata sua distinctè confiteatur.

Primùm enim constat, quod etiam illis qui baptizantur, peccata remittuntur: qui verò baptizari renuunt, retinentur. Post Baptismum verò eorum retinentur peccata, & tum ad temporale, tum ad æternum supplicium ligantur, qui peccata sua neque confiteri, neque pœnitentiam eorum agere volunt.

Quapropter in doctrina Aduersariorum prima hæc falsitas est, quod asserunt, iuxta mandatum Domini nullius peccata remitti vel retineri posse, nisi post Baptismum, & cùm ea distinctè Sacerdoti fatentur. Quod ad soluendum pertinet, Verùm quidem est, Ministros Christi neminẽ soluere posse, liberúmque à peccatis pronunciare, nisi peccata sua confiteatur, & emendationem promittat. Quod autem propterea distinctè

peccata

peccata patefacere & recenſere oporteat, id nec veteres vnquam docuerunt, nec ſenſus communis ſuggerit.

Certum eſt, neminem poſſe de quacunque re rectè iudicare, niſi eam cognoſcat: nec ſalutaria infirmo medicamenta miniſtrare, cuius ægritudinem non benè perſpectam habet: neque quenquam ſoluere, niſi ſciat, quo modo & quonam implicatus & irretitus ſit.

Conſiderandum autem hoc quoque eſt, quoſnam & propter qualia peccata iudicandi poteſtatem Sacerdotes habeant: item quæ ſint remedia, quæ adhibent peccatoribus, quid denique illorum ligare & ſoluere, cuius miniſterium vnicus Dominus noſter Ieſus Chriſtus illis iniunxit.

Iudicandi munus, Sacerdotibus in peccatores demandatum eſt, vt eos, quos in peccatis deprehenderunt, ad Pœnitentiam vel Excommunicationem adiudicent, quos verò in vera pœnitentia, & emendatione vitę, in gratiam & communionem Ieſu Chriſti recipiant. Prius ſanè iudicium facilè exequi poſſunt, cùm peccatores in manifeſtis peccatis deprehenſi ſunt, vel perfidè dignos teſtes de illis conuicti, etiamſi ipſi per ſe nolint ea vel agnoſcere, vel peccatori confiteri. Sic & alterum quoque Abſolutionis ſcilicet & reconciliationis expedire queunt, quando peccatores in genere tantùm, non diſtinctè ſua peccata patefaciunt & enumerant.

Quicunque enim veram peccatorum ſuorum pœnitentiam, ſolidámque fidem in Chriſtum Dominum declarat, realiter & opere emendationem aggrediendo, ac legitimos fructus pœnitentiæ edendo; illum debent fideles miniſtri Chriſti à peccatis & pœnitentiæ vinculis liberare, & rurſus ad communionem Chriſti admittere: nec poteſtatem habent illi hoc iudicium gratiæ denegandi, etiamſi peccata ſua diſtinctè confeſſus non ſit, vel ſingula enumerarit. Id enim ab hominibus exigendi nullum à Domino mandatum habent.

In ciuilibus rebus poteſt iudex aliquem ad pœnitentiam & ſatisfactionem condemnare & adiudicare, qui vicini ſui agro damnum aliquod intulit, aut quippiam ex eo alienauit, ſi tantummodo de rimenti facti ſummam norit: etiamſi non particulariter ſciat, quoties agrum vicini inuaſerit, fructúſque eius abſtulerit. Sic etiam eundem rurſus abſoluere poteſt, poſteaquam illi, cui damnum intulit, ſatisfecerit: etiamſi non recenſeat Iudici, quando quoties in agrum vicinum impetum fecerit, cúmque vaſtarit.

Conſimili ratione omnis Sacerdotum medicina in fideli catechiſatione conſiſtit, hoc eſt, inſtitutione & eruditione ad veram fidem in Chriſtum, ad ſerium dolorem de peccatis, ad efficacem vitæ emendationem, denique ad ſedulam mortificationem peccati. Quæ medicina etiamſi commodius exerceri poſſit, ſiue ad veram pœnitentiam in animis hominum excitandam, ſiue ad conſolandum de gratia & miſericordia Dei, ſiue conſulendum, quomodo deinceps peccata fugienda, & extirpanda ſint, neceſſarium tamen

non est, singula peccata enumerare, sed ea tantùm, de quibus peculiari consilio, exactiori cognitione, & ampliori solatio opus est, & ex quibus sacerdos melius cognoscere potest, quibus morbis homo præcipuè laboret.

Quemadmodum corporalis Medicus, catharrum, vel alium quendam pernicioſum morbum ex humano corpore expellere volens, non opus habet exactè scire, quot guttæ singulis momentis fluant: sed tantummodo, vnde catharrus primùm ortus sit, quò discedere soleat, quò denique pharmaco auerti & exiccari possit: Sic etiam spiritualis Medicus, sciens quibus morbis homo affectus sit, vt sunt, insita à natura ignoratio, diffidentia & contemptus Dei, innata superbia & fastus, auaritia, iracundia, odium, immodestia, intemperantia, & id genus alij: item qui firmiter adhuc radicati sint: tunc pro ratione ęgritudinis spiritualem medelam adhibere potest, etiamsi non singulæ prauæ cogitationes, dicta aut facta recensentur.

Eadem ratio ligandi & soluendi. Ligare est vel ad ædificantem Pœnitentiam, vel ad iram iudiciúmque Dei adstringere. Id verò in eos homines quadrat, qui verbum Domini audire penitus respuũt. Verùm neque ad hoc peccatorum enumeratione opus est. Ligare ad ædificantem pœnitentiam, non ampliori indiget peccatorum cognitione, quàm spirituali medicina pœnitentiæ, de qua iam dictum est.

Soluere quoque duplex est: soluuntur enim homines vel à peccatis, vel ab impositæ pœnitentiæ vinculo. Soluere à peccatis, est de gratia & misericordia Dei per Christum Dominum nostrum consolari, & ad communionem Christi rursus admittere. Quod sanè magis requirit scientiam veræ pœnitentiæ, & viuæ fidei in Christum, quam quoties, & quomodo homo peccauerit. Ampliorem cognitionem neque solutio à vinculis iniunctæ pœnitentiæ postulat. Etiamsi enim generalis tantùm confessio peccatorum fit, nihilominus tamen facilè videt prudens Sacerdos, quomodo homo ligatus sit à Domino nostro, & Ecclesia eius.

Grauissimum omnium peccatorum vinculum est Infidelitas, cõtemptuſque Diuinæ Maiestatis. Reliqui peccatorum laquei sunt alij mali morbi, & prauæ inclinationes ad peccandum, quæ facilè ab omnibus cognosci possunt, sine peculiari enumeratione omnium prauorum dictorum & factorum. Qui catena aliquem vel laqueo soluere vult, non necesse habet scire, quot catena circulos, vel laqueus torturas seu plicas habeat: sed tantummodo, quomodo catena vel laqueus soluendus sit. Eadem omnino ratio est spiritualis solutionis. Quando incredulitas, & cupiditas peccandi solui potest, vt vera pœnitentia & fides sequatur, tunc sufficiens habetur peccatorum cognitio, & satis apparet, quomodo etiam vinculum iudicij diuini, & Ecclesiæ solui oporteat.

Sic igitur constat, Enumerationem peccatorum, neque ex S. Scri-

Scriptura, neque ex S. Patribus, neque ex sensu communi confirmari posse.

Notandum quoque diligenter est in his verbis Domini, Quicquid ligaueritis in terra, ligatum erit in cœlo, & quicquid solueritis in terra, solutum erit in cœlo. Item, Quibuscũque remiseritis peccata, iis remissa sunt: & quibus retinueritis, iis retenta sunt, quod Dominus non dicit, Nemini peccatũ imputari vel remitti: nemini pœnitentia ac pœna iniungi, vel ab eodem remoueri debet, nisi per vos, vestrúmque ligandi & soluendi ministerium. Quem vos non ligaueritis, is ligatus nõ erit, quem non solueritis, solutus non erit. Sed simpliciter dicit, quicquid ligaueritis, hoc est, quemcũque excommunicabitis, eique iram & indignationem meam denuntiabitis: vel, Cuicunque ędificãtem pœnitentiam iniungetis, intellige iuxta verbum meum, id totũ in cœlo firmum ratúmque erit. Sic cui remiseritis peccata, vinculúmque pœnitentiæ solueritis, ei in cœlo quoque remissum erit, siquidem hæc omnia iuxta verbum meum administraueritis.

Plurimos enim Dominus ligat & soluit, plurimos peccato & pœnæ adiudicat, & eisdem peccata cum merita pœna remittit, vbi ministeriũ Ecclesiæ nihil penitus agit. Et si quis ordinationem Domini, Mat. 18. penitius introspexerit, is liquidò deprehendet, Ecclesiam habere potestatem eos tantummodo ligando, quorum peccata ei nota & manifesta sunt. De occultis non iudicat Ecclesia. Hunc esse ordinem ligandi ad pœnitentiam vel is testimonio esse potest, quem Ecclesia Corinthi ligabat, 1. Cor. 5. Porrò quod deuoti homines in secreta confessione seipsos produnt, ligandósque ad pœnitentiam vltrò offerunt, id à Cypriano commendatur, & ad hoc admonet, neminem verò adstringit, aut cogit.

Ad hæc iam antea diximus, ligandi & soluendi ministerium non requirere distinctam peccatorum enumerationem. Leo Papa scribens ad Theodorum Foroiulienſem Episcopum veram docet Christianæ Absolutionis administrationem, ac testatur, eam in morte quoque communicandam esse, etiam iis, qui eam nõ amplius verbis petere possunt, sed tantum signis, imò etiam iis, quorum nomine amici illorum eam petunt, cum attestatione, quod morientes ipsam iam ante desideraverint. Iã si talis per eiusmodi Absolutionẽ ab omnibus & peccatorum & pœnitentiæ vinculis verè soluuntur, qui peccatorum suorũ ne minimũ quidem recensere possunt, constat, sermonem esse plus quàm inanem & nugacem, quod in Ecclesia Christi nemo ligari aut solui possit, nisi prius peccata sua distinctè confessus fuerit, & enumerarit.

Hactenus ad primam reprehensionem Aduersariorum, de secreta confessione.

Alterum quod Aduersarij in hoc Articulo suggillant, & apertè calumnia deprauant, est quod liber Reformationis docet, Peccatorem non esse relinquendum in dubio, sed ei remissionem peccatorum, in nomine & ex mandato Christi Domini nostri annunciandam. Quam doctrinam Liber tantummodo de peccatore veram pœnitentiã agẽte

intelligit. Quare continuò his verbis subiungit, Quam absolutionem accipere hi debent, & amplecti, vt certam vocem Euangelij & credere se non dignitate huius operis, sed propter Christum consequi remissionem peccatorum.

Id ita peruertunt Aduersarij. Hanc doctrinam Libri, Peccatorem nõ esse relinquendum in vlla dubitatione, ita intelligendã esse, quod peccatori generaliter tantum peccata confitenti, annunciari continuo debeat certa remissio peccatorum perinde ac si absolutionis potestas nõ in Sacerdote, sed in peccatore, qui generaliter tantum fatetur se peccasse, præcipuè consistat: vt debeat nolit velit Sacerdos eiusmodi peccatorem absoluere, caussa licet inaudita. Et adiiciunt. Verùm hoc quid cæcius esse queat? cùm Christus Dominus potestatem ligandi & soluẽdi dederit Sacerdotibus, & antiqui Patres, inprimis verò Cyprianus, doceant, Absolutionem nemini facilè communicandam esse, nec debere homines eam præsumptuosè sibi vendicare.

Animaduerte, Christiane Lector, quàm impiè, quàm impudenter Christianissimam Archiepiscopi sui doctrinam peruertant.

Verùm sic se rei veritas habet. Primùm, Peccatorem quem verè peccatorum suorum pœnitet (de quo peccatorum genere Liber expresiè loquitur) in dubitatione de gratia & misericordia Dei non esse relinquendũ, necessariam esse & Christianam doctrinam, quilibet Christianus agnoscit. Nam qui & de gratia Dei dubitat, is nunquam illius particeps fieri potest, quandiu in ea dubitatione persistit. Vnde etiam D. Ambrosius de Pœnitentia Lib. 1. cap. 1. Nemo, inquit, potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.

At vbi spes est, & spes cum pietate coniuncta, ibi nullus relinquitur hæsitationi locus. Præter hæc omnia clarum extat Domini verbum, in quo præcipit, vt fratri peccata dimittantur, quotiescunque venit, & dicit se dolere de peccatis & offensis suis, idque faciendum esse non modo septies, sed septuagies septies, hoc est, quotiescunque vera pœnitentia remissionem petit. Matth. 18. & Luc. 17.

Quod verò S. Martyr Cyprianus tam seueriter scribit contra eos Episcopos, qui his, qui Christum Dominum in persecutione negauerant, absolutionem continuò impertiebant, eósque ad mensam Domini admittebant, sine præcedente seria pœnitentia, dicens, Deum non continuò misereri eorum, qui ipsum abnegassent, sed seriò ac longo tempore veniam rogandam esse ab ipso, diem in luctu transigendum, noctem vigiliis ac fletu consumendam, &c. id neque ipse, neque alius quisquam in Ecclesia Dei ita intellexit, quasi propter verè pœnitentes non sint in spem gratiæ ac misericordiæ diuinæ erigendi, sed in dubio relinquendi. Etenim S. iste Martyr ipse nouit, nec non in Concilio suo decreuit, etiam eos, qui Christum publicè abnegassent, non permittendos esse, vt sine absolutione ex hac vita discedant, si eam pœnitentia ac confessione sui peccati petant, etiamsi nondum, quemadmodum decet, satisfecerint. Vide Epistolam, 2. lib. 1.

Verùm

Verùm contra hoc scripsit D. Cyprianus, quod quidam eiusmodi abnegatores illicò ad mensam Domini admittebant, eisque gratiam & remissionem promittebant, antequam abnegationis suę veram pœnitentiam demonstrassent, ac publicè pro ea satisfeciſſent. Deus, inquit, non continuò miseretur eorum, qui ipsum abnegauerunt, sed vult seriò & longo tempore rogari. Quod non aliter intellexit, quam Deum requirere seriam pœnitentiam, quæ semper seriam quoque & perseuerantem veniæ petitionem generat, & sustentat.

Sanctus Petrus supra abnegatione sua amarè fleuit, idque, quemadmodum scripto proditum est, per omnem vitam suam. Non autem propterea dubitauit de gratia & misericordia Dei, sed firmam habuit in eo fiduciam, quod & hoc, & reliqua omnia peccata sua, per dilectum filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum plenè remisisset. Nihilominus tamen quotiescunque fœditatem peccati sui inspexit & considerauit (aliter enim agnoscere non potuit, quàm quod per illud iram Dei & indignationem eius, supplicium-que æternum promeruisset) continuò sequebatur fletus & planctus, venięque petitio, vnà cum aliis omnibus exercitiis verę pœnitentiæ: quæ apud ipsum tanto magis seria & frequentia fuerunt, quanto firmiorem de clementia Dei spem fiduciámque conceperat. Ex hac enim fiducia misericordia Dei proueniebat, vt magis Deum amaret, quantò verò feruentior erat in ipso amor Dei, tantò acrior erat etiam pœnitentia, acerbiorque dolor de peccatis suis, quoties ei in mentem veniebat sceleris & abnegationis suæ. Sic vera pœnitentię exercitia iuxta firmam fiduciam misericordiæ diuinæ, & remissionis peccatorum benè possunt consistere: imò vbi eiusmodi fiducia non est, ibi nec fidelis pœnitentia locum habet.

Quamobrem nullus peccator, quem ad Christianam pœnitentiam cupimus perducere, in dubio de misericordia Dei relinqui debet, sed continuò de gratia ac remissione peccatorum per Christum Dominum nostrum consolandus est, certiórque reddendus, idque cum seria attestatione veræ pœnitentiæ peccatorum, & conuersionis ad Deum, quemadmodum ipse in Propheta Ioële eam describit, nempe *vt homines ad eum se conuertant ex toto corde, gemitu & planctu*, &c.

Ex quo loco D. Cyprianus probat, quod Ecclesia merito eiusmodi serium studium agendi pœnitentiam requirat ab his, qui in grauiora peccata sunt prolapsi. Eiusmodi studium & humiliatio carnis, anxia item ac perseuerans supplicatio ad Deum, vera est peccatorum medela, qui fides in Deum, & zelus ad cunctam eius voluntatem, ac placitum viuendi, confirmatur, & pernitiosi morbi, prauæque concupiscentiæ opprimuntur & mortificantur.

Eiusmodi ardentem ac seriam pœnitentiam dignetur Deus in Ecclesia sua rursus excitare. Aduersarij verbis quidem splen-

didis super hoc negocio disputant, veteresque S. Patres magnificè citant, qui de isto Christianę pœnitentię ardore, bono animo ac pio zelo scripserunt, sicut etiam reipsa eam exercebant, idque non aliter faciunt, ac si etiam ipsi nonnihil de ea residui in suis Ecclesiis habeant. Liber verò Reformationis ipsam penitus abrogatam & antiquatam velit. Cùm tamen eam in veritate restituere tentet. Audentque aperta falsitate scribere, quod liber doceat, Sacerdotes debere, velint nolint, statim post generalem Confessionem peccatorem absoluere, caussa licet inaudita.

Cùm tamen Liber Reformationis expressè doceat, Sacerdotem diligenter debere cognoscere, vtrum confitentes veram habeant pœnitentiam peccatorum, seriúmque propositum seipsos emendandi, ne margaritæ obiiciantur porcis. Item requirit, vt confitentes diligenter de fide, & cognitione legis diuinæ examinent & instituant, atque ita ad veram peccatorum agnitionem perducant. Requirant etiam, vt omnia scandala priùs data, tollant, & cum omnibus his, quos offenderunt, in gratiam redeant. Item si crimen aliquod manifestum sit, vt quis alienam mulierem apud se foueat, aut palam cum aliqua consuetudinem illegitimam habeat: aut manifestam cum aliquo exerceat inimicitiam, vel detineat manifesto alicui res suas: Si quid huiusmodi manifesti offendiculi existat, talibus absolutionem differant, donec scandalum palàm remotum sit. Denique vt pœnitentes admoneant, quò omnes peccatorum occasiones studiosè vitent, & maxima animi contentione, contra prauas cupiditates, & incitamenta peccatorum pugnent, assiduóque opem Dei implorent.

Hæc omnia in Libro Reformationis disertis verbis præscribuntur. Estne igitur hoc docere, quod Sacerdotes velint, nolint, debeant peccatorem generaliter tantum confitentem absoluere, caussa licet inaudita? Vel, vt vlterius calumniantur, vt statim generaliter confessus se esse peccatorem, polliceatur sibi absque omni præcedente Satisfactione remissionem peccatorum? Quæ magis temeraria & procax contra Archiepiscopum ac Patrem suum calumnia dici aut excogitari potest?

Porrò quod calumniari pergentes, dicunt, Librum hac de re ita differere, ac si absolutionis potestas non in Sacerdote, sed in peccatore percipuè consistat, facilè vides, Christiane Lector, quoniam necessariam & Christianam Libri doctrinam peruertant. Certum enim est, neminem posse absolutionis fieri participem, nisi propria fide eam apprehendat. Alioquin nullibi dicit Liber, potestatem absoluendi non penes Sacerdotem, sed penes peccatorem esse: Sed expressè dicit, quod Sacerdos absolutionem nemini communicare debeat, nisi quos in verè fideli pœnitentia peccatorum, firmóque proposito seipsos emendandi deprehenderit.

Vtinam

Vtinam Aduersarij,&omnes eorum sectatores semel considerarent, ad quã frustraneas,inanes,penitúsque ludicras confessiones, homines absoluant,&remissionẽ peccatorũ polliceantur,in quorũ tamẽ mentibus neque pœnitentiã,neque fidem in Christo inesse certissimè sciũt, ac quasi manibus palpant.Quemuis enim obuium ad simplicem confessionis recitationem, continuò absoluunt, non curantes, vtrum in manifesta fornicatione,Simonia, aliisque grauioribus peccatis & flagitiis hæreat, quemadmodum maior pars confessionariorum, vulgóque dictis Sacerdotibus confidentium hæret, quod, proh dolor! luce meridiana clarius est. Qualis enim obsecro pœnitentia & satisfactio est,quam hominibus iniungunt? Aliquot Pater noster ad certum numerum recitare,Missas fundere,peregrinationes instituere,&id genus alia. A quibus verò peccatoribus exposcunt realem offendiculorum sublationem,vt liber facit?Hinc rursus vides,Christiane Lector, nihil aliud in libro Refor.hominibus istis esse molestum,quàm quod in locum ementitæ ac falsę Religionis & pietatis,veram religionem,&pietatem,introducere conatur.

Vix & efficacia veræ Pœnitentiæ in eo consistit,vt homines peccata sua, ex intimo cordis affectu agnoscant & deplorent, veniam eorum per Christum Dominum nostrum vera ac solida fide petant,& apprehendant,quæ postea in omnem peccati mortificationem &extirpationem,& absolutam vitæ emendationem erumpat.

At vbi Aduersarij talem Pœnitentiam vel docent vel vrgent?De hoc tantummodo pugnant,vt suum quilibet Parochum conueniat, eique quicquid vnquam mali cogitauit,dixit aut fecit,enumeret,& quicquid sibi pœnitentiæ loco iniunxerit,exequatur. Id quod omnino non est illud Pœnitere,Confiteri,& satisfacere, quod Dominus & omnes antiqui Patres requirunt.His enim confiteri nihil aliud est,quàm ex animo agnoscere & fateri,quod omnibus diebus vitæ suæ, malè & contra voluntatem Dei operatus sis,& propterea tam temporale quàm æternum supplicium & condemnationem promerueris, cum seria gratiæ ac remissionis petitione, firmóque emendationis proposito.Hoc confiteri peccata in Scripturis,& apud S.Patres significat.Ad eundem modum vera satisfactio,quam S.Literæ & antiqui Patres docent, est semetipsum in iis operibus exercere,per quæ fides confirmatur, & cupiditas peccandi mortificetur. Eiusmodi Confessionem & satisfactionem dignetur Dominus nobis restituere. Amen. Hactenus de Confessione secreta.

Tertia pars.
De Satisfactione.
Cap. CXII.

IN hoc Articulo controuersi m mouent Aduersarij, vbi nulla esse posset, posteaquam illi ipsi fatentur, Satisfactionem per quam & culpa deleatur, & pœna auferatur æterna, quin & temporalia supplicia vel tollantur, vel mitigentur, esse solum meritum Domini nostri Iesu Christi. Item quod Canonicæ satisfactiones (quas tamen penitus in suis Ecclesiis obsolescere permiserunt) sint ea bona opera, quæ ad fidem corroborandam, pœnitentiam & dolorem de peccatis acuendum, & emendationem efficacius prouehendam pertinent. Quæ opera quãdo Dominus propitius respicit, vulneráque & liuores peccatorum per ea in nobis sanat, temporales item pœnas tollit & mitigat, id fieri ex gratuita eius misericordia, & propter meritum dilecti Filij sui, Domini nostri Iesu Christi. Denique quod sublatio vel saltem mitigatio flagellorum huius seculi penitus consistat in iudicio Domini, non Sacerdotis, qui Canonicam satisfactionem imponit.

Sanè posteaquam Aduersarij veritatem tam abundè confitentur, & tamen Canonicam satisfactionem nemini iniungunt, aut in vsu habent, æquum fuerat, vt suam controuersiam & reprehensionem libri Reformat. quò ad hanc materiam intermitterent. Verùm ne cui dum Patres tã magnificè citant, tenebræ offundantur, & aliqua suboriatur suspicio: quasi Aduersarij de Christiana qua ã satisfactione cõtendant, quã liber Reform repudiet & recipere nolit; primũ omniũ probè cõsiderãdũ venit, quid Canonica satisfactio sit, & significet. Aduersarij n. nihil aliud quã splẽdidis nominib⁹ & vocabulis ludũt, atq; hominũ oculos perstringere conãtur, cũ interim res ipsas nemo magis quã ipsi refugiat.

Suprà in Articulo de satisfactione indicatũ est, antiquiores Ecclesię Doctores vocabula satisfacere & satisfactionẽ, quemadmodũ natura & proprietas latinę linguę postulat, vsurpasse pro Recõciliare, & rursus ad voluntatẽ ac placitũ eius se sistere, quẽ quis offendit. Nõ autẽ pro Persoluere, aut Cõpensare id quod antea offensũ, aut malè factũ est. Et quoniam cũ Deo nõ aliter redimus in gratiã, nec alio modo ad volũtatẽ ac placitũ eius rursus nos sistere possumus, posteaquã peccatis nostris ipsum irritauimus, quã per verã pœnitẽtiã & Confessionẽ peccatorũ, gratiæq; & misericordiæ per Dominũ nostrũ Iesum Christũ imploratione, ideò scribit D. Cyprianus Sermone de Lapsis, quod tres viri Dei, Ananias Azarias & Misael, quos Babylonię Rex in caminũ ignis coniecerit, propterea quod imaginẽ & statuã suã adorare recusarẽt, nõ cessarint Domino satisfacere: vbi per satisfacere intelligit, eorũ Cõfessionẽ ac preces, quas in fornace ignea fũdebãt. Cõsimili modò Danielis quoq; orationẽ & cõfessionẽ, quã pro populo faciebat, appellat, Dan. 9.

Et qui D. Cyprianum in his & aliis locis, in quibus verba satisfacere, & satisfactionem vsurpat, penitius introspexerit, fateri cogetur, satisfactionem apud eum nihil aliud significare, quàm

humilem & realem peccatorum confessionem, factam & verbis & tota vita, cum maxima supplicatione ac petitione veniæ, seriáque demonstratione veræ pœnitentiæ de peccatis admissis, firmíque denique proposíti emendandi, idque summa humiliatione sui ipsius, in luctu, gemitu, & planctu, in conuersatione atque ornatu, in diligentibus obsequiis erga proximum, imprimis verò egenos, cum liberali eleemosyna, & omnibus bonis operibus. Hanc nominat Cyprianus ἐξομολόγησιν & Satisfactionem, sicut etiam Tertullianus, cuius verba paulò ante adscripsimus.

Eiusmodi ἐξομολόγησιν & Satisfactionem Antiqui Patres illi solummodo iunxerunt, qui in talia scelera prolapsi erant, quæ vim habent à regno Domini nostri Iesu Christi excludendi: quorum meminit Paulus 1. Cor. 3. & 6. Item ad Gal. 5. Eph. 5. Hoc testatur D. Augustinus in Enchiridio cap. LXV. & ad Seleucianum Epistola 108.

In qua pœnitentia quandiu homines erant, tandiu à mensa Domini abstinebantur: & in Sacris cœtibus in peculiari quodam loco consistebant: & quam primùm publica verbi Dei Concio, & precatio super illos facta esset, discedere cogebantur.

In eo autem veteres discretos gradus obseruauerunt, quemadmodum Canones Ancyrani & Niceni Concilij testantur. Quoties enim aliquis ab eiusmodi sceleribus, Excommunicationis supplicium meritus, se conuertebat, & pœnitentiam ab Ecclesia petebat, primùm omnium aliquandiu ad solam prædicationem verbi Dei admittebatur. Postea rursus aliquandiu etiam inter Procidentes, vt hoc pacto in terram procidendo, humíque iacendo, pœnitentiam suam ac veniæ petitionem auspicarentur. Tertiò permittebantur publicis interesse supplicationibus. Et post hæc omnia, ad mensam quoque Domini admittebantur, & in gratiam communionemque Ecclesiæ recipiebantur. Hos gradus antiqui per certos annos distinxerunt. Qua de re legatur canon Concilij Niceni XI & Ancyrani quartus, cũ sequẽtibus.

Posterioribus seculis pœnitentię quoque opera temperarunt, præsertim verò ieiunium: Vni enim imposuerunt ieiunium quadraginta dierum, vt solo pane & aqua vescerentur: aliis vero pauciorum. Hęc omnia Canonicas Satisfactiones appellarunt: quas postea tantopere multiplicarunt, eisque plurima & grauissima adiunxerunt, vt thoro coniugali abstinere, adeò vt eas Satisfactiones nemo amplius obseruarit. Tunc cœperunt potestatem hominibus facere pecunia eas exoluendi: certámque pecuniæ summam constituerunt pro septimanæ, vel vnius diei ieiunio. Hinc ortæ sunt Indulgentiæ, quæ in principio erant, remissio, vel permutatio verarum Satisfactionum impositarum pœnitentibus: postmodum verò & pœnam simul & culpam eas tollere hominibus persuasum est. Sic semper vna abominatio ex altera profecta est, quemadmodum frequenter fieri solet, vbi in eiusmodi rebus à verbo Domini ad rationem sapientiámque humanam deflectitur.

Hæc omnia sub specie istius verbi Dei, Quicquid ligaueritis in

terra, ligatum erit in cœlo venditata sunt, quo dicto etiam ipsi Aduersarij pro se vtuntur. Verũ id nihil aliud vult, quàm vt Ecclesia eos, qui in manifestis peccatis lapsi sunt, à mẽsa Domini abstineant, & ad sufficientem pœnitentię declarationem ligent, donec veram pœnitentiam, firmúmque emendandi propositum, cum legitimis pœnitentię operibus demonstrent. Quod cuiusmodi pœnitentiæ exercitia quilibet imprimis præstare debeat, de eo Medicus animarum deliberare & consulere debet.

Porrò quod exercitia pœnitentiæ, ex auctoritate Ecclesiæ imponi, & temperari possint, sicut tentatum aliquando est, & cuilibet peccato suus peculiaris annus, mensis aut dies cum ieiunio, & id genus aliis propriè deputari & assignari, de eo nullum extat verbum aut mandatum Domini. Nam, vt ante dictum est, non quælibet exercitia pœnitentiæ cuilibet ad ædificationem conferunt: sicut nec eadem tempora.

Beatus Apostolus Paulus neque certa pœnitentiæ opera, neque tempora Corinthio illi præscripsit, quem ligauit ad agendam pœnitentiã, Nec S. Patres eam consuetudinem obseruarunt. Hinc est quod D. August. de Pœnitentia loco citato in Enchiridio liberè scripsit, non tam temporis, quàm doloris mensuram in pœnitentia spectandam esse. Etsi quis omnia scripta antiquorum de pœnitentia legat, nihil tamẽ in illis de tam longo temporis spacio, gradibúsque reconciliationis inueniet, vt Canones, qui Niceno & Ancyrano Conciliis adscribuntur, statuunt. Vnde non immeritò dubitare quis possit, Vtrum Canones isti Cõciliis istis verè adscripti sint, an verò potius ab inanibus quibusdam hominibus conficti, Canonibúsque istorum Conciliorum falsò admixti, sicut alia quàm plurima, & his & aliis antiquis scriptis passim perperã intersperſa sunt. Longè adhuc minùs inuenitur apud S. Patres, quod vnicuique peccato proprium suum temporis spacium, propriúmque pœnitentiæ exercitium assignarint, quemadmodum fit in recentioribus Canonibus pœnitentialibus.

Iam hoc inde cognoscendum est, veram Ecclesiam Christi de nulla Satisfactione, quę ab homine præstari queat, quicquam nouisse, præter eam, quam Dominus in Ioele describit, & paulò antè ex D. Cypriano declarata est, nempe vt peccator seriò & ex intimo cordis affectu, ad Dominum Iesum Christum sese conuertat, peccata sua deploret, gratiã & remissionem supplex petat, studeátq; omnes prauas concupiscentias & libidines in seipso mortificare, ac se in omnibus virtutibus ac bonis operibus strenuè exercere. Modum verò ieiunandi, vigilandi, legẽdi, ornandi se & vestiendi, in puluere iacendi, & aliorum id genus pœnitentię signorum & exercitiorum, proprio cuiusque spiritui fideique liberum relinquere oportet, nisi hypocrisin instituere propositum sit. Interim nihilominus ad verum pœnitentiæ studium, quemadmodum antiqui Patres fecerunt, fideliter hortari & permouere homines oportet.

Rursus igitur aperta Calumnia est, quod Aduersarij scribunt Librum Reformationis non admittere Satisfactionem, nec vllius meminisse: sed

pręcipere,

præcipere, vt vnicuique peccata continuò remittantur, qui se tantum indicat, & in genere peccatorem fatetur. Verùm, tu Christiane Lector, Vide, quid hac de re Liber Reformationis præscribat, & nimium impudentis ac peruicacis calumniæ Aduersariorum te miserebit, qui adeò non considerant, seipsos nullam omninò satisfactionem docere vel exercere: sed eius loco grauem & horribilem contemptum diuinę Majestatis, dum Rosaria aliquot, Pater noster, vel alias precationes, missas, peregrinationes, & id genus alia pro satisfactione hominibus imponunt.

Sanè si Canones valerent, & satisfactiones ab omnibus exigerentur, nemo verò ad falsam & inanem confessionem absolueretur, nisi prius debitam satisfactionem suam demonstrasset, iamdudum Ecclesiæ Dei ab istis suis hostibus, scriptísque calumniosis, & aliis Christianæ Reformationis oppugnationibus liberę ac securæ fuissent. Canonicæ enim satisfactiones iamdudum ab ordine Clericali, & cumulatorum beneficiorum absumptione eos remouissent: & quamuis se emendarent, ac multa illis gratia impertiretur, tamen solummodò inter Auditores & Procidentes admitterentur.

Quarta pars.

De Excommunicatione.
De vnica ratione & via excommunicandi.
De Admonitione ante excommunicationem.
De iis qui præter Pastorem ad excommunicandum delecti sunt.
Quis debeat excommunicare & vbi.
Quatenus excommunicati debeant vitari.
Quas ob causas Christiana excommunicatio exercenda.
Quomodo excommunicati soluendi.

Cap. CXIII.

SIcvt in precedenti Articulo, ita etiam in hoc præsenti, de Christiana excommunicatione, admodum perstricta fronte, ac temerè Librum Reformationis taxant. Sunt autem sex præcipuè partes, quibus tota Reprehensio continetur. Antidiag. fol. 88.

Prima est, Duas esse excommunicādi formas, quas Liber Reformationis confundat, nec rectè distinguat.

Altera, Librum velle, vt nemo excommunicetur, nisi primum à suo pastore, & certis quibusdam ad hoc designatis, fuerit admonitus.

Tertia, quod peculiares aliquot viros Parocho adiungit, qui peccatores admoneant.

Quarta, quod Excommunicationem fieri velit per Superintendentem eo in loco, vbi accusatus commoratur, assumptis sibi pastore & delectis cuiusque loci.

Quinta, Quod excommunicato in ciuilibus negotiis versari permittat.

Sexta, Quod vetet propter pecunias, debita, aut alias obligationes excommunicare quenquam.

Hæc omnia nihil aliud sunt, quàm meræ sycophantiæ: id quod tu ipse Christiane Lector, facilè deprehendes, si saltem articulum hunc, sicut in libro expositus est, perlegeris.

Primùm cum dicunt Librum Reformat. ambas excommunicandi vias inter se confundere, nec rectè distinguere, id & absurdè ab eis asseritur, & præter veritatem Libro tribuitur. Vna enim tantummodò via ac ratio est, Excommunicationem, hoc est, Exclusionem à limitibus Ecclesiæ & communione Dei, ritè exercendi, non duæ. Ea verò nihil aliud est, quàm vt peccatores per ordinariam potestatem Ecclesiæ, in nomine Domini, & ex Spiritu eius, cum consensu totius Ecclesiæ Dei, à communione corporis Christi excludantur, siue propter manifesta peccata, siue de quibus certis testimoniis conuictus est. Hæc vnica est, vera & diuina forma excommunicandi, nec sunt plures.

Hoc autem verbum est, In excommunicatione distinctos esse gradus, nempe vt quidam ab omni communione populi Christi excludantur, vt obstinati, & in peccatis pertinaciter perseuerantes: alij non ab omni communione Christi, vt qui emendationem pollicentur, qui solummodò à mensa, & aliis quibusdam sanctionibus Ecclesiæ actionibus, quantum quidem ad ædificationem ipsorum & humiliationem conducere potest, abstineantur, non autem penitus ab omni communione religionis amoueantur. Tales enim interdum non solum ad prędicationem verbi Dei, sed etiam ad prædicationes quasdam Ecclesię admitti debēt, sicuti in superiori proximo Articulo, de gradibus admittendi ad cōmunionem Ecclesiæ, ab antiquis S. Patribus obseruatis, fuit indicatum. Talibus etiam in necessitate mortis tota communio Christi Domini nostri communicari debet, non item pertinacibus, & obstinatè in peccatis suis perseuerantibus. Porrò quod Aduersarij de duplicibus peccatis scribunt, propter quod homines excommunicandi sint, manifestis scilicet, & iis quæ per denunciationem, & conuictionem Ecclesiæ Christi patefiunt, id nondum efficit duas vias excommunicandi: sed sunt potius duæ rationes ac viæ reum se Excommunicationis constituendi. Propter vtrumque enim peccatorum genus, siue per se manifesta sint, siue denunciata vel testimoniis comprobata, homines vno & eodem modo ligandi sunt. Verùm quomodocunque eorum peccatorum quæ merentur Excommunicationem, discrimen appellent, Liber certè Reformat. id non prętermisit, neque etiam confundit. Sic enim incipit Articulus de Excommunicatione. Si verò quis in manifestis flagitiis perseuerat, aut testibus idoneis conuinci potest, &c. Hic satis clarè discriminata sunt, manifesta & denunciata peccata. An non igitur deploranda

improbitas est istorum hominum, qui tam aperta mendacia contra Archiepiscopum,& Patrem suum scribere non verentur?

Sed subiungunt, id quod Dominus de correctione peccantium docet,Mat.18. & ad priuatas tantum iniurias referendum esse: & pro confirmatione adducunt D. Chrysostomum. Verum in hoc tam Christo Domino,quàm D.Chrysost.vim & iniuriam faciunt. Nominatim quidem eo in loco de priuatis iniuriis locutus est Dominus, quibus interdum fratres se mutuò afficiunt:id verò ad fratres,ad discipulos suos, ad Christianos locutus est,qui membra eius sunt,&commembra omnium fidelium: qui in charitate viuunt, & non quod suum est, sed quod aliis prodest,quærunt. Ex qua dilectione & communione Christi, quilibet Christianus omne id in fratre suo pro peccato & malo accipit, quicquid contra Christum caput suum, aliósque Christianos, commembra sua,vel dicto vel facto perpetrari potest:& id non minùs,quinim ò longè magis in se peccatum esse iudicat, quàm si præcisè in suum corpus tale quid fuisset admissum.Quamobrem omnis pius Christianus,quemlibet fratrem, in quacunque re peccantem eum deprehenderit, contra quemcunque id fiat,ex antedicta charitate & communione,peccati sui commonefaciet & arguet, ídque tanto seuerius ac diligentiùs, quatenus id magis ad alios pertingit, quàm si ad propriam suam personam pertineret.Hęc est doctrina Christi Domini,&D. Chrysostomi.Verùm Aduersarij conantur generalem hanc doctrinam, de remedio omnium peccatorum,ad priuatas iniurias restringere.Nullibi habet Chrysostomus,quod Dominus hoc loco de priuatis tantùm iniuriis loquatur. De priuatis dicit, sed vt in his doceat, quod remedium adhibendum sit, contra quæuis peccata.

Secunda huius Reprehensionis pars est, Librum velle vt nemo excommunicetur,nisi primùm à suo Pastore,& certis quibusdam deputatis, fuerit admonitus. Contra quod scribunt: Quasi manifesti peccatores publica fama declamati,sine secreta & Euangelica correptione præcedente,non debeant citari & excommunicari.

Rursus nota,Christiane Lector,damnatum morbum, pia & Christiana, eáque Archiepiscopi ac fidelissimi Patris dicta peruertendi. Liber Reformationis amplius nihil habet,quàm vt Pastor cum aliis ad hoc ab Ecclesia constitutis eos qui in flagitiis excommunicatione dignis publicè viuunt,vel idoneis testibus illorum conuincuntur,admoneant,vt ad Deum se conuertant,&c.

Non autem dicit,manifestos peccatores sine præcedente admonitione citandos nos esse, sed contra iubet eos citare, ídque sine prȩcedente admonitione. Quæ (malum) impudentia. Quod verò etiam requirit,vt adhortatio ad conuersionem à malo ad obedientiam præmittatur,nunquid Christianum hoc non est,& scripturę consentaneum? Excommunicandúsne aliquis est, nisi prius ad pœnitentiam & emendationem vitæ admonitus?

Tertia pars est, de eo quod Liber dicit de delictis, qui in eiusmodi

negotiis Pastori adiunguntur, scribunt, Christum nullibi præcepisse, vt certi quidam ad correptionem faciendam assumendi designentur: sed permisisse offenso pro suo arbitrio, quos idoneos ad hanc rem iudicauerit, assumere.

Quid? Nihilne valebit, quicquid à Domino mandatum non est? O vtinã id apud se valere permitterent, ita enim facilè, & à libro hoc carpẽdo, & Christianam Reformationem oppugnando cessaturi essent? Iam præcepit Dominus per Apostolum Paulum, vt omnia in Ecclesia sua optimo ordine, com nunissimè, & ad ædificationem aptissimè administrentur: Docuit etiam vt Ecclesiis constituantur Presbyteti, siue sint in pagis, siue in vrbibus, Act. 15. & Tit. 1. idque non eorum numero tantum, qui simul etiam Doctores esse possint, sed & ex aliis probatis ac fidis Christianis, vt Ambrosius scribit in 5. cap. prioris Epistolæ ad Timoth.

Synagoga, inquit, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil in Ecclesia agebatur. Quod qua negligentia absoluerit nescio: nisi fortè dictorũ desidia, aut magis superbia, dum soli nolũt aliquid videri. Qui si antiquus fuit & diuinus tam synagogæ, quàm Ecclesiæ Christi ritus & malum est, eum obsoluisse: quare non bonum & Christianum sit, atque idcircò ab Aduersariis minimè carpendum, eundem restituere?

Quarta Accusationis pars est, contra id quod Liber excommunicandi ministerium Superintẽdenti, vnà cũ Pastore & delectis assignat, ac vult vt excommunicatio fiat vbi excusatus commoratur. Cùm tamen, vt aiunt, ad Episcopum pertineat sententiam pronuntiare in loco vbi residet.

Vides, Christiane Lector, quàm friuola ac nullius momenti sint Aduersariorum obiecta. Annon Episcopi longo iam tempore hęc officia suis Officialibus demandarunt, talibus hominibus, qui ipsi sæpenumero excommunicandi fuissent, & plerique eorum adhuc sunt? Quid igitur obstat, quo minus liceat nobis pios ac prudentes vios huic muneri præficere? Excommunicatio opus Episcopi quidem est, at quid aliud est verus Superintendens, quàm Episcopus? Verum Aduersariis summa rerum in nominibus ac titulis posita est, nihil autem in reipsa & opere, quod præcepit Dominus.

Sic cùm ipsi fateantur, imò fateri cogantur, antiquos veros Episcopos in excommunicando Ecclesiarum consensum requisiuisse, quare constitutionem Libri vituperant, qui vult, vt in sua quisque Ecclesia ligetur, quò tota multitudo, quæ peculiariter talem vitare debet, tanto melius cognoscat, quàm iustè fuerit excommunicatus?

Allegant D. Paulum, qui tamen totus contra ipsos facit: & dicunt, quod absens Corinthium ligarit. 1. Cor. 5. Verum non modo excommunicauit eum, sed etiam Satanę tradidit, quod miraculum erat Spiritus S. quo potestatem Satanæ dabat, peccatorem istum in carne puniendi & affligendi, quò caro eius prauis concupiscentiis & libidinibus moreretur. Spiritus verò ad pœnitentiam promoueretur. Hoc opus simile erat

illi, quo

illi, quo Dominus Satanæ permittebat sanctum Iobum in corpore affligere. Eiusmodi potestatem non habebant Corinthij. Quamobrem ipse eam corpore quidem absens, spiritu verò præsens demonstrabat. Etiamsi enim nemo eorum qui Corinthi erant hoc opus præter ipsum perficere poterat, non tamen id in eo loco vbi ipse tunc temporis agebat, sed Corinthij, & præsente tota Ecclesia administrare voluit. Congregatis vobis, inquit, & meo spiritu. Item, Ego corpore quidem absens, presens autem spiritu decreui, &c. Adeò non iudicauit bonum esse, vt peccatores, quibus supplicum irrogandum est, alio, quàm vbi cõmorantur, citentur: quem abusum Aduersarij propugnant. Quantum verò ad Excommunicationem per se attinet, reprehendit Apostolus Corinthios, quod peccatorem istum non sua sponte excommunicassent, & à congregatione sua excluisissent: ac mandat eis, vt malum à se reiiciant, & cum nullo manifesto peccatore, qui frater appellari velit, commercium & consuetudinem habeant. Sic etiam præcipit Thessalonicensibus de his, qui inordinatè versantur, 2. Thess. 2. Hinc ergo clarè vides, Christiane Lector, hoc ipsum quod Paulus hoc loco & fecit, & fieri mandauit, aperte pro libro contra Aduersarios facere. Verum sperant istos, quibus ipsi scribunt, nunquam neque Paulum, neque nostram Reformationem lecturos, sed solis ipsorum calumniis fidē adhibituros.

Quintò grauiter accusant, vt qui permittat Excommunicatis in ciuilibus negotiis versari: & multa prædicant de seria excommunicatorum euitatione, etiam in omnibus ciuilibus negotiis. Enumerant quoque triplicem Excommunicationem: vnam cùm quis tantummodo à cõmunione mensę Domini abstinetur: Alterum, cum his, qui publicam pœnitentiam susceperunt, communione Sacramentorum interdicitur. Tertiam cum quis maiori excommunicationi subiicitur, quam anathema vocant, Et dicunt, Eos qui anathematizati sint, tantum ab externo consortio & communione arceri.

Hoc loco tres constituuntur excommunicandi modi, vbi reuera duo tantum sunt: quamuis alter eorum suos certos gradus apud veteres habuit, vt supra dictum est. Tertium verò modum eiusmodi constituunt, vt nulli hominum competere possit: videlicet, Hominem anathemati subiicere, quod Chrysostomus in peculiari quodam sermone, super hac re habito ex S. Scriptura, firmissimè demonstrat. Anathema enim facere, est aliquem quasi à Christo Domino nostro penitus & in ęternum separatum & abscissum iudicare ac condemnare. Cuiusmodi iudicium homo de falsa quidem doctrina, verum de nullo mortalium ferre potest, his solis exceptis, qui ad mortem peccant, & blasphemant spiritum S. non solum Filium hominis ex ignorantia, sed ipsum, inquam, spiritum S. scientes & volentes, in eius iam probè sibi notis, & verbo & operib. Iã verò nemo hominis cuiusquã cor inspicere potest, atque ita cognoscere, vtrũ sciens, an verò per ignorationem veritatẽ Dei oppugnet & blasphemet, nisi per solam reuelationem Sp. S. Neque igitur quisquam Christianus potest alicui, de quo talẽ reuelationẽ non habet, anathema, hoc est, in æternum à Deo reiectum iudicare: quod tamen Aduersarij

tentare ausi sunt seducti per suum Magistrum sententiarum, & qui in libros eius scripserunt. Illi enim statuunt ac docent, *Anathematizationem Ecclesiæ esse pœnam, qua iis hominibus, qui digna illa percelluntur, gratia Dei & protectio amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, vt sit eis liberum ruere in interitum peccati. In quos etiam maior diabolo seruiendi datur potestas: orationes quoque Ecclesiæ, & benedictionum ac meritorum suffragia eis nequaquam suffragari putentur.* Hęc Petrus Lombardus.

Ex hoc figmento ausi fuerunt ij, qui super hæc verba scripserunt, affirmare, quod Ecclesia non debeat pro talibus excommunicatis orare, quod tamen apertè pugnat cum doctrina Sp. S. & D. Chrysostomi, in sermone supra citato. Is enim præcipit pro omnib. hominib. etiã infidelib. & peccatorib. orare, & orare non frustra, sed vt ad agnitionem veritatis perueniãt. Quomodo igitur Ecclesia, talib. gratiã ac tutelã Dei subtrahat, eósque diabolo ac propriis libidinib. tradat ad mortem peccatorũ, ad mortem carnis à peccato tradi. Ecclesia peccatorem Satanę, vt Spiritus saluus fiat. Non in mortem peccatorum, vt spiritus perdatur.

Quare relinquendi sunt homines isti, cũ anathematizatione sua: ea enim nulli mortalium in neminẽ cõpetere potest, quẽ non certo sciat, ex Spiritu Dei ad mortẽ peccauisse, spiritúmque S. blasphemasse. Quod. n. Apostolus dicit, in calce Epistolæ ad Corinth. Qui non diligit Dominũ Iesum Christũ, anathema sit, id cõtra neminem peculiariter locutus est, sed cõtra nõ diligere Dominũ nostrũ Iesum Christũ, eíq. aduersari. Sicut etiam & Angelos & homines anathematizat, qui aliud Euangelium prædicat: vbi nõ homines aut Angelos per se, sed opus aliud Euangeliũ prædicandi, hoc modo contẽnat. Hoc verò discrimẽ tradit S. scriptura, in excõmunicando, si quis in grauiora scelera, quæ vim habent à regno Dei excludẽdi, fuerit prolapsus, & adhortationẽ Ecclesiæ ad pœnitentiã audit, in eámq. se tradit, is debet toto tẽpore pœnitentiæ, donec absolutionẽ impetrauerit, à mensa Domini, & aliis Sacramentorũ tractationib. arceri, & in externis quoque fratrũ cõmerciis euitari, quatenus ad humiliationẽ ipsius confert, modo nulla necessaria, & ad pietatẽ vtilia obsequia ei denegentur, & subtrahantur. Antiqui adhuc vlterius discrimen erga tales obseruarunt, si enim peccata valde grauia erãt, & interdũ pœnitentia non satis adhuc seriò demonstrabatur, tunc excommunicatos solummodo ad audiendum verbum Dei admittebant, si verò magis seriam pœnitentiam declarabant, tunc etiam inter eos, qui coram Ecclesia procidebant, & humi iacentes veniam petebant, admittebant. Deinde si adhuc vehementior pœnitẽtium dolor apparebat, vel peccata non admodum grauia erant, tunc permittebantur etiam communioni precum interesse, sicut antehac quoque cõmemoratũ est.

Altera pars excommunicandorum est eorum, qui correctionem & disciplinam Ecclesię ad emendationem non recipiunt, sed in peccatis suis perseuerãt, Ecclesiãq. Christi cõtẽnũt, tales ab omni cõsortio Christianorũ excludẽdi sũt, tã in reb. religionis, quã in aliis negotiis: habẽdi pro Ethnicis & publicanis, nec cibus nec potus cum illis sumendus, non salutãdi, sed in omnib. reb. vitandi. Quantũ vnicuiq. priuatim cõpetit, &

excom-

excommunicatis in eum finem prodesse potest, vt tanto citius pudore peccatorum suorum afficiantur, & ad pœnitentiam permoueant. Non tamen habendi pro hostibus sunt, sed quandiu spes aliqua supercst, eos ad pœnitentiam lucrandi, tandiu tanquam fratres, de peccatis suis commonefaciendi sunt, & ad emendationem admonendi, 2. Thess. 3.

Quando igitur Christianis, à Magistratu iniungitur, vt aliquid cum eiusmodi excommunicatis commercij habeant, siue id sit in muneribus & officiis, siue obsequiis ad rempub. pertinentibus, siue in quibuscunque tandem negociis, fideliter id exequi debent. Cùm n. infidelibus Dominis subiectos esse oporteat, necesse est commercium quoque habere cum illis, per quos gubernationis suæ officia administrant. Ad eundem modum quo ad alia quoque officia, corporalem necessitatem concernentia, cum talibus excommunicatis, communicare oportet: quæ partim ipsis Christiani præstant, partim ab eis accipiunt: Nam & hostem amare, cibare & potare oportet. Sic vbi opportunitas data fuerit, eos ad pœnitentiam mouendi, adhiberi ad id debet quicquid externi eò conducturum videtur, siue edere, siue bibere, siue quiduis aliud. Sicut etiam Dominus noster fecit, quãdo cũ Samaritanis, aliisque publicis peccatoribus, atque idcirco corã Domino verè excommunicatis, cibũ sumpsit.

Ante omnia diligenter considerandum est, quod omnis euitatio ligatorum in eum finem tendere debet, vt per eam peccator humilietur, ac dolore pudoréque de peccatis suis efficiatur, & quantum fieri potest, ne in peccatis suis securus & audax, vel obstinatus desperatúsque reddatur, vel denique ad maiorem contemptum, odiúmque Christi caussetur. Si enim Christiani cum talibus nimis indulgenter agunt, tantò minus de peccatis suis anguntur, eorúmque nec pudore, nec pœnitentia afficiuntur. Si verò nimis duros ac seueros erga tales se exhibent, tunc vel desperant, vel penitus obstinati & profligati reddũtur. Eiusmodi præcipitia diligenter cauenda sunt, sicut & Apostolus quoque monet. 2. Cor. 2.

At quid opus est cum hoc hominum genere de Ecclesiastica disciplina disputare, apud quos omnes constitutiones & canones, de Christiana excommunicatione adeò dilaniati, & annihilati sunt? Reprehendunt Librum, quod permittat cum excommunicatis in ciuilibus negociis communicare, cum illi ipsi, cùm eis, non in ciuilibus tantum, sed etiam spiritualibus, & religionem concernentibus communicent. Clericos n. qui in aperta Simonia hærent, qui concubinas apud se fouent, aut alias se fornicatione contaminant, qui sua Ecclesiastica munera non fideliter obeunt, qui immodicè potant, qui mundanis negotiis se implicant, hos omnes & S. scriptura, & Canones excommunicant, Dominus item per Apostolum, nec non omnes antiqui Patres interdicunt fidelibus, ne cum talibus commercium habeant. Aduersarij autem volunt, vt non solum cum eiusmodi hominibus tam in spiritualibus tam secularibus negotiis communicemus, verum etiam vt corpus & animam illorum curæ cõmittamus, nihílque & credamus & in tota vita faciamus, nisi quod ipsi nobis præscripserint.

Adhæc apertas calumnias scribunt Aduersarij contra Librum Refor. & impudentissima mendacia, quod ad hanc materiam attinet, quorum primum est, Librum requirere, vt Excommunicatus à communione tantum Eucharistiæ excludatur, vetare item illi assistere, vbi quis baptizatur, aut matrimonium contrahitur.

Hæc dictio (tantum) non habetur in Libro, sed tres istæ actiones solummodò exempli gratia commemorantur, & excommunicato solam prædicationem verbi Dei audire permittitur.

Alterum mendacium est, Librum facere potestatem Magistratui seculari, vt Excommunicatos in ciuilibus versari permittat.

Quod nullibi in toto Libro habetur, sed, si Magistratus ciuilis concedat excommunicato, vsum politici status. Vbi verò sunt Magistratus, qui id non faciant? Quare cùm nulli non id faciant, in primis verò illi Magistratus, pro quibus Aduersarij pugnant, necessarium sanè est docere, quomodo Christiani, vel cum eiusmodi Magistratibus ipsis, vel his quibus ad gubernationem, statúmque Politicum vtuntur, quo ad excommunicationem se gerere debeant.

Grauiter quidem peccant Magistratus, imò imperiales Cõstitutiones transgrediuntur, quando tales qui propter aperta & notoria crimina, excommunicati sunt, non honoribus statúque & dignitate ciuili priuãt, vt qui fœdus suum, ac fidem violarint, & violent in dies, sintque contumeliosi in Deum, & Creatorem suum, in Christum Dominum & seruatorem suum, denique in Ecclesiam Christi, matrem suam. Quod officiũ suum quando Magistratus non perpendunt, sed excommunicatos in pristinis honoribus, statúque politico relinquunt, an propterea non debẽt Christiani subditi eos pro Magistratibus suis agnoscere, & in administratione Reipub. aliisque ciuilibus negociis, vt contractibus emendo ac vendendo, & quicquid præsentis vitæ necessitas postulat, vel cum illis ipsis, vel cum his, quorum opera ad gubernationem, aliáque ciuilia negocia vtuntur, communicare & commercium habere? Hinc breui tempore Iudæi, Galilæi, & Monasterienſium Anabaptistarum seditio exoritura esset. Cuius sanè Aduersarij illico Librum accusaturi fuissent, si quid in eo positum esset, quod non ex dimidia parte, tam clarè eiusmodi illationem inferret, atque hęc eorum reprehensio.

Tertia calumnia est, Librum docere quod excommunicatio non sit impedimento ciuilibus negotiis tractandis. Et non considerant, quem modum in hac parte liber præscripserit.

Primùm, quod excommunicatio ciuilium negociorum tractationem non impediat, non habetur in Libro, sed contrariũ. Omnia enim nõ necessaria consortia, cum excommunicatis, qui propterea quod in peccatis pertinaciter pergunt, excommunicantur, prohibet, ac vult, vt Christiani erga tales ita se gerant, vt & ipsi excommunicati, & alij intelligant, Christianos grauiter dolore, & tristari, propter eorum flagitia, & scandala, quæ Ecclesię Dei obiiciunt, in quo docet Liber, excommunicationem omnia ciuilia negocia, quæ non à Magistratu, vel alio quin corporali necessitate requiruntur, impedire. Quamobrem

vult

vult vt excommunicati, in emendo & vendendo, aliisque negociis, quę vel ciuilis obedientia, vel humana necessitas non postulat, à Christianis euitentur.

Hic rursus vides, Christiane Lector, quàm cauillatoriè & impudenter Aduersarij, contra Archiepiscopum suum scribant. Det clementissimus Deus, vt omnium eorum consuetudo, & consorcium, à Christianis euitetur, qui in manifestis atque excommunicatione dignis flagitiis hærent; ita enim in Reformatione nostra promouenda, neque ab ipsis, neque ab vllis aliis hominibus impediremur.

Sexta accusatio est, quod liber vetet, propter pecunias, debita, aut alias obligationes, quenquam excommunicari.

Hoc rursus apertum, & calumniosum mendacium est. Liber enim sic habet: Adhibenda itaque excommunicatio est, tantum aduersus publicè flagitiosos, qui nolunt resipiscere, nõ in aliis ciuilibus negociis, vt ad exigenda debita, &c. Hic obserua, Christiane Lector, dictum illud (non in aliis ciuilibus negociis.) Quid est (non in aliis?) hoc est, non in iis rebus, quæ non sunt publica peccata, si enim aliquis alteri debitum, vel obligationem secularem persoluere & præstare, eumque facultatibus suis, fraudulenter & malitiosè fraudare vellet, is sanè publicum flagitium, & excommunicatione dignum admitteret. At quàm miserè Aduersarij abutuntur excommunicatione! Quas apertas scortationes, inebriationes, simonias, vsuras, blasphemias, excommunicationis fulmine feriunt ipsorum excommuuicatores? Tantummodo ad debita, ad iurgia & contentiones, & quicquid ad fastum, superbiámque eorum facit, ea abutuntur, & hunc abusum, Liber Reform. redarguit, Non prohibet eam vsurpare contra manifestam fraudem, & iniquitatem, siue ea in pecuniis, siue in aliis secularibus negociis exerceatur,

Septima Accusatio est, Antiquis Canonibus institutum esse, vt excõmunicati non prius absoluantur, quàm vbi egerint pœnitentiam, dederintque cautionem, de emendatione, & damno releuando.

Hæc rursus ementita calumnia est, quod facilè videbit Christianus Lector, si postremum paragraphum, huius articuli de excommunicatione, perlegerit. In eo enim expressis verbis positum est, neminem absoluendum esse, nisi resipiscat, & desistat à flagitiis suis, propter quæ excommunicatus erat, agnoscat & confiteatur peccata, & si quem offenderit, ei reconcilietur, petátque suppliciter peccatorum & inobedientiæ suæ aduersus Deum, & Ecclesiam, remissionem. Hæc omnia requirit Liber. Eáque demum vera pœnitentia, & cautio est, de qua Aduersarij parum solliciti sunt, suámque absolutionem, modo in promptu pecunia sit, & debita persoluta, nemini negant, non curantes, siue emendent se homines, siue deteriores reddantur. Hæc eorum pœnitentia & cautio est. Sic ergo manifestè vides Christiane Lector, omnia quæ Aduersarij, contra hunc Articulum de Excommunicatione scripserunt, esse aperta mendacia, meráque calumnias.

Vicesimaquinta Accusatio.

De Suffraganeo, & Superintendente.

Cap. CIV.

QVo minus Aduersarij vllam piam, necessariam & Christianam ordinationem Libri, sine reprehensione prætermitterent, insectantur etiam id, quod in Libro significauimus, nos Superintendentes aliquos, vulgatis Parochiis & Pastoribus præfecturos. Iam ordinatio est Spiritus S. sempérque dum adhuc Ecclesiæ à bonis ac fidelibus ministris gubernarentur, ita obseruatum fuit, sedes Episcoporum non debere longo interuallo, à seinuicem distare, vt ad ordinationes Episcoporum, & alia Ecclesiastica negocia, tantò commodius conuenire possint: quilibet item Ecclesias, Curæ & administrationis suę adiunctas, saltem in anno semel, sine neglectu suæ Metropolitanę Ecclesiæ propria persona visitare queat. Quam consuetudinem Ecclesias visitandi, veteres tanta diligentia obseruarunt, vt etiam in Conciliis visitatores ordinauerint: de quo passim videre est, in antiquis Canonibus, præsertim in Canone Concilij Antiocheni nono, & respon. 8. Gregorij, ad interrogationes Augustini, Episcopi Londinensis. Item Gregorij Iunioris ad Bonifacium, C. præcipimus, 16. Quæst. 1.

Primam verò huius ordinationis traditionem habemus ab ipso Spiritu S. præscriptam, Act. 9. Vbi exemplum Petri nobis ob oculos proponitur, qui Ecclesias per Iudæam, Galilęam, & Samariam, visitauit, quæ tamen multum ædificabantur, augebantur, & in timore Domini versabantur, Item Act. 14. vbi legimus Paulum & Barnabam Ecclesias, quas Lystris, Iconij, & Antiochiæ, Domino lucrati fuerant, visitasse, eisque seniores præfeciisse. Sic ad Phil. 2. & 1. Thes. 3. vbi Apostolus meminit, *quod Timotheum suum ablegauerit, ad visitandum Ecclesias, vt experiretur quomodo negocium Christi se apud illos haberet, eas confirmaret, & consolaretur*, & ad Titum 1. vbi testatur Paulus, *se Titum idcirco in Creta reliquisse, vt quæ deerant, corrigere pergeret, & oppidatim Presbyteros constitueret, sicut ei ordinarat.*

Porrò cùm nihil in mundo, maiorem diligentiam, & attentionem requirat, quàm cura animarũ, nihilque laboriosius sit, quàm homines originali peccato penitus viciatos & corruptos, Deóque contrarios factos, ad cognitionem & obedientiam Dei reducere, in eáque cõtinere, Cui Christiano dubium esse potest, ad quemlibet fidũ Episcopum pertinere, prospicere non tantũ, vt singulæ Parochię suos idoneos Pastores secum habeant, verum etiam vt in qualibet Regione, & Prouincia suæ Diœceseos idonei Superintendentes sint & visitatores, qui vulgatis Parochiis, in ministerio suo benè ac fideliter obeundo,

auxilio

auxilio sint & adiumento: præsertim cùm talium, qui Curam Animarũ probè intelligunt, eiúsque vtiliter administrandæ studio flagrant, nunquam sat multos habere possimus.

Cùm igitur sole clarius sit, quàm rudes, quàm irreligiosi, & spiritu carentes Pastores passim hinc inde in parochiis reperiantur, vnicuique Christiano perspicuum est, quantoperè necessarium sit, vt in Diœcesi tam ampla, vt Colonien sis est, multi Superintendentes & visitatores constituantur, quò cuilibet Ecclesiæ in tempore consulatur, scandala præueniãtur, & si obiecta fuerint, opportunè rursus amoueantur, denique quicquid ad pietatis in Ecclesię ædificationem vim habet, benè instituatur, promoueatur, & conseruetur.

Hoc consilio proposuimus Superintendentes vulgatis Parochis præficere, quos Ecclesiarum necessitas postulabit. Quod Aduersarij vt minus rectè factum vituperant, nolúntque, vt vnicus eorum Suffraganeus, omnibus rebus administrandis vbi præsideat. Verùm ea ratione, qua ipsi Ecclesias administrari volunt, nempe vt ipsi facultatibus & bonis fruantur, Parochiis verò penitus ignaros, imperitos, culpabiles, & vanos homines, Idololatras, veneficos, & in summa omnis generis sceleribus & flagitiis oppletos præficiãt, qualium, proh dolor, nimis magna turba inter eos quoque reperitur, quibus Aduersarij Parochias, quas contra Deum, & omnes Canones occupant, auendant.

Cæterum videamus cuiusmodi sit ipsorum Suffraganeus, & quomodo omnibus Parochiis, per totam Diœcesin Colonien sem satisfacere queat, deinde quibus de caussis nostrum Christianum & necessarium propositum vituperent. Suffraganeus in Pontificalibus vocatur (*ein vveihbischoff*) hoc est, Episcop' cõsecrationi seu initiationi propositus. Et rectè quidem, quandoquidem totum eius officium consistit in ordinatione Clericorum, initiatione templorum, altarium, vasorum mysticorum, vestimentorum, campanarum, & id genus aliorum, vnà cum Confirmatione. Porrò qui talis Suffraganeus esse vult, primùm omniũ oportet, vt non exigua pecuniæ summa Episcopalem titulum à Romano Pontifice emat: alius quidem titulum Episcopatus Cyrenen sis, alius Bethlemitani, alius Thermopolitani, in summa quilibet alicuius loci, vbi aliquando Episcopi, & Ecclesię fuerunt, nunc autem, proh dolor, Turcæ & Saraceni, vel alioquin infideles. Quos titulos postquam redimerunt, iámque ad Episcopatus suos ordinandi sunt, iuramento se obstringere coguntur, quod homines tituli sui ad Christum reducere velint, quod tamen nunquam se facturos in animum inducunt. Verùm Papa rursus accepta ab illis pecunia, voto ac iuramento suo illos continuò soluit.

Istos homines qui titulo tenus Episcopi sunt, Episcopatum verò nullũ habẽt, alij deinceps Episcopi, qui adhuc Episcopatus suos tenẽt, conducunt, munúsq; in Episcopatibus suis ordinandi, & initiandi, illis imponunt. Quod postea non gratis faciunt: sed miris astutiis homines taxant, quibus vel templa, vel Cœmiteria, vel alia quæcunque initiare & consecrare debent. Oportet enim vt magnis sumptibus ad

eiusmodi loca perducantur,& deinceps in propriũ locum reducantur: vt splendidè ac sumptuosè tractentur:omnia item instrumenta & vasa quæcunque ad consecrationem postulant & vsurpant, sibi ac suis propria vendicant:denique præter hæc omnia magnam pecuniæ vim illis persoluere oportet,ita vt sæpenumero miserum aliquod oppidulũ pro templi vel cœmeterij consecratione viginti, interdum triginta, aut quadraginta,nonnunquam plures aureos numerare cogatur,proutSuffraganeus magis vel minus auaritiæ morbo laborat: nihil demum tam exiguum est,quod si ab illis consecretur, non splendidum illis lucrum apportet.

Eiusmodi homines plærunque sunt,quiSuffraganei in Pontificalibus appellantur, talibus volunt Aduersarij primariam curam, & visitationem Ecclesiarum committi,quam tamen antehac maiori ex parte vicariis in spiritualibus, quos vocant, Archidiaconis & Officialibus iniunxerunt: per quos nihilo melius, quàm per illos administrata fuit.

Quod cùm ita se habeat,sitque vel ipsa luce meridiana clarius, quare non daremus operam,vt eiusmodi homines constituamus,quales Deus ipse requirit,nempe,qui veram,efficacem,&ædificantem Parochiarum visitationem,&principalem curam in se recipere,ac salutariter exequi queant:eorúmque tam multos,quot tam infinitarum Ecclesiarum,quę Dioecesi Colonienſi cõcreditæ sunt,requirit necessitas? Omnino enim vnus aut alter eiusmodi officiis satisfacere non possunt. Qui si veræ inspectionis Ecclesiarum munus efficaciter præstant, quare non etiam nomen & titulum huius muneris illis communicaremus?Etenim omnia sunt EcclesiarumChristi,debéntque ad earum ędificationem institui,exerceri,& nominari,non ab ementitis, precióque redemptis titulis,& symoniaca tyrannide atque auaritia.

Nunc deinceps causas examinemus, propter quas aiunt nobis licere plures in Episcopatu nostro Superintendentes ordinare,sed debeamus omnia soli Suffraganeo committere.

Pro prima causa adducunt: Naturam exigere, vt vna Ecclesia, vnum tantum Episcopum habeat, & vnum altare. Et S. Patres seueriter condemnasse eos, qui contra vnum ordinarium Episcopum vel altare, alium Episcopum & altare ordinauerunt & erexerunt: ad cuius confirmationem Cyprianum Hieronymum, Augustinum citant.

Hoc loco animaduertas licet impias istorum hominum technas. S. Patres, quos Aduersarij perperam citant, hoc solum postulant, vt in qualibet Ecclesia habẽte suum propriumEpiscopum,hoc est,Superintendentem,& ordinarium animarum curatorem, ille vnicus sit,nec alius contra ipsum Episcopus ordinetur, qui suum peculiare altare habeat,&Episcopale munus gerat.At nõ docent,quod tã multis Ecclesiis vnus tantumSuperintendens præficiendus sit,sed contrarium,vt iã indicatũ est:nẽpe vt quandoDeus fidelẽ populũ auget,iuxta proportionẽ

Episco-

Episcoporum quoque numerus multiplicetur, quo singulæ Ciuitates prò se, & proximis sibi adiacentibus locis suum peculiarem Superintẽdentem habeant. Quemadmodũ cernere licet Episcopatus constitutos & distributos in Italia, aliisque Regionibus, quæ primò ad fidem accesserunt, suósque Episcopos habuerunt, antequam Episcopale nomen & dignitas, à proprio suo officio ministerióque tam longè recessit; vt lõgo hactenus tẽpore. Nemo enim solus multis Ecclesiis Episcopale munus rectè & vtiliter ad ædificationem præstare valet. Quamobrem vnicuique Episcopo in Ecclesia sua Sacerdotes quidem & Seniores adiungi debent: sicut antiquitus Episcopi suos Chorepiscopos, Archipresbyteros, Sacerdotes & Cardinales habuerunt, quorum frequens mentio fit in Epistolis Gregorij.

Iam attendat, quicunque veritatis studio tenetur. Quod S. Patres aduersus eos scripserũt, qui contra ordinarios Episcopos alios ordinabãt, id Aduersarij eò detorquent, quasi non liceat Episcopo alios quosdam Episcopos & Superintendentes sub se constituere, qui sibi auxilio sint & adiumento in pascendo Christi grege, cui propter numerositatem, proptérque grauissimam vastitatem, per Antichristum introductam, solus satisfacere non potest: taliúmque Coadiutorum tam multos ordinare, quot necessitatem ac frequentiam populi suæ curæ commendati postulare animaduertit. Hoc sit responsum ad id quod Aduersarij contra pluralitatem Superintendentium obiiciunt.

Porrò ad confirmandum, quod debeamus eorum Suffraganeo soli, quẽ ipsi ordinarunt, omnem inspectionem committere, dicunt, *Eum à Capitulo, totáque Diœcesi Archiepiscopali receptum: adeóque non posse simul aliũ Superintendentem, sine horrendo dissidio in Coloniensi Diœcesi instituí.*

Responsio.

SI Capitulum, & Archiepiscopalis Diœcesis dictum suffraganeum, nquámque Christianum Superintendentem Ecclesiarum ordinariè recepit, non dubium est, quin libenter plures eiusmodi sit receptura. Constat enim omnibus Christianis, neque vni neque quatuor possibile esset, vt omnibus Ecclesiis, in tota Diœcesi Colonienſi attendant, & singuli, quicquid Superintendentis officium ac munus postulant, præstant. Ad hæc neque Capitulum, neque Diœcesis, nec denique vniuersus mundus, cùm Christianas & necessarias ordinationes, qualis hæc instituimus, vllum nobis impedimentum obiicere potest. In eo enim Dei mandatum sequimur, cui omnes homines, omnésque creaturæ cedere ac seruire debent. Quare quòd tot Superintendentes ordinamus, quot necessitas requirit, non est, quod vllum inde dissidium seu confusionem orituram metuatur. Quando autem Antichristiani, qui veram & efficacem Ecclesiæ ædificationem & emendationem tolerare non possunt, eiusmodi Christianis atque omnino necessariis constitutionibus obstrepunt & obturbant, quemadmodum isti Aduersarij nostri faciũt, id Domino commendandum est, cæcisque cæcorum ducibus, qui omnibus bonis rebus offenduntur, valedicendum. *Omnis enim plantatio, quam non plantauit Pater cœlestis eradicabitur.* Hactenus de Suffraganeo.

Vicesima sexta Accusatio.

De Ordinatione & Constitutione Pastorum.
Vtrum Ordinatio sit Sacramentum.
De Ordinibus.
De Ceremoniis circa Ordinationem.
Quod Ordinandi debeant doctrinam in Libro Reformationis contentam confiteri, & in ea se permansuros spondere.

Cap. CXV.

HAEC Accusatio quatuor partibus continetur: quarum prima est. *Librū non numerare Ordinationē inter Sacramēta.* Ad hoc supra responsum est in Articulo de Sacramētis in genere. Quod verò cōsecratio in eo sit, quādo quis ordinariè ad ministeriū instituitur, vt D. August. in eo loco quem Aduersarij citāt, scribit: quodq; manuū impositio, si ad imitationē exempli Apostolorū ad Ordinationē rectè adhibeatur, sanctū sit gratię signū, atque idcircò non malè Sacramētū dici possit, sicut etiam D. August. appellat, contra hoc nihil dicit Liber Refor. nominat hoc opus Ordinationē ad ministeriū Ecclesiæ, sicut antiqui omnes id appellauere.

Hoc loco rursus animaduerte, Christiane Lector, quid sit de quo Aduersarij pugnant. De ordinaria Examinatione & probatione ordinandorum ad Ecclesiæ ministerium, vnà cum testimonio fidelis populi, eiusque erga tales voluntate, quę omnia S. Patres, vnà cum Spiritu S. tam seriò requirunt, nihil omnino curant, in quo & legem Dei, & omnes Canones manifestè transgrediuntur: nec tamen eius criminis rei esse volunt: interim pro nomine acerrimè decertant.

Altera pars est, Librū tantummodò mentionem facere de instituendis Pastoribus: Quasi in Ecclesia non sint alij ordines, quā Pastorū dūtaxat.

Responsio.

TItuli quidem apud Aduersarios quàm plurimi sunt, at vbi apparent vera ac probata Ecclesiæ ministeria? In hunc finem compositus est Liber Reform. vt in eo cerni queat, in quibus rebus Christiana Reformatio apud plebem quàm citissimè posse efficaciter institui: non quod propositum fuisset, singula Ecclesiæ ministeria & negocia ad viuum resecare, & exactissimè perscrutari. Alioquin constat, Antiquos isthæc ministeria tam in ordinatione, quàm in opere distinxisse, munúsque Episcopale pro primo ac supremo Ecclesiæ ministerio habuisse, cui præcipua animarum cura, & administratio ministerij Ecclesiastici in ea vrbe, in qua quilibet ad Episcopatum ordinatus erat, nec nō in iis Ecclesiis, quæ in eius vrbis territorio erant, commendabatur, Consilio tamen & adiumento Presbyterorum, totiúsque cleri prętanda.

Alterum ministerium fuit Presbyterorum, qui in verbi prędicatione, Sacramentorum administratione, exercitióque disciplinæ Ecclesias Christi vnà cum Episcopo gubernare debebant, tam in vrbe, quàm in territorio, & singuli in iis locis, qui peculiariter eis deputati erant.

Tertium

Tertium est Diaconorum, qui debent esse tanquam ministri Episcoporum & Presbyterorum, ad doctrinam, sacramenta, & disciplinam. His in principio Act. 6. hoc quoque negocij peculiariter datum erat, vt oblationes & dona, quæ fideles pro pauperibus, & ad sustentationem ministerij Ecclesiastici Domino offerebant & sanctificabant, acciperent, custodirent, & iuxta publicam & Domini & Ecclesiarum ordinationem, distribuerent, suaéque dispensationis Episcopo, & Presbyteris rationem redderent.

Quartum erat Subdiaconorum, qui Diaconis in adiumentum adiuncti erant, & ad eadem propè ministeria ordinati, tamen sub Diaconis.

Quintum, Acoluthorum, quorum erat Episcopum & Presbyteros obseruare, eíque ad manum semper adesse. Religio enim veteribus erat, vt Episcopi & Presbyteri neminem circa se haberent, neque ad ministeria sua vsurparent, nisi Clericos, qui se in peculiarem ac strenuam Ecclesiæ disciplinam tradiderunt.

Sextũ Lectorũ, qui diuinas Scripturas populo in Ecclesia prælegebãt. His postea adiuncti sunt Cantores, qui hymnis decantandis præerant.

Tot genera Ministeriorum inueniuntur apud Cyprianum.

Septimum, Ostiariorum, qui portas Templi, ad cultum Domini aperiebant, eóque finito rursus occludebant. Sic quando S. Cœna celebranda erat, vt pœnitentes, aliíque, qui huic mysterio interesse non poterant, dimittebantur.

Inter cætera commenta, quę D. Hieronymo perperam adscribuntur, vnum est, de septem gradibus Ecclesiæ, in quo neque Acoluthi, neque Exorcistæ numerantur.

Primus verò gradus & ministerium ponitur Fossariorum: quod sanè Aduersarij cum toto Clero suo ægerrimè in se recepturi essent.

Exorcistas habuit primitiua Ecclesia, sicut etiam alios miraculorum editores. Hi virtute Spiritus S. impuros Spiritus & Dæmonia ab hominibus expellebant. Eiusmodi consuetudinem veteres adhuc temporibus Augustini, cum Oratione & Exufflatione obseruarunt, ad significandum & confitendum, quod omnes homines à prima generatione sint sub potestate Diaboli, donec ab ea per Christum Dominum liberentur. Hoc ministerium in genere Clerici administrarunt, sicut in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, qui D. Augustini nomine circumferuntur, cap. 31. commemoratur: nec inuenitur, certos quosdam & peculiares ministros ad Exorcismum disputatos fuisse. Hoc tempore Sacerdotes, qui etiam baptizant, hoc munere funguntur.

S. Dionysius tres tantum ordines Ministerij Ecclesiastici enumerat: quorum primus est τῶν ἱεραρχῶν, hoc est, summi Antistitis inter Sacerdotes. Alter τῶν ἱερέων, hoc est, Sacerdotum: tertius τῶν λειτουργῶν, Ministrorum, Et huic tertio assignat munus catechizandi, purgandi, & præparandi ad vitam æternam. Sacerdotibus & ministris in opere sancto, vlteriorem doctrinam, & illuminationem tribuit. Præsuli verò summóque Antistiti publicum ac supremum

munus docendi,& dispensatione Sacramentorum, cum plenissima declaratione omnium mysteriorum Christi. Hunc Auctorem non dubitant Aduersarij pro se citare, cùm tamen eorum figmento penitus repugnet.

Ambrosius scribens in 4.cap. Epistolæ ad Eph. quem & ipsum Aduersarij citant,hos ordines tãtum recenset,Episcopi, Presbyterorum, Diaconorum,Exorcistarum,Lectorum.

Verùm summa responsionis ad istam Accusationem hæc est.In libro Reform.operam dedimus,vt eorum peculiaris mentio fiat,quæ ad hũc finem vtilia & necessaria sunt,vt ministerium Ecclesiæ,& Cura animarum,iuxta verbum Dei,& necessitatem populi fidei nostræ commendati,passim in Ecclesiis restituatur, & restauretur : non autem propositum fuit plenæ & absolutæ Reformationis omnium Ecclesiasticorũ ministeriorum formam proponere.Hinc est quod in Libro de solo ministerio,Pastorum,& eorundem ordinatione mentio fit,non autem de omnibus ministeriis Ecclesiæ.

Sed vtinam Aduersarij,& quicunque partes eorum tuentur, tantopere iuuare vellent,quantopere impediunt, vt omnia Ecclesiæ ministeria,quàm perfectissimè & optimè restituerentur,& in eum vsum,in quo apud veteres fuerunt, reuocarentur:sanè nos nulli vel diligentiæ, vel labori parsuri essemus. Sed de inanibus tantum nominibus disceptant, de dignitatibus ac bonis ministeriorum Ecclesiasticorum: Non autem de ministeriis ipsis,eorum legitima constitutione & ordinatione.

Sat sciunt,totum Ecclesiæ ministerium eò dirigi,& efficaciter inseruire debere,vt populus Christi rectè doceatur, & in fide Christi ædificetur.At ipsi falsum suum Ecclesiæ ministerium ad infimum gradum Lectorum & Cantorum transtulerunt.

Vnde sequitur,omnes Sacerdotes & Diaconos sub ipsis constitutos, iuxta Canonem Concilij Romani,habiti sub D. Gregorio excommunicatos esse.Dist.xcij.In sancta.Sacerdotes enim prædicationi Euangelij,Diaconi distribuendæ eleemosynæ incumbere debent.Cantum verò inferioribus clericis demandare,quemadmodum Concilium istud, iuxta verbum Dei decreuit.Ipsorum autem ministeriorum omne nihil aliud est,quàm Canere & Legere,idque contra Scripturam, Apopulo enim non intelligitur, atque idcircò ad ædificationem eius non facit:deinde etiam multis figmentis,quæ nullo Scripturæ fundamento nituntur,omnia mixta sunt & deuastata.

In his omnibus hoc quoque notandum est: quoniam ordines & ministeria Ecclesiæ apud antiquos non eodem discriminabantur, & obseruabantur,sequitur distinctionem horum ministeriorum in Ecclesiis,non esse traditionem Apostolicam &necessariam,sed rem liberam, quam quælibet Ecclesia, prout vtilissimum fore agnoscit, ordinare potest:& propterea nulla Ecclesia est ad alteram alligata. Quâ libertate Aduersarij nimis licentiosè abusi sunt: in distinctione enim & constitutione ministeriorum Ecclesiæ,ne minimum quidem amplius obseruant

seruant eorum,quæ ab antiquis vtiliter constituta fuerunt. Imò quod in hoc negotio maximè necessarium est, penitus interdicere passi sunt, Id verò est, vt tantum probatæ personæ ad Ecclesiæ ministerium recipiantur,cum consensu fidelis populi: item vt vnusquisque ministerium ac munus sibi deputatum fideliter administret,ad ędificationem fidei in Christum Dominum.

Tertia pars est,Librum prędicipere,ne Suffraganeus vlla grauamina aut vota,quę huic Libro aduersentur,ordinandis imponat: asserúntque non esse in potestate nostra, formam ordinationis antè annos plus mille in tota Ecclesia Christi vsitatam abrogare,& perimere.

Resp. Liber Reform.comprehendit in se summam vnicæ Christianæ doctrinæ, & pro vnica Christiana ceremoniarũ administratione scribit: nempe quod omnes ita institui & vsurpari debeant,vt ad ędificationem fidei in Christum Dominum conducant.Quare si suffraganeus dum ordinat, eiusmodi vota imponere, vel ceremonias adhibere vellet, quæ huic doctrinę aduersarentur, impiè sanè & non Christianè eum agere necessarium esset.

Postremò dicunt,totum Librum innumera noua in se complecti,quę manifestè totius Ecclesię Catholicæ doctrinę in multis & insignibus locis,ex diametro contrarientur, nec vllum habeant in scripturis fundamentum.

Verùm id contra propriam conscientiam dicunt, nec minima ex parte hactenus, nec demonstrabunt deinceps in ęternum. Omnes autem qui Euangelio Christi credunt, Librúmque Reformationis penitius introspicere volent, deprehendent nihil aliud in eo contineri, quàm quod Christus Dominus ipse, fideléſque Apostoli eius docuerunt,& antiquæ Ecclesię semper fidelissimè obseruarunt.

Quod ad vnctionem pertinent, constat eam temporibus Dionysij ad Ordinationem Clericorum non fuisse adhibitam: is enim solius signi, impositionis manuum meminit, nullius autem vnctionis. Neque temporibus Chrysostomi in vsu, neque Augustini, sicut ex 4. Concilio Africano,quod illi ipsi adduxerunt,percipere licet.In eo.n.solius impositionis manum fit mentio, nec D. Hieronymus vllius alterius signi meminit. Sermo de vnctione adscriptus D. Cypriano,non est eius, quod nec ipsi Aduersarij negant. Sed ponamus eam ab omnibus antiquis vsurpatam fuisse,non tamen ab Apostolis,ad hanc rem adhibita fuit,neq; adhiberi præcepta.Quare oportet,vt consuetudinem,ac ceremoniam istam, relinquamus liberam, quam quilibet Episcopus liberè mutandi potestatem habeat.

Quod enim Aduersarij scribunt,non esse in nostra potestate positum, eiusmodi externas ceremonias, ad ędificationem fidei, mutare, id omni veritatis fundamento caret. In omnibus n.ordinationibus, ac ritibus Ecclesiasticis vnus Episcopus, tantumdem habet auctoritatis, quantum alter,vt supra declaratum est. Adhæc prędceptum est cuilibet Episcopo, vt omnes externas ceremonias ad ædificationem fidei instituat, exer-

ceant, vel etiam prętermittat: de quo Deus ab vnoquoque rationem postulaturus est, neque etiam potestatem habet vnus Episcopus, alterum propterea condemnandi, cùm nullus super alterum sit, vt Cyprianus benè scripsit. Nulla n. potestas est in Ecclesia Dei, nisi ad ædificationem.

Porrò quod Liber præcipit, ne vlla grauamina, aut vota, contra Scripturam ordinandis imponantur, cuiusmodi est Abiuratio legitimi Matrimonij, id cum Scriptura, quàm maximè consentit. Ea n. & Episcopos, & Clericos postulat, qui sint vnius vxoris mariti. Hic verò quæ ad cælibatum à Domino vocati non sunt, necesse est eiusmodi votum esse pernicio sum laqueum, quemadmodum, proh dolor, longo hactenus tempore nimis apertè per experientiam potuit, sed de hoc infra suo loco copiosius & exactius.

Quarta pars est, ab omnibus Ordinandis in hoc Libro exigi, vt fateãtur doctrinam eius certissimè esse vnicam Catholicæ Ecclesiæ Dei doctrinam, similiter vt polliceantur in ea tanquam absque dubio Christiana manere, ipsam fideliter tueri, docere, & secundum eius ordinationem viuere. Cùm totus Liber totius Ecclesiæ Christi doctrinæ in tam multis & insignibus locis ex Diametro contrarietur, nec vllum in scripturis habeat fundamentum. Vt omnis ordinandus ad ministerium Ecclesiæ, Christianam doctrinam prius profiteatur, & in eo fideliter se perseueraturum polliceatur, antiqua est & Apostolica constitutio, quod nec ipsos Aduersarios latet.

Iam verò indubitatum est, doctrinam Libri Reform. in S. scripturis firmissimè fundatam, & idcirco vnicam esse, certam, & indubitatam, Ecclesiarum Christi doctrinam. Aliter autem se rem habere, & minimè quidem hactenus probarunt Aduersarij, nec deinceps probabunt in sempiternum.

Hactenus ad Articulum de Ordinatione.

Vicesima septima Accusatio.

De Matrimonio.
Vtrum Coniugium sit Sacramentum.
Quatenus Coniugium debeat prædicari.
Vtrum secundæ nuptiæ debeant in Christiana Ecclesia celebrari.
De Sponsalibus contractis inuitis ac nescijs parentibus.
De forma benedicendi nuptijs.

Cap. CXVI.

HÆc Accusatio continetur septem partibus, quarum prima est. Librum non recipere Matrimonium in numerum Sacramentorum, cùm Paulus testatur, in verbis primi hominis, loquentis de Eua vxore sua, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo*

homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, magnum Sacramentum contineri. Oportere vtique igitur, vt Christianum Matrimonium magnum Sacramentum sit, sanctúmque signum admirandę & inseparabilis vnionis Christi, & sponsæ suæ Ecclesiæ.

Resp. Ad hoc supra responsum est in Articulo de Sacramentis in genere. Quod Matrimonium sanctam significationem in se habeat, beatámque Vnionem Christi & sponsæ suæ Ecclesię repræsentet: item quod in his verbis, *Relinquet homo Patrem & matrem suam*, &c. mysterium Christi comprehendatur, iuxta D. Pauli testimonium: & quod Coniuges à Deo non vulgarem gratiam consequantur, bene sanctéque in Matrimonio viuendi, hæc omnia Liber Reformation. cum omnibus Christianis vera esse agnoscit. Quod si Sacramentum est & significat, omne quod rem sacram designat & repræsentat, & ad quod Dominus gratiam suam largitur, neque hac ratione quisquam negat, Christianum Matrimonium benè posse Sacramentum appellari. Repræsentat enim communionem & vnionem, quę est inter Christum, & sponsam eius Ecclesiam: magnum sanè Sacramentum. Præterea Dominus non mediocrem gratiam & auxilium largitur his, qui in suo nomine matrimonio iunguntur. Verùm hoc modo oportet omnes ordines & status diuinæ vocationis, vt Parentum, liberorum, dominorum & seruorum, &c. etiam Sacramenta appellare: Sacra enim mysteria fidelibus designant. Parentum enim, & Dominorum conditio, diuinam paternitatem & dominium: nec non gratiam & adiumentum, quod Dominus nobis pollicetur, ac præstat, quando filij aut serui eius esse volumus.

Si verò Sacramentum ita accipitur, vt significet idem quod sacrum signum, à Domino ipso commendatum & institutum, quo nobis Dominus in Ecclesia sua, per publicum ministerium peculiarem gratiam & auxilium communicare vult, ad nouam vitam, quę in ipso est: cuiusmodi Baptismus, & S. Cœna, hac ratione Matrimonium non est Sacramentum, sed sacrum vinculum, copulatióque maris & fœminę, vt in Domino sint vna caro, ita vt maritus vxoris caput & protector, vxor mariti corpus & adiutorium sit, ad procreationem liberorum, siquidem eos Dominus largiri voluerit: ad vitandum fornicationem, & ad omnem humanam conuersationem.

De signo iungendarum manuum, & confirmationis Matrimonij in nomine Domini, supra dictum est in Articulo de Sacramentis in genere.

Porrò quod Aduersarij dicunt, doctrinam Ecclesię esse, quod Christianum matrimonium sit Sacramentum Ecclesiæ, id verum non est. Nouum enim commentũ est, & antiquis Patribus inauditum. Vnde factum est, vt in assertionis suę testimoniũ, nihil ex antiquis proferre potuerint. Doctrinam, quę Catholica esse debet, oportet, quemadmodum sępius iam dictum est, ab initio Christianarum Ecclesiarum, & semper, & vbique traditam fuisse, essęque scripturis consentaneam. Et quàm artificiosum, si Diis placet, argumentum connectunt. In his

verbis, *Erunt duo in carne vna*, latet magnum mysterium: Ergo Matrimonium est Sacramentum. Hoc benè sequitur, Mysterium Domini nostri Iesu Christi, & sponsę suæ Ecclesiæ in omni Christiano matrimonio significari, & repræsentari: non omne matrimonium esse mysterium ipsum. Et quis docuit istos ex mysterio facere Sacramentum? Sed vt calumnientur piè scripta hoc Libro, omnia perinde habent.

Quod dicunt eos, qui Matrimonium inter Sacramenta non numerant, Christianis permittere, vt plures simul quàm vnam vxorem habeant: item admittere diuortium ob plures causas, quàm solum adulterium: denique facto diuortio potestatem facere repudiatis iterum nubendi, legitimo coniuge adhuc superstite. Prima eorum assertio mera calumnia est, qua compositores huius Libri perstringunt. Hi enim docent, vt sicut Christus matrimonium in Ecclesia ad vnionem restituit, in qua fuerat à principio institutum, ita Christiani eam ordinationem obseruent, & vnus vir vnam tantum vxorem habeat. Docent etiam, Christianos non tantum non debere duas legitimas vxores simul habere, sed etiam illegitimas: quod Aduersarij suis Sacerdotibus publicè indulgent: atque idcirco se ipsos vna cum illis à regno Christi penitus alienos constituerunt.

Quod ad diuortium, & alteras post factum diuortium nuptias pertinet, nihilo plus concedunt, quàm concessit Dominus ipse: nempe, quod omnis Christianus adulterum perfecto diuortio, vt Christus hac de re loquitur, à se repudiare possit, Matth. 5. 19. & quod non sit seruituti subiectus frater aut soror, in huiusmodi casu, si ab infidelibus coniugibus deserantur, 1. Corinth. 7. Item, *vt quilibet suam vxorem, & quælibet suum maritum habeat, ad vitandam fornicationem, & honestè casteque viuendum.* ibidem. Item, *quod nemo debeat quenquam talibus pœnis afficere, quæ possint ei in laqueos peccati conuerti.* Sic enim scriptum est, *Væ homini per quem venit scandalum.* Matth. 18. Hæc omnia sunt verba Spiritus S. quibus firmiter adhærendum est. Antiqui Patres quoad hoc negotium sententiis variarunt, vt Erasmus in 7. cap. 1. Epistolæ ad Cor. declarat. Sanè Aduersarij ipsi admittunt diuortium suum propter sæuitiam, & impotentiam.

Verum de his rebus omnibus ne verbum quidem in libro positum est. Vnde rursus, vides Christiane Lector, quàm impiè Aduersarij rixarum, calumniarúmque causas & occasiones quærant.

Secunda pars huius Accusationis est, Librum nimis magnificare atque extollere sanctitatem status coniugalis, quasi nullus reperiatur sanctus, Quin & dictum illud, Gen. 2. non est bonum hominem esse solum, ita reddere Teutonicè, *es sei nicht gut das der mensch allein seye*, ac si malum sit hominem esse solum.

Resp. Liber Reformat. non plus Matrimonio tribuit, quàm facit S. scriptura. Et postquam omnis sanctimoniæ, vitęque pietas in fide charitatéque consistit, quis aliter dicat, quàm vnumquemque statum tantò sanctiorem, Deóque acceptiorem esse, quantò magis in eo charitas, ac prom-

prompta proximis nostris, iuxta verbum Dei, inseruiendi, voluntas, deprehenditur?

Porrò si dictum Domini, Gen. 2. *Non est bonum homini esse soli*, non benè ita translatum est, sicut id Christus Dominus ipse ad verbum protulit, sequitur, omnes sanctos Patres, id perperam interpretatos esse, qui id iisdem verbis reddiderunt. Verùm ex eo quod Christus dicit, Non est bonum homini esse soli, non sequitur, malum esse istis hominibus extra matrimonium viuere, quos Dominus ad seruiendum sibi extra Matrimonium vocauit. Christus enim hoc dictum suum, Non est bonum homini esse soli, de hominibus in genere, & de præsenti vita, non speciatim de singulis, neque de tota Electorum vita effatus est. Sermo D. Pauli, bonum est homini non tangere mulierem: item bonum est illis, vt ita maneant, prolatus est de vniuersa vita Electorum: quæ cum perfecta & absoluta fuerit, nullam amplius coniugalem communionem habebit. Et quoad hanc vitam, de hoc tantum genere hominum dictus est, quos Dominus ad cœlibatum vocauit, quibusque hoc donum & peculiariter largitus est. Equidem B. Apostolus Paulus, nihil potuit dicere contra Christum Dominum nostrum, cuius verba clarissima sunt, *Non est bonum homini esse soli.*

Quod verò Apostolus non in genere de omnibus Christianis, & hac præsenti vita locutus sit: sed de iis tantum quos Dominus ad cœlibatum vocauit, ipse satis declarat, cum in eodem loco statim subiungit. Cæterum propter fornicationem scilicet vitandam, quilibet vxorem suam habeat. Item, *Volo vt omnes sint sicut & ego sum.* Vnusquisque autem donum suum ex Deo habet, vnus quidem sic, alter vero sic. Item *Si verò se non contineant, nubant.*

Optimum quidem est Christo Domino & corpore & anima perpetuò adhærere, vitámque cœlestem mox auspicari, ac perfectè viuere. Quare bonum quoque esset, vt neque ederemus, neque biberemus, neque quoduis aliud corporale negotium exerceremus. Verùm Christus Dominus vnum in hac, alium in alia vitæ conditione constituit. Vni hoc, alteri aliud quoddam donum largitus est, vt sui in hoc quoque seculo corporalibus, coniugalibus, aliisque id genus officiis, sibi inuicem inseruiant. Vnicuique igitur consultissimum est, durante videlicet vocationis suę spacio, vt Domino Deo suo inseruiat, quemadmodum ab eo vocatus est.

Tertia pars est, Librum præcipere, vt omnes Matrimonio initiandi, quàm virgines, quàm viduę, benedicantur in Ecclesia coram toto populo Dei. Contra quod Canonem quendam producunt, Neocæsarienſis Concilij, testantem, pœnitentiam imponendam iis qui secundas nuptias contrahunt, neque idcirco vllum Sacerdotem debere in talibus nuptiis cibum sumere. Item aliud quoddam dictum D. Chrysostomi falsò assignatum, quod affirmat, secundas nuptias, iuxta veritatis computationem reuera esse fornicationem: Aliud item dictum Hieronymi, quod tamen retractauit, nempe cùm Apostolus velit mulieribus

quæ secundò nupserunt, panem Ecclesiæ subduci, multò magis subducendum eis esse panem qui de cœlo descendit. Hæc dicta habes in xxxi. q.i.cap.viii.ix.x.

Quod ad Canonem Concilij Neocæsarienſis, constat omnibus harum rerum peritus, eum de talibus δι᾽ ἀμφω loqui, vbi alterutra pars iniusta de caussa diuertens, altero adhuc Coniuge superstite alij vel mulieri, vel viro, se matrimonio iungit. Cùm enim Paulus non tantùm liberè dicat, eam mulierem, quæ marito suo defuncto, rursus in Domino nubit, non peccare: verum etiam iubeat, vt iuniores viduæ rursus nubant, quomodo vera Ecclesia Christi potuit tales ad pœnitentiam damnare? Hic fuit error Catharrorum.

Dictum, quod D. Chrysostomo falsò adscribitur, aperta calumnia est Sacri Coniugij, secundas enim nuptias veram fornicationem esse criminatur. Verùm cùm constet, iuxta sententiam D. Hieronymi, qui dictum suum paulò antè recitatum retractauit, octaua etiam vice matrimonium in Domino contrahere, non esse damnatum in Ecclesia Christi, qua fronte ausi fuerunt Aduersarij hæc dicta pro se adducere?

Iam cùm secundæ, tertiæ, & quartæ Nuptiæ, modò in Domino contrahantur, veræ nuptiæ sint, quibus Deus ipse homines coniungit, quare non etiam verbo Dei & oratione sanctificarentur & confirmarentur? Quæ consuetudo hactenus in maiori parte Ecclesiarum obtinuit. Hic rursus nota, Christiane Lector, in quem reprobum sensum, & absurdos sermones Christianæ Reformationis accusatio Aduersarios agat.

Quarta pars est impudentissima Sycophantia. In libro ponitur, Coniuges ita à Deo coniungi, & in vnum quasi hominem compingi, vt per nullam creaturam siue in cœlo, siue in terra, vnquam separari debeant: quod tanquam malè positum vituperant, Cùm morte soluatur Matrimonium, & non sit amplius in cœlo vllum coniugij vinculum.

Horum vtrumque verum est. At nunquid hoc quoque verum est. Homines quandiu vinculo Matrimonij, à Domino copulati sunt, per nullum hominem, nullámque creaturam, siue in cœlo, siue in terra separandas esse?

Quinta pars est, contrà id quod Liber prodit, Nos velle per impressionem euulgare, quos gradus velimus esse prohibitos, cum non leues sæpè turbas, & errores pariat ignorantia graduum, & consanguinitatis, & affinitatis, in quibus scilicet liceat Matrimonio iungi, in quibus minus.

Hic nota, Christiane Lector, quid sit de quo quæruntur Aduersarij, ac simul quales homines sint cognosce. Obiiciunt nobis vniuersale Cõcilij Lateranense, in quo dicunt enumerari, & explicari gradus prohibitos, nobis igitur non licere hac in re mutationem inducere. At quis vllius mutationis meminit? Et cũ idẽ concilium testetur, in talibus rebus

pro

pro opportunitate temporis, & neceſſitate hominum, mutationes inducendas eſſe: nobis verò totum Epiſcopale munus incumbat, vt iam ſæpius dictum eſt, quare non hæret nobis quoque hac in re nonnihil mutationis ad ædificationem inducere?

Sexta pars eſt contra id, quod omne Matrimonium, præter voluntatem parentum, aut parentibus defunctis, abſque Conſanguineorum, vel Tutorum conſenſu initur, non cenſemus ratum & legitimum.

Et tamen non ignorant, partim cum honeſtate naturali, partim cum legibus imperialibus, partim cum ipſa lege diuina pugnare, ſi iuniores præter concilium & voluntatem eorum, in quorum poteſtate ex diuina & ciuili ordinatione eſſe debent, Matrimonium contrahant. Et quid obſecro eſt, quod tempeſtiuo Concilio magis indigeat, quàm connubio iungi? quàm innumera pecunia admittuntur, vbi clandeſtinę deſponſationes impunè dimittuntur?

At dicunt, ſi iuuenibus permiſſum non fuerit, pro ſua voluntate, Matrimonium ineundi, dabitur Parentibus occaſio, vt proles fortè à commodo & vtili matrimonio prohibeant, aut relinquant contra earum voluntatem innuptas, aut certè ad ineptum aliquod Matrimonium cogant. Quaſi verò huic Parentum tyrannidi, non longè melioribus rationibus occurri poſſit, etiamſi Iuuenibus non libera relinquatur poteſtas, pro ſua voluntate Matrimonium ineundi, Quàm inepta connubia vitari poſſint, ſi eis concedatur, pro ſuo arbitrio matrimonia contrahere. Etenim longè maior ſpes eſt, de prudentia & amore Parentum, quod non velint proles ſuas nimis diu à Matrimonio prohibere, ſi commoda illis & vtilia matrimonia obtingant. Vel ad inepta & inuita cogere, etiamſi iuuenibus non concedatur, per ſe, ſuáque ſponte, matrimonium inire: quàm de ſtoliditate ſtultíſque iuniorum amoribus, quod ſemper honeſta, vtiliáque matrimonia ſint contracturi, ſi id eorum arbitrio relinquatur.

Quòd ſi quidam Parentes inuenirentur, & qui hac in re paterno munere ac poteſtate abuti vellent: nihilominus tamen verbum Dei ſtabile & immotum manet, quòd liberos poteſtati Parentum ſubiicit, eíſque mandat, vt Parentes ſuos digno honore proſequantur.

Qualis verò honorandi Parentis ratio eſſet, ſi tantam ac tanti momenti rem, imò plenam ſui ipſius permutationem, & à paterna poteſtate abalienationem, quę omnia in matrimonio includuntur, ſine conſenſu ac voluntate Parentum ſuſcipere vellent? Occurratur tyrannidi parentum, quemadmodum leges Imperiales faciunt, bono ordine, ac ſtrenua executione, nec permittatur iuuentuti tam impia temeritas.

Gelaſius Papa, & Patres in Conciliis, Pariſienſi, Aurelianenſi,

Meldensi & Aquisgranensi, quorum Canones introducuntur xxxvij. q. 1. & ij. definiunt, Raptum esse, vbi quis puellam eo animo ducit, vt eam in vxorem habeat, sine consensu Patris, licet Puella consentiat. Volúntque talem raptum nemini posse ignosci, nisi puella restituatur. Hoc requirunt isti Canones: Nihilominus tamen audent Aduersarij affirmare, quod aduersentur. Interim agnoscunt, veteri Testamento, hoc est, æterno verbo Dei consentaneum esse, quod in Libro ordinatur. De Canonibus quidem multum deblaterant, at ne vnum quidem, quem adducant, habent. Omnia enim eorum, nihil aliud sunt quàm calumniæ præstigiæque, quibus lumini veritatis tenebras offundere conantur.

Septima pars est, contra formam coniũngendi & benedicendi Matrimonium, cum in ea ne verbum quidem insit, quin sit ex S. scriptura desumptum. Tantummodo sic instituta est, vt omnia in ea, & ab hominibus plenius intelligantur, & animis eorum melius imprimantur: quo & fidei ædificationem apud illos prouehere possint, & ipsi non solum ibi spectatores, & auditores, tanquam magicæ cuiusdam & idololatricæ mussitationis ac significationis agant, Vnde non modò non ædificentur, verum etiam grauissimè offendantur: partim quod in non intellecta, neque credita Sacerdotis recitatione, & signatione fiduciam ponunt, sine vera fide in Christum, & ad manifestam eius ignominiam: partim quod magis impios ibi iocos & ludos exercent, sicut apud Aduersarios frequenter fieri solet. Quem abusum hactenus non ita taxarunt quemadmodum Christianam benedicendi matrimonia formã, ad normam indubitati, & infallibilis verbi Dei institutam, sine omni pudore insectantur & oppugnant.

Vicesima octaua Accusatio.

De visitatione Infirmorum, & extrema Vnctione.

Vtrum extrema vnctio sit necessaria.

Vtrum ægroti non sint docendi, vt omnem fiduciam suam plenè ac firmiter in Christo collocent.

Vtrum infirmi fidere debeant suffragiis Ecclesiæ, quæ facit pro iis post verum ex hac vita discessum.

Cap. CXVII.

PRAESENS Accusatio tres habet partes. Prima est de Vnctione, quam liber prorsus eliminet, Adducunt auctoritates, Marc. 6. & Iac. 5. Chrysostomi, Theophylacti, Hieronymi, Augustini, Innocentij, Eusebij, Sulpitij, Gregorij, Bedæ, & vniuersi orbis Christiani.

Quantum

Quantum ad auctoritates Marci & Iacobi, vsumque vnctionis pertinet,& vtrum ea sacramentis annumeranda sit,supra dictum est in Articulo de Sacramentis in genere.

Quoad auctoritatem Chrysostomi,videatur adductus locus,libro 3. de Sacerdotio,cap.6.& in eo nihil aliud inuenietur, quàm D. Chrysostomum, quando probare vult, Sacerdotes habere potestatem precibus suis hominibus succurrendi, nec non post Baptismum peccata remittendi,citare dictum Iacobi,eo loco, *infirmatur quis inter vos? accersat Presbyteros vsque ad ea verba, & si in peccatis fuerit, remittentur illi.* Verùm quod Presbyteri debeant, infirmos vngere oleo, & quid vnctio sit, ne verbo quidem meminit, sed tantummodò hunc locum adducit, ad probandum, quod Sacerdotes possint nobis precibus suis subuenire, & non solum nos regenerare, verum etiam peccata remittere. Inspiciat eius verba qui volet.

Theophylactus magis contra, quam pro Aduersariis facit. Vnctionem enim de qua Iacobus scribit,assimilat illi,quæ commemoratur apud Marcum,& vtranque eiusdem esse generis agnoscit. Iam constat vnctionem olei,cuius meminit Marcus, miraculum fuisse,cuius edendi potestatem,tunc temporis dedit Dominus discipulis suis,ac deinceps quibusdam aliis,sicut Eusebius,quem citarunt Aduersarij, de discipulis Antonij narrat,& Sulpitius de S. Martino. At verò non omnibus mandauit,vt talia miracula edant, neque vnctionem in publicum Ecclesiæ Sacramentum ordinauit.

Hieronymum quoque allegant. Loca autem in quibus de vnctione Sanctus iste Pater loquatur,tacent. Quod si aliqua nobis produxerint, in quibus de vnctione Infirmorum loquatur,eámque pro Sacramento vsurpandam dicat,tunc eis à nobis respondebitur.

Librum Augustini quem citant, nouerunt non esse eius. Apud Innocentium Papam nihil aliud inuenitur,quàm licere infirmos vngere iuxta dictum Iacobi:non quod sit Sacramentum, cuius vsus sit necessarius: nec quicquam aliud ex auctoritatibus Gregorij & Bedæ colligitur.

Porrò quod audent scribere, vnctionem esse vniuersalem traditionem, hactenus toto orbe Christiano vsitatam, id falsum esse apertè euincitur:primùm ex eo quod Dionysius, qui tamen narrat, quomodo suis temporibus, & in sua Ecclesia soliti fuerint, super cadauera mortuorum, oleum effundere, aliósque quamplurimos Sacræ vnctionis vsus enumerat, Vnctionis Infirmorum ne verbo quidem meminit.

Deinde etiam ex hoc quod nobilitate generis, & eruditione clarissimus, Dominus Damianus Goes,Portugallensis, ex ore cuiusdam Episcopi, & Legati ex Æthiopia, nomine Zegarabo, conceptum descripsit, ac per impressionem euulgauit, quod Christiani in Æthiopia,sub magno Æthiopum Imperatore, precioso Iohanne, Chrisma

siue oleum Infirmorum, neque pro Sacramento, neque in vsu habeant. Patet igitur Aduersarios dum scribunt vnctionem esse vniuersalem traditionem, toto orbe Christiano vsitatam, manifestum mendacium commisisse.

Quam verò ob caussam vnctio ista fuerit in libro Reformationis prætermissa, etiamsi in multis Ecclesiis, antiquissima ceremonia sit, indicatum est supra, in articulo de Sacramentis in genere.

Altera pars est, quod Liber docent Pastores infirmos certos & securos reddere, quò tutò & certissimè credant, omnia sua peccata, ab eis in Christum translata, à Christo verò prorsus ablata, & in nihilum redacta.

Contra hoc adducunt primo duo adulterina scripta, nempe Exhortationem ad pœnitentiam, quę falsò D. Ambrosio adscribitur, & Commentarios in Psalmos D. Hieronymo perperam tributos. Et ex primo citant, Ambrosium non ausum fuisse affirmare, quod is qui in articulo mortis iaceat, & tunc velit pœnitere, securè hinc discedat. Ex altero, quicunque sanctus moritur, non vadit ad Dominum securus, Martyr autem securus vadit ad Dominum.

Hoc loco rursus nota Christiane Lector, quo nostros Aduersarios Christianæ Reformationis odium rapiat, vt tam horrendas blasphemias non vereantur, eructare, idque ex tam falsò confictis Libris. An non docendi sunt infirmi, vt omnem fiduciam ac spem suam in Christo collocent, & firmissimè credant, quod is pro peccatis suis propitiatio sit, & satisfecerit? In quonam alio spem firmam habere debent? An non infirmi, quibus largitur Dominus, peccatorum suorum pœnitentiam ac fidem, in se habent vitam æternam? Vel nunquid verum non est in illis verbū Domini, *qui credit in me habet vitam æternam?* Quod si vel maximè verum esset, Purgatorium esse in quo velit Dominus, suos post hanc vitam, pleniorem pœnitentiam agere, & pro peccatis suis satisfacere, num idcircò admittendum est, vt ægroti sine certa fiducia, ac spe in Christum, vt qui peccata ipsorum abstulerit, ex hac vita discedant? Hinc profectò necessariò sequeretur, Purgatorium ea iamprimum peccata abolere, quæ sanguis Christi non potuerit abluere, essèque non modo debitarum pœnarum, verùm etiam culpæ ac reatus persolutionem: quod ne ipsi quidem Purgatorij assertores dicere audent.

Ecce qualis hæc sit contumelia Domini nostri Iesu Christi, & passionis eius, qua non dubitant Aduersarij, taxare librum Reformationis, iubentem infirmos, de plena perfectáque peccatorum suorum remissione, certos & securos reddere, citántque talia scripta, quæ docent, neminem omninò, solis Martyribus exceptis, securum de gratia Dei, & æterna salute ex hac vita emigrare. An non longè verius est, Patrem omnium nostrum, qui in ipsum credimus, iniquitatem in dilectum filium suum, Redemptorem nostrum transtu-

transtuliſſe, eum pro illis omnibus ſatisfeciſſe, eáque penitus abſtuliſſe ab omnibus, qui fiduciam ſuam firmiſsimè in eum collocant? Quàm longè aliter, magíſque Chriſtianè, D. Cyprianus hac de re ſcripſit, qui in Tractatu contra Demetrianum audet omnes Gentiles ſecuros reddere, quod gratiam & miſericordiam Dei, per Chriſtum inuenturi ſint, ſi modò eam quærant, & continuò ad immortalitatem tranſituri, ſi eam ſub ipſo licet exitu petant. Vide hoc dictum ſupra in articulo, de memoria defunctorum.

Secundò adducunt pro iſta abominatione ſua, qua dicunt, Infirmos non debere de plena miſericordia Dei, per Chriſtum Dominum certos ac ſecuros reddi. Antiqua Concilia quæ ordinarunt, vt licet pœnitentibus, (hoc eſt, qui publicam pœnitentiam agebant) imminente morte, reconciliatio & abſolutio (pœnitentia licet nondum impleta) non debuerit negari. Hoc tamen factum eſſe conditionibus & pactis, vt ſi ab infirmitate conualeſcerent, pœnitentiam implerent, & abſolutionem ab Epiſcopo acciperent.

At qui hæc de pœnitentibus ordinatio adimit illi, qui imminente morte à peccatis ſuis, in Chriſto abſoluuntur, debeant etiam de plena gratia, & miſericordia Dei, in Chriſto certi ac ſecuri reddi? Equidem iniuncta pœnitentia non eſt ſatisfactio pro peccatis, quod Aduerſarij ipſi ſupra in Articulo de Satisfactione confeſſi ſunt, ſed externa tantum humiliatio, in eum finem inſtituta, vt vehementior in peccatore, de peccatis ſuis pœnitentia, & dolor excitetur, ac mortificatio peccati prouehatur, ad cæterorum in Eccleſia Chriſti ædificationem. Quamobrem licet antiqui, à pœnitentibus impletionem iniunctæ pœnitentię requiſierunt, etiam poſt abſolutionem, imminente morte illis communicatam, nihilominus tamen infirmos, quos ante impletam pœnitentiam abſoluebant, de abſoluta miſericordia Dei, vitáque æterna certos & ſecuros reddebant, ſi quando eos Dominus, nondum impleta pœnitentia, ex hac vita euocaturus erat. Quicunque enim in Chriſto liber à peccatis pronunciatur, & abſoluitur, is quàm maximè fieri poteſt, certus ac ſecurus reddi debet, vt nihil dubitet peccata ſua, iuxta ipſius Domini verbum, ſibi certiſſimè ac pleniſſimè condonari, quando Eccleſia ei ignoſcit, quódque in cœlo certiſſimè ſolutus ſit, quando ſoluitur in terris. Hoc ipſum fatentur Aduerſarij, in aliis locis. Verùm vt omnia piè ac Chriſtianè, in Libro Reformationis poſita, calumniis ſuis infectentur, non erubeſcunt, ſi & ſibi ipſis, & Chriſto Domino, & omnibus ſanis doctoribus contradicant.

Tertia pars huius accuſationis eſt de eo quod Liber Reformationis, non facit infirmos fidere Orationibus & Oblationibus, quas Eccleſia poſt mortem eorum, pro illis offert. Dicunt ex iſta infirmorum certificatione Auctores Libri, hoc dictum & inſinuatum voluiſſe, Oratione pro defunctis nihil omninò opus eſſe, eóſque qui in ſupremi Spiritus exhalatione crederent tantum,

sed tempus vitę suę absque timore Dei peregerint: pœnitentiam autem ante mortis exitum, nullam egerint, non debere sibi de futura post mortem vita, metuere; sed euolare statim ab ore ad cælum.

Responsio.

Liber docet infirmos, per veram pœnitentiam suorum peccatorum, misericordiam apud Deum, per Christum quærere, orare, ac sperare, omnémque fiduciam suam, penitus in Christo collocare, & de hoc ipsius verbo nihil omninò ambigere. *Amẽ, Amen dico vobis qui Sermones meos audit, & credit in eum qui misit me, is habet vitam æternam, nec venit in iudicum, sed de morte in vitam transiuit*, licet omnibus diebus vitæ suæ latro, vel sacrilegus, vel Sacramentorum venditor fuisset.

Verùm quomodo antiqui, quos Aduersarij citant, pro defunctis orauerint, & ad quid Oratio, pro defunctis conducat, supra declaratum est, in articulo de memoria Christianorum Laicorum iam defunctorum. Quam vide, & solidam inuenies doctrinam, de omnibus quę Aduersarij hoc loco adducunt.

Vicesima nona Accusatio.

De communibus Ecclesiæ Exercitiis, nempe Psallendi, orandi, legendi, &c. & septem horis Canonicis.

Cap. CXVIII.

Hæc Accusatio duas habet partes, quarum prima est, contra id quod liber ordinat, in articulo de ritibus Ecclesiasticis, vt in ciuitatibus, diebus profestis, duo in singulos dies conuentus populi habeantur, cum lectionibus, orationibus, & Psalmis, quantum populus & ministri ferunt.

Item contra id quod in Libro ordinatum est, in Articulo de Scholis puerilibus, vt Ludimagister vna cum Scholasticis, conciones in Ecclesia iuuet, tam festis, quam profestis diebus, pro cuiusque loci conditione.

Quódque iuuenes tempore brumali non debeant, æquo longius in templis detineri, ne valetudo eorum frigore oblædatur. Item, ne ita cantionibus occupẽtur, vt id studia eorum remoretur. Pertinere etiam ad grauitatem & religionem Sacrarum actionum in templis augendam & tuendam, ne cantiones nimium variæ, nec prolixiores habeantur. Item contra id, quod in Articulo de Reformandis Collegiis Canonicis constitutum est, vt in Capitulo summi Collegij Colonienſis, & aliis, lectiones & cantiones in templo sic comperentur, & moderentur, vt quæ lecta vel cantata fuerint, omnia depromantur ex diuinis literis, aut non sint illis dissentanea, & ad hoc negocium pij doctíque concionatores istituuntur.

Hęc sunt Christiane Lector, quæ Aduersarij reprehendunt: at quo Spiritu, tu ipse iudicato. Verum non solum ordinationes Sacris literis

literis maximè consentaneas vituperant, verumetiam peruertunt ac deprauant.

Vbi enim in Libro positũ est, vt in ciuitatibus profestis diebus quotidie binæ congregationes populi habeantur, quantum populus & ministri ferunt: ibi rursus suum (tantum) admiscent, scribentes, Librum ordinare vt diebus non festis bis tantum in hebdomada fiant conuentus. Quod non habetur in Libro: sed verba potius ita posita sunt, vt significent, si per populum & ministros obtineri posset, gratius nobis fore, si plures sacri conuentus celebrentur, quàm duo tantùm: nempe quatenus ex animo, & ad verum pietatis profectum coguntur: non sine mente & intellectu, tantummodo prębendarum & exhibitionum caussa, ne audiamus à Domino Deo nostro, cum populo Israëlitico: *Cùm in conspectum meum venitis, quis hoc postulauit à vobis, vt atria mea conculcetis. Ne vltra afferatis frustraneum munus, incensum res est mihi abominanda, neomenias, Sabbathum, & statas ferias odi*, &c. Item, *Remoue à me strepitum canticorum tuorum, & concentum nablorum tuorum non audiam.* Amos. 5.

Secunda pars est, de septem horis Canonicis, de quibus multos Patres allegant, mentionem eorum facientes.

At huic nemo aduersatur. Quàm verò gratum nobis foret, quanto studio id promoturi essemus, si quidam homines essent, qui septem vel potius octo oras canonicas precationis obseruare vellent, sicut ab antiquis Patribus obseruatæ sunt.

At vbi sunt, qui ex vera fide & spiritu, primum omnium media nocte ad opus istud surgant, & in veritate psallant, *Nocte surgentes vigilemus omnes, semper in Psalmis meditemur*, atque, *Nisibus totis Domino canamus dulciter hymnos, &c.*

Consimili modo ante exortum solis in aurora. *Ecce iam noctis tenuatur vmbra, Lucis aurora rutilans coruscat*, &c.

Tum tertiò ad primam horam diei, *Iam lucis orto sydere, Deum precemur supplices, vt in diurnis actibus, Nos seruet à nocentibus.* Hæc est vera Prima.

Rursus Quartò post tres horas, hoc est, ad tertiam diei horam, de missione Spiritus sancti, Act. 2. de qua missione totus hymnus horas canonicæ sonat. *Nunc sancte nobis spiritus, vnum Patri cum Filio, Dignare promptus ingeri, Nostro refusus pectori.* Vera hæc est Tertia.

Quintò rursus post tres horas, hoc est, ad Meridiem, hora sexta diei, *Rector potens, verax Deus, qui temperans rerum vices, splendore mane instruis, & ignibus meridiem.* Hæc est vera sexta.

Sextò, iterum post tres horas, hoc est, ad nonam horam diei. *Rerum Deus tenax vigor, Immotus in te permanens, Lucis diurnæ tempora successibus determinans, Largire claram vesperam.* Hęc est Nona, quando dies inclinatur ad vesperam.

Septimò ad vesperam, *Lucis creator optime, lucem dierum proferens,*

Primordia lucis nouæ, Mundi parans originem, Qui mane iunctum vesperi, diem vocari præcipis, Tetrum chaos illabitur, Audi preces cum fletibus.

Octauò, postquam omnes actiones diei completæ sunt, & homines se dant quieti, hoc est ad Completorium, *Te lucis ante terminum, Rerum Creator poscimus, vt solita clementia, Sic præsul ac custodia. Procul recedant somnia, & noctium phantasmata.*

Vide Christiane Lector, non septem tantùm, sed octo distinctas precandi & psallendi horas quosdam ex antiquis vere religiosis, ac Deo deditis Clericis, & Monachis obseruasse. Diem enim sicut & noctem in duodecim æquales horas distribuebant: & diurno tempore semper post tres horas conueniebant, suásque lectiones & precationes seruabant. In principio quidem diei Primam, vt testatur Hymnus: post tres horas Tertiam: rursus post tres horas Sextam: & rursus post tres horas, Nonam: tum ad vesperam, vespertinas: postremò cum tempus nocturnum ingrueret, & lux diei finita esset, Completorium.

Nocturno quoque tempore ad primum gallicinium, deinde ad medium noctis: tum ante exortum solem tempore matutino statos conuentus, cum lectionibus, orationibus & psalmis habebant. Medio tempore inter horas canonicas interdiu, nec non aliqua parte noctis, vel S. scripturarum lectioni ac meditationi operam dabant, vel boni quid scribebant, vel etiam manibus laborabant.

At prodeant Clerici vel Monachi in Ciuitate & Diœcesi Coloniẽsi, aut etiam alibi, quorum deuotio tanta sit, vt vellent distinctas illas precandi horas vera fide & spiritu obseruare, si eis præbendæ ac beneficia sua perinde concederentur, si eas obseruare non cogerentur? Exiguus sanè foret talium Canonicorum & Monachorum numerus. Et tamen iam dudum desierunt Clerici septem aut octo horas Canonicas obseruare, sed communiter tres tantum: vnam mane ad Matutinas: quod tamen æstiuo tempore clara die faciunt: deinde frequenter circa horas tertias, quo tempore dictas Primas, Tertias, Sextas, & Nonas: in Quadragesima verò vespertinas quoque preces coniungunt, sicut etiam ad tertiam horam Canonicam vespertinas, & Completorium simul expediunt. Monachi primas suas interdum separatim seruant, sicut & Nonam, communiter tamen non eo tempore, quo antiqui, & ad quod hymni diriguntur.

Verùm an non est horribile ludibrium Maiestatis diuinæ, clara luce canere, Nocte surgentes, vigilemus omnes &c. Sic de Meridie, de die inclinata, de vespera canere ante Meridiem? Item, septem vel octo precationes à tempore separatas & distinctas Canonicas horas appellare, eas verò in tali discrimine non obseruare? An Deus eiusmodi ludibrium ac contemptum sui tolerare potest, quod sub prętextu cultus diuini, tam ampla Ecclesiæ bona accipiunt, & absumunt, quæ pro Cura animarum, ac sustentatione pauperum principio fundata, Deóque dicata fuerunt?

Chryso-

Chrysostomus Hom. 6. in 1. ad Tim. scribit, *Nouerunt fideles, quomodo diebus singulis, manè & vesperi preces fundantur ad Dominum*, &c. In Actis Concilij Agathensis, Can. 30. trium conuentuum mentio fit, nempe præcum matutinarum, Missæ ad horam tertiam, & vespertinarum. Atque vtinam res eò reduci possent, vt quotidie bini vel terni sacri conuentus in ciuitatibus cogi possent, in quibus Deus in spiritu & veritate inuocaretur. Ordinatum quidem est in Concilio Agathensi, vt de Celebratione Missarum cap. allegat. vt Sacerdos procuret, quò vel ipsum, vel per Scholasticos, Prima, Tertia, Sexta, & Nona, Vespertinæ quoque debitis horis publicè peragantur: annexum tamen est, iuxta possibilitatem. Verum homines isti perpetuò inanes ceremonias respiciunt, quod tamen abominatio est in conspectu Dei.

Postremò quod Aduersarij rursus dicunt, Nos non posse solos aliquid in hisce Canonicis horis mutare, ad hoc sæpius iam responsum est. Totum Episcopale munus administrandum demandatum est, quare tenemur omnes ritus Ecclesiasticos ad pietatis propagationē instituere.

Tricesima Accusatio.

De diebus festis, De festo Natiuitatis & Assumptionis Mariæ.

Cap. CXIX.

EA duas habet partes: Prima est de eo, quod Liber non tot dies festos ordinarit, quot apud Aduersarios vulgò sūt in vsu: imprimis quod festa Natiuitatis & Assūptionis Marię prętermisit: festísque diebus Apostolorum pomeridiano tempore ad labores redire permittit. Contra quod Concilia & Patres obiiciunt.

Hoc loco debebant etiā indicare, quid antiqui Patres ferias appellauerint, Eas enim solas pro Christianis feriis habuerunt, quando semetipsum homo ab omnibus corporalibus & mundanis negociis, in hunc finem subducit, vt in S. cœtibus, & aliâs verbo Dei, Sacramentis & Orationi liberius vacare possit. Vlterius ocium nunquam docuerunt. Iam verò per superstitiosas actiones in Ecclesiis diebus festis, res in Ethnicum istum abusum peruenerunt, vt populus nullo tempore omnis generis immodestia, & intemperantia, Deum grauius offendat, quàm diebus festis: ad quem sanè non decet vt Christianus Episcopus conniueat. Porrò quantum attinet ad ocium à corporalibus laboribus, cùm nihil de eo neque in Conciliis decretum, neque à S. Patribus præceptum sit, quæ tandem causa fuit Aduersariis, vt nos propterea reprehenderent, quod subditis nostris permittimus, vt in quibusdam diebus festis vtile quid laborent: præsertim pomeridiano tempore, quo plerumque vino & compotationibus homines indulgent, vel in alia scandalosa negocia se ingerunt.

Quod ad festa Natiuitatis & Assumptionis Mariæ attinet, constat,

neutrũ eorum temporibus Augustini & Hieronymi in vsu fuisse: quod facile quiuis animaduertere potest ex enumeratione festorum, quæ partim habentur apud Hieronymum in quartum caput ad Galatas: partim apud Augustinum ad Ianuarium, Epist. 118. & C. de feriis, lib. 2. 3. 7. 10. In istis locis non plura festa recensentur, quam Natiuitatis, Epiphaniæ, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, missionis Spiritus Sancti, memoriæ Petri & Pauli: & in qualibet Ecclesia eorum Martyrũ, qui excellentiores & celebriores erant. Quamuis nullibi mentio fit, quod in eiusmodi diebus, quibus memoria beneficiorum Dei, & Sanctorum Martyrum celebratur, quo tempore populus in Ecclesiam conuenire solet, abstinendum sit ab vtilibus laboribus. Omnes autem profanæ, & ad ędificationem nihil pertinentes recreationes & ludi, vt sunt spectacula, & id genus alia, diebus festis sunt prohibita: actiones item forenses, & negociationes, sicut & in Decretalibus, de Feriis. Quare compotationes, aleæ, & reliquæ vanitates multò magis interdici debent. Verùm de hoc parum solliciti sunt Aduersarij. Deinceps conantur probare, quod hæc duo festa Natiuitatis, & Assumptionis Mariæ fuerint temporibus Augustini: ídque ex antiquis homiliis, & sermonibus de iisdem festis.

Hoc loco rursus cuiuis Christiano perspicuum est, quod Aduersarij contra propriam conscientiam hoc argumentum producant. Probè enim sciunt, quod nullam possint Homiliam proferre, quã ipsi agnoscant esse vel Augustini, vel Hieronymi: Legatur quid Erasmus cum veritate de eo libello iudicauerit, qui de Assumptione Marię compositus, & D. Hieronymo perperam attributus est. Item de eo, qui titulo Augustini inscriptus est, vnà cum Sermonibus. Eadem omnino ratio est & Sermonum de Natiuitate Virginis, quod festum est adhuc recentius.

Vlterius ratiocinantur Aduersarij, dicentes, Si ęquum est, solemnem agere diem natalitium Ioannis Baptistæ, qui tantum minister, nuncius & præcursor fuit Christi. Quanto æquius celebremus diem natalitium Sanctissimæ Virginis Mariæ, quam Deus ab æterno in Sanctissimam & Immaculatissimam matrem vnigeniti Filij sui, Domini nostri præordinauit.

Responsio.

QVare non igitur solemnis dies Passionis Christi, quemadmodum Apostolorum & Martyrum? Perpende, Christiane Lector, qualis diuinarum rerum peritia in hoc argumento se exerat. Num indigent sancti nostra feriatione, ac celebratione in diebus festis. Quid vtilitatis aut emolumenti ex nostro ocio, celebrationéque festorum percipiunt? *Magnificat anima mea Dominum* (canit Maria Mater Domini, & cum ea omnes sancti in cœlis) *& exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.*

In hunc finem instituenda sunt, & obseruanda festa, vt beneficia Dei melius agnoscamus, meditemur, ac prędicemus: fidem nostram in Christum, & nouam diuinámque vitam confirmemus ac prouehamus, in eo

in eo quod ex animo in Domino conuenimus, summa deuotione verbum eius audimus, Sacrosancta sacramenta percipimus, preces fundimus, Dominum celebramus, munera nostra offerimus: cuius rei gratia festis diebus ab omnibus aliis occupationibus quiescere, & iltis exercitiis nos totos ex animo dedere debemus. Porrò cùm Christus miracula sua, beneficia, & initium salutis nostræ in Natiuitate Iohannis nõ modo tam insigniter operatus sit, verum etiam per Euangelistam Lucam copiosissimè scripto consignari voluerit: de Natiuitate verò matris suæ nihil eiusmodi reuelauerit: & Ecclesia Christi (quemadmodum in secundo sermone, ex his qui D. Augustini nomine circumferuntur, Christianè positum est) Apocrypha, hoc est, incerti Auctoris scripta non modò non admittat, sed ne quidem agnoscat, maiores sanè magísque rationabiles causæ existunt, festa celebrandi Natiuitatis Ioannis, quàm Mariæ: cùm Dominus gratiam suam, & miranda salutis nostræ opera de Natiuitate Ioannis copiosius ac per fide dignos testes suos certius memoriæ prodi voluerit, quàm de Natiuitate matris suæ. Domino enim festa celebranda sunt, non sanctis: atque ideireo ex instinctu ipsius, & traditione suorum operum.

Consimili modo cùm de ministerio Apostolorum in salute mundi certam habeamus in in S. literis mentionem, causam quoque habemus dies eorũ solemnes agẽdi, ad diuina miracula, propter omniũ nostrũ salutem edita (omnino enim per Apostolos Sacrosanctum Euangelium accepimus) tanto solennius celebranda, ac maiori cum fructu meditanda. An verò memoriæ Apostolorum præcisè debeant illis diebus obseruari, quibus ex hoc sæculo emigrarunt, de eo nihil certi extat. Vnde est, quod nec Ecclesiæ Christi quicquam hac de re tradere voluerunt. Quapropter in recentioribus quoque ordinationibus hymnorum & precũ Ecclesiasticarum ad dies Apostolorum, nihil aliud, quàm quod scriptura de illis commemorat, proponitur.

Et quamuis veteres iudicarunt, memoriam Apostolorum & Martyrum iisdem diebus, quibus ex hac vita excesserunt, celebrandam esse, id tamen non ea intentione fecerunt, quasi totum migrationi cultum aut honorem præstare volentes. Sed quoniam virtus misericordiæ Dei, in eorum ex hac vita discessu, fortíque & infracta nominis sui confessione per mortem, & martyrium eorum clarissimè eluxit, & ne talium dierum memoria obliteraretur, cuius rei gratia Cyprianus diligentissimè eos sibi annotari curauit, eiusmodi memorias miraculorum Dei, in sanctis suis editorum, libenter in ipsis diebus, quibus hanc vitam reliquerunt, celebrarunt.

Iam verò de discessu Marię nulla extat Catholica historia, quemadmodum paulò antè citatus sermo verissimè testatur. Quare non est, vt multa de eo prędicemus, aut festos dies instituamus.

Interim Christianus dubitat, gloriosissimam matrem Domini viuere cum cum dilecto Filio suo in æterno ac cœlesti gaudio. Tamen quoniam non reuelauit Dominus, quomodo eam ad sese receperit, neque nobis conuenit, curiosè de eo perquirere, aut festa & solemnitates insti-

tuere. Veritatis Filij sumus, Filij Dei, ex verbo eius renati, ex quo solo viuimus: in quo manere, nihilque vel addere illi, vel ab eodem auferre debemus: cum nemo melius ac fidelius nos docere possit, quàm ipse Dominus?

Atque haud dubiè, quod Dominus noluit plura de stupendis miraculis, in charissima matre sua editis, per Euangelistas memoriæ prodi, idcircò factum est, ne idolatriæ, quam sub prætextu venerationis eius subirrepturam præcognouit, occasionem & ansam præberet. Propter eandem caussam tam duriter eam allocutus est, Mulier quid mihi tecum rei est? Ioan. 2. Et, Ecce mulier Filius tuus. Item, Quæ est mater mea, &c. Etiamsi enim sanctissima virgo Maria, Seruatorem nostrum corporaliter peperit, ipse tamen est, qui & eam, & omnes homines creauit, redemitque, quem solum & nos, & ipsa adoramus, & tanquam Deum, atque vnicum Seruatorem nostrum colere & inuocare debemus.

Tripartita historia Ecclesiastica, lib. 9. c. 38. testatur, neque Dominũ, nec Apostolos quicquam de festiuitatibus legali modo docuisse, vel pœnam in earum transgressorem constituisse, quemadmodum lex Mosis. Sed quoniam diligunt homines huiusmodi celebritates, propterea quod in eis à laboribus requiescunt, ex quadam consuetudine memoriá salutaris passionis, ac glorioſæ resurrectionis Christi, ac deinceps alias festiuitates instituisse. Intentionem enim Apostolorum non fuisse de diebus sancire festiuitatem, sed conuersionem rectam, & Dei prædicare culturam. Quoniam autem Dominus vult, & ad ædificationem plurimum adiumenti adfert, vt solemnem commemorationem agamus mirabilium beneficiorum suorum in electis suis hominibus, idem etiam de glorioſa matre eius nobis faciendum est. In hoc verò verbum eius imitandum nobis est: ac de certis miraculis, in verbo eius nobis traditis, non de stultis hominum figmentis, festa instituenda. Quapropter tres insignes memorias B. Virginis, vel potius insignium miraculorum Dei in ipsa editorum, ordinauimus. Primùm, Quomodo facta sit Mater Domini, In festo Annunciationis. Alterum, quomodo locupletia dona Dei, apud S. Elizabetham declarauerit ac prædicauerit. Tertium. Quomodo dilectum Filium suum in Templo obtulerit, & vaticinium de regno Filij sui, ac propria cruce à Simeone audierit.

Hęc miracula sua curauit Dominus ipse per Euangelistas suos scripto consignari. Figmenta verò de Natiuitate, eiúsque ex hac vita excessu, nullum veritatis fundamentum habent. Quamobrem quicunque Christum Dominum rectè nouit, & veram matris eius venerationem intelligit, is rogabit Dominum, vt memoriam sanctissimæ virginis, in diuinis ac certo cognitis operibus suis celebrare, hominum verò commenta libenter dimittere possit.

Quare cùm ita colligunt Aduersarij, Ecclesiæ Christi dies illos quibus Apostoli ex hoc mundo migrauerunt, festos agunt, Quanto magis

magis igitur diem illum, quo nunquam satis laudata virgo Maria secundum carnem obdormiuit, celebramus? ita illis respondendum est. Primùm Ecclesiæ Christi memorias Apostolorum celebrant in iis operibus Dei, quę scriptura de eis commemorat, non autem, quomodo ex hoc mundo migrarint, qua de re nulla fit in Scripturis mentio. Porrò quod Martyrum memorias libenter in illis diebus celebrant, quibus eos ex hac vita discessisse certissima testimonia extant, in caussa est, quòd opus gratiæ Domini in eorum exitu clarissimè eluxit. Quamobrem cùm Dominus de glorioſę Matris suæ ex hac vita emigratione, operibúsque gratiæ suæ, in ea demonstratis, nihil reuelauerit: alia verò maximè illustria opera gratiæ in ea præstita, patefecerit, meritò solemnitates ac festa celebramus eorum operum Domini in carissima matre sua, quę nobis certò cognoscenda tradidit: hominum verò commenta, de iis operibus Dei, quę nos latere voluit, prætermittimus.

Non est dubium, quin glorioſa Mater Domini beatè ab hoc seculo migrarit, & in cœlum assumpta sit. Verùm cùm hac de re Dominus nihil nobis aperuerit, quomodo videlicet id contigerit, quæ peculiaria miracula circa illius exitum euenerint, caussam sanè nullam habemus, multa hac de re vel confingendi, vel ab aliis confícta recipiendi. Mater Domini Dominum corporaliter enixa est, quare oportet, vt circa eam omnia sint plena miraculis, & festiuitates celebrentur de omnibus, quæ circa eam euenerunt. Si enim id, quod ad carnalem Domini partum subministrauit, aliquam prę cęteris omnibus sanctis præeminentiam in omnibus rebus adferret: necesse esset parentes quoque Mariæ suo modo omnibus aliis sanctis antecellere: & opera Dei in illis impleta, reliquis omnibus operibus, quæ Deus in aliis sanctis operatus est, præstantiora & excellentiora esse. Verùm id non est ita, sicut scriptura de nonnullis apertè testatur. Vnde etiam Dominus ad Matrem suam, (Mulier) dicit, & non (Mater) quando iuxta officium Christi cum ea loquitur. Meritò etiam sanctior prædicatur Diua Virgo, quod Dominum per fidem in corde, quam in corpore concepit. Dominus post resurrectionem suam Mariæ Magdalenæ se manifestauit, eique præcepit, vt resurrectionem suam Apostolis annunciaret. Iam verò dubitandum quidem non est, eum carissimę quoque matri suæ apparuisse: tamen non docet, vt rationis nostræ coniecturis, hac de re multa fingere, vel peculiaria festa instituere velimus, quemadmodum quidam tentarunt facere, de Compassionibus & Gaudiis Mariæ. Omnia miracula & beneficia Dei in Maria, sicut in omnibus sanctis, mera sunt opera clementię & bonitatis diuinæ, quæ meditari, ac festa de illis instituere debemus, prout sunt à Domino manifestata, & ad corroborationem fidei, ac fiducię in Christum, non

in sanctos conducunt. Lux verbi Dei omnibus in rebus imitanda est, nullibi verò humanorum figmentorum tenebræ & caligo.

Postremò quod D. Augustinum citant in sermone quodam, vbi meminit, suo tempore memoriam D. Laurentij celebrari solitam, atque inde inferunt, totam diem fuisse in solemnitatem D. Laurentij impensam, id non magis sequitur, quàm quod hoc tempore omnium illorum sanctorum dies solemni cultu celebrentur, quorum in choralibus officiis suis meminerunt. Hactenus de diebus festis.

Tricesima prima Accusatio.

De Ieiunio, & delectu Ciborum.

Cap. CXX.

IN hac Accusatione nihil aliud agunt Aduersarij, quàm probant antiquos Christianos partim ab esu carnium in vniuersum abstinuisse, plærumque verò in sola Quadragesima.

Huic nemo contradicit, Interim tamen (verum est, vt & supra indicauimus, Dominum id nullibi præcepisse, sanctos verò Patres acerrimè eos reprehendisse, qui abstinentiam, delectúmque ciborum ex natura sua magni æstimarunt, non autem in eum finem præcipuè direxerant, vt caro ad seruiendum Domino, non modo humiliaretur, Verum etiam promoueretur.

Iam verò Aduersarij de sua à carnibus, & animalibus terrestribus, volatilibúsque abstinentia, mirum in modum gloriantur, cùm interim delicatissimis optimorum piscium carnibus sese oblectent, nihílque minùs, quàm ieiunent, & castigent corpus. Verum hac de re supra satis dictum est.

Tricesima secunda Accusatio.

De Gazophylacio.

Cap. CXXI.

COntra Gazophylacium est instituta hæc Accusatio, imprimis verò propter conductas Missas. Dicunt prudenter expendendum esse, vtrum Ecclesiastica bona, quæ ab hominibus eò destinata sunt, vt ipsorum defunctorum piè & sanctè habeatur memoria, liceat in eleemosynas conuer-

tere.

Resp.

Resp. Potestatem habemus & mandatum, omnia bona quæ Domino oblata,& posthac nullius hominis propria sunt,iuxta voluntatem Domini,quàm optimè impendendi & dispensandi, etiam contra quàm ab his,qui ea Ecclesiis donarunt, ex errore contra voluntatem Dei fuerunt destinata.Domini enim est terra &plenitudo eius,non hominum. Iam verò manifesta est Missarum peruersio, quemadmodum supra demonstrauimus,conductas precióque redemptas missas facere, qui abusus longo tempore confirmatus est. Quem è medio tollere debemus,& tamen nihilominus, quod Domino, & Ecclesiæ ad talem abusum donatum est, retinere, & ad voluntatem placitúmque Domini, & Ecclesię vtilitatem impendere ac dispensare, hoc est, ad religionem Christi in ministeriis & instrumentis, diuina & salutaria studia, procurationem denique & sustentationem pauperum conseruandam & prouehendam.

Quicunque enim aliquid donauit Ecclesię, is imprimis Domino id obtulit & sanctificauit. Et licet aliquid ex ignorantia contra quam Domino placet, pro dono ac legatione sua fieri destinasset, tamen si cum Domino est, nihil ei gratius esse potest, quàm vt oblatio sua plenissimè iuxta voluntatem Domini impendatur & dispensetur. Quod si cum Domino non est, neque etiam apud Christianos valere debet, quicquid tandem in bonis Domini ordinauerit aut destinarit.

Nec minus iuris debet habere Christiana Respub. in tali casu, quam Respub. huius mundi. Iam Respub. humana hoc iuris habet, vt si quid alicui ciuitati in spectaculum legatum sit, quod ea ciuitas nolit apud se exhiberi, id quod legatum fuerat, non cedat hæredibus, sed maneat apud Rempub. & in alium aliquem vsum, qui ciuitati placeat, conuertatur.De vsu & vsufructu per legatum. L. Legatum,& sequen. Quare ius istud non potius ciuitati & Reipub. Christi conueniret? Quare non habent Aduersarij, quod iustè consilium nostrum vituperent, quo proposuimus omnia ea, quæ à fraternitatibus, vt vocantur, congesta, & ex ignorantia non ad verum Dei cultum destinata sunt, in Gazophylacium imponere, & ad verè Christianam dispensationem ordinare.

Tricesimatertia Accusatio.

De Scholis.

Cap. CXXII.

HANC Accusationem instituerunt Aduersarij contra id, quod in Libro de Scholis instituendis propositum est, idque propter tres causas. Quarum prima est,quod propositam nobis est in eiusmodi Scholis doctrinam in Libro Reformationis traditam,tanquam verum Catholicæ

Christi Ecclesiæ consensum promouere. Altera quod eiusmodi libelli in Scholis istis debeant Adolescentibus prælegi, quos non immeritò habeant suspectos, vt quibus plurima in sint à Catholica doctrina dissonantia.

Ad vtramque caussam respondemus: Doctrina in Libro Reformationis proposita, item libelli, vt adolescentibus in scholis prælegantur, destinati, nihil penitus in se habent, quod Christianæ doctrinæ, non per omnia consentaneum sit, & ex ipso verbo Dei desumptum. Aliter se rem habere nondum demonstrarunt, Aduersarij, nec vnquam demonstrare poterunt.

Tertia caussa, propter quam nostra de aperiendis Scholis ordinatio Aduersarios grauat, est, quod vult vicarias aliquot præbendas & monasteria ad sustentationem earum assignare. Quandoquidem Missæ, ad quę vicarię præbendæ hoc tempore imprimis inseruiunt, non debeant amplius celebrari: & ab Apostolis eorúmque discipulis Christianæ scholæ institutæ fuerint, quæ tunc temporis fuerint Collegia & monasteria.

Contra ordinationem istam, caussásque eiusdem, obiiciunt Aduersarij primum, Non licere altari cuipiam operiendo, nudare alterum. Item, Non facienda mala, vt eueniant bona, neque licere de alieno largitiones facere.

Responsio. Et primo loco ad postremum. Omnia bona Ecclesiastica sũt Domini nostri Iesu Christi, vnde etiam Patrimonium crucifixi appellantur. Quare cùm constituimus, ex mandato Christi, vt cõmunia bona Ecclesiastica Collegiorũ & Monasteriorũ in nostra dicœcesi, quorũ omniũ suprema administratio & dispensatio nobis demãdata est, & quæ nostro tempore magna ex parte ad falsum cultum, vel alioquin inutiliter absumuntur, ad iuuentutem piè ac Christianè erudiendam impendantur, iam non de alienis bonis largitionem facimus, sed administramus ac dispensamus bona Iesu Christi, iuxta placitum ac voluntatem eius. In quo nec facimus malum, vt aliquid boni sequatur: sed bonum facimus, & quod nobis à Domino præceptum est, vt mala tollantur, & annihilentur. Neque vllum altare Christo nudámque, ad operiendum alterum: sed operimenta, quę propriè ad altaria Christi pertinent, ab Altaribus Antichristi auferimus, quibus contra ius & fas operta fuerant, iísque rursus Christi, cui soli dedicata & sanctificata fuerant, operimus.

Omnes Canones volunt Monachorum Collegia, non debere, vel Parochias, Vel Parochiarum bona possidere. Quare Cistercienses cùm Reformationem suam auspicarentur, quemadmodum Sigebertus Gemblacensis, in suo Chronico testatur, omnes Parœchias, decimas, aliáque Ecclesiastica bona, à se amouerunt, vt quæ tantummodo ad sustentationem eorum, qui populo in cura animarum, & salutari doctrina præsunt, egentiúmque impendi & erogari debeant. Fatentur Monachos debere ex agris suis & pecoribus, proprio labore manuum victum suum

quæ-

quærere. Hoc est Antiquum ius Ecclesiarum, & Monasteriorum, quemadmodum etiam in magno Concilio Chalcedonensi decretum est, omnésque S. Patres, vt Basilius, Hieronymus, & Augustinus, monasticam vitam descripserunt. Iam vbi non Monachi, sed inutiles, nulliúsque frugi homines, qui nullo iure, vel infimum, inter Ecclesiasticas personas, locum tenere possunt, sub nomine Monachorum interdum multarum Ecclesiarum decimas, & alia bona possideat, eáque contra Christum Dominum, & Ecclesiam eius absumunt, ac dilapidant, ibi meritò debent Episcopi, & alij Magistratus in tempore prouidere, Ecclesiisque Christi, bona sua restituere. Porrò quod Liber Reformationis hanc ob causam, Scholam Theologicam meritò aperiendam dicit, quod etiam Apostoli, eorúmque discipuli, apud Ecclesias suas peculiares lectiones, scholásque theologicas habuerunt, quódque tales scholę, primò Collegia ac Monasteria fuerint, id calumniantur Aduersarij, primò quod verbis Libri, rursus suum (tantum) apponunt, quod in Libro non habetur. Is enim dicit, Scholas Theologicas, quas Apostoli, & eorum discipuli, iuxta Ecclesias suas habuerunt, fuisse prima Collegia. Ipsi verò dicunt Librum docere, quod Collegia fuerint tantùm scholę: ac postea longam narrationem taxunt, quomodo olim Ecclesiæ fuerint appellatæ, Dominica, & inde apud Germanos *Tthum*, & Canonici *Thumherrnen*. Verùm Liber non habet quod Collegia quæ nunc sunt, omnia tantùm Scholæ fuerint. Adhæc constat Templa Christianorum in Græca lingua κυριακα, vnde nos Germanicam dictionem nostram, *Kirch* deducimus, nuncupata fuisse: & vt verisimile est, nomen *Thum*, & *Thumherren*, inde deriuatum esse. Quamuis Diuus Cyprianus etiam officium S. Cœnæ Domini, cum vocat, Epistola 3. lib. 2. & sermone de Eleemosyna. At quid hęc omnia faciunt, contra id, quod Apostoli eorúmque discipuli, & veteris veri Canonici, Ministri Ecclesię Domini, hoc est Dominicorum, Christianas veréque theologicas Scholas sub se habuerint? Sanè ab antiquis omnibus inter præcipua Clericorum exercitia numeratur, sedulò diuinis Scripturis incumbere, eásque libenter ab iis audire, à quibus aliquid disci potest, sicut Polycarpus Iohannem, Irenæus Polycarpum. Clemens Alexandrinus Panthenum. Hieronymus Nazianzenum, aliíque alios audiuerunt. Sine dubio ad quod B. Apostolus suum Timotheum, & Hieronymus suum Nepotianum hortatur, id omes veri Canonici, apud veteres obseruarunt, omníque diligentia, & studio, lectioni, atque auditioni sacrarum literarum, dies noctésque incubuerunt. Quare talium Canonicorum congregationes & Monasteria (quod nomen in multis Episcopalibus Ecclesiis, aliísque Collegiis mansit, verùm sine vita) merito Theologicæ, hoc est diuinæ, vel diuinarum Scripturarum Scholę nuncupantur. Postea tales Canonici in meros Cantores & Lectores conuersi sunt, quæ peruersa ratio est. Officium enim Sacerdotum est, doctrinæ & institutioni

populi, prædicationi verbi Dei, & vniuersæ animarum curæ præesse, quemadmodum Diaconorum, Sacerdotibus in hoc corum ministerio, auxilio & adiumento esse, vna cum procuratione elemosynę. Quæ officia cùm Sacerdotes & Diaconi prætermittũt, ac soli Lectioni cantationique incumbunt, excommunicari debent, quemadmodum in Concilio Romano, sub D. Gregorio celebrato, ex auctoritate verbi Dei decretum est, Dist. 92. in Sancta. Quomodo possunt igitur Aduersarij, tã impudenter hanc adeò Christianam, necessariámq; correctionẽ insectari, scribentes, nihil eorum quæ hac de re in libro Refor. cõmemorata sunt, esse conforme veritati. Legatur apud D. August. lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. cum duobus sequentibus, Item in Psal. 99. & aliis quàm plurimis locis, quid de Monasterij Clericorum narret, à quibus maiorem partem Collegiorum, quæ vocantur hoc tempore, habemus. Ostendantur quædam Collegia, quæ non vel Canonicorum, vel Monachorum Benedictinorum Monasteria olim fuerint. Videatur etiam quid hac de re dicatur, 12. q. 1.

Porrò quod de authentica Iustiniani, vt determinatus sit Clericorum numerus, adducunt: vtinam & hanc vt alias id genus Christianas huius Imperatoris constitutiones, obseruare firmiter in animum inducerent: Sic enim fieret, vt in hoc negotio, Christianæ Reformationis nullam deinceps litem nobis intenderent. Primùm enim requirit hæc Authentica, idque ex authoritate canonum, vt pro quantitate populi, numerus quoque Clericorum vel augeatur, vel minuatur, quo omnibus hominibus, qui ad quamcunque Ecclesiã Christi veniũt, de Christiana doctrina, & omnimoda animarum cura, sufficienter prospiciatur: Secundò, vult solos istos pro Clericis habendos esse, qui non solum nomina ac titulos gerunt, vsúmque ac fructum Ecclesiæ immerentes percipiunt, sed qui opera ministeriorum Ecclesiæ fideliter exequuntur ac peragunt.

Hoc tempore innumeri sunt & dicuntur Sacerdotes, Diaconi, Lectores, Cantores & Ostiarij. Verùm quis est in tanta turba, qui istorum ministeriorum opera, in populo Christi reipsa expediat, in doctrina & disciplina Christi, lectione S. litterarum præcinendo, excludendo, & admittendo in Ecclesiam iuxta regulam Christi.

Tertiò ne cui Clerico plus tribuatur ad ministerium suum, quo quotidie fungitur, reuera indigeat. Quartò, ne cui Clerico permittatur, ab inferioribus Ecclesiis per alicuius postulationem ad superiores ascendere, taceo, quod vlli permissum fuisset, in pluribus quàm in vna Ecclesia & Clericatus & Præbendas possidere.

Quintò, vt quicunque Clerici abundent, in pauperes & egenos distribuantur. Hæc omnia habentur in dicta authentica, & in 6. 58. 67. & 223. Similiter cap. de Sacrosanctis Ecclesiis. L. Qui sub. Quæ si semel Aduersarij & omnis eorum turba reipsa aggredi vellent, sane citissimè inter nos de Christiana Reformatione conueniret. At splendida sunt verba, res nullæ. Ex fructibus cognoscitur arbor.

Producunt postea etiam ex Gratiano 12. quæst. 1. Futuram. Fictum quendam sermonem, qui in ementitis Decretalibus, Papæ Meltiadi adscriptus

scriptus est, in quo meminit, quomodo imperator Constantinus Imperatoriam sedem Romanam S. Petro, & successoribus eius dederit, Cōcilióque in Nicea celebrato præsederit. Cùm tamen pius iste Papa longo tempore ante Concilium illud sub Tyranno Maximino martyrio coronatus fuerit. Adeò nihil omninò curant, quantumuis falsa sint, quæ proferunt, modo speciem aliquam prætextumque suppetant Christianam Archiepiscopi sui Reformationem calumniandi. Nam etiamsi admittimus, quę ex ficto Meltiade de Monasteriis & cœtibus, sub Imperatore Constantino erectis adducunt, ea tamen pro Libro Reformationis contra ipsos faciunt. Hæc enim monasteria & cœtus nihil aliud fuerunt, quàm Scholæ Theologicæ, quod antiqui omnes vno ore testantur. Et certè quid aliud sunt vniuersales publicique fidelium cœtus, quàm Scholæ Christi Domini, in quibus debemus quotidie discere, Dominum Deum melius cognoscere, & ardentius amare? Orationes suas, & corporales labores simul exercuerunt: lectiones tamen diuinę, studiúmque sacrarum scripturarum primum ac præcipuum fuerunt. Sicut & Christus Dominus, & S. Apostoli in omnibus congregationibus, ad quas accedebant, doctrinam summum ac pręcipuum faciebant, quemadmodum Euangelia, Acta, & Epistolæ Apostolicę testantur, præsertim verò in 1. ad Cor. 14. docetur.

Hinc est quod ex antiquis Monasteriis ac cœtibus maxima pars prę-stantissimorum Clericorum & Episcoporum desumebatur. Aduersarij conantur perpetuò suis Cantionibus & Lectionibus, quæ & S. Scripturę, & omnibus vetustis canonibus è diametro repugnant, fuco quodam patrocinari, prætexentes authoritatem veterum, quam inuenire nequeunt.

Quamobrem omnis eorum prędicatio, quam hoc loco de ordinatione, ac forma Colonienſum Collegiorum, primarij & secūdarij Cleri: item de Schola Theologica, & Pædagogia, que Ecclesia Metropolitana sibi cohærentia habeat, subiungunt, tota vana est.

Constat enim quales Scholæ sint, qualis item ordo in aliis Collegiorum officiis ac personis obseruetur. Equidem longissimè absunt ab eo ordine, qui ipsis in Decretalibus de Magistris præscriptus est, taceo qui in antiquis ac veris Canonicorum cœtibus fuit obseruatus. Quid aliud fit in omnibus collegiis quàm psallere, legere, missare, sine mente, sine intellectu & ędificatione populi: quin potius ad horrendam omnis superstitionis corroborationem? Idque tantum propter præbendas, péque tales homines, qui pauciſſimos veterum Canonum tolerare possunt. Vnde est, quod ipsi hoc vitium fateri coguntur, & optare, vt omnia officia & ministeria collegiorum, sicut optimè instituta sunt, rectè obseruentur. Ante omnia verò debebant hoc loco intelligere, institutionem Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum Apostolorum eius. Hoc pro responsione ad accusationem de Scholis instituendis dicta sufficiant.

Tricesima quarta Accusatio.

De Cœlibatu Sacerdotum.

Cap. CXXIII.

HANC Accusationem contra nos ob eam causſam instituerunt, quod potestatemus facimus Sacerdotibus Matrimonium contrahendi: Atque hoc loco & Patres & Canones contra nos producunt, nolentes Sacerdotem, quandiu in Sacerdotali munere constitutus est, vxorem ducere: prohibẽtes etiam, ne quis ad Sacerdotium admittatur, qui sit digamus, hoc est, defuncta vxore prima, duxerit alteram.

Responsio.

VErum est, antiquos Patres & Canones eiusmodi ministros Ecclesiæ postulare, quiin nullo vnquam coniugio, vel vno tantum fuerint. Quamobrem id verò? Neque enim tantummodo Christianus, verũ etiam naturalis & communis sensus dictat, vt in omnibus legibus primum omnium causſa præceptorum & interdictorum consideretur: vt magis ad commodum, quod in vnaquaque lege quæritur, quàm ad literam legum respiciatur. Iam negari non potest, causſam propter quam S. Patres cœlibes Ecclesiæ Ministros requisierunt, cõmodúmq; quod in eo spectarunt, esse, vt ministri tantò liberiores ab omnibus carnalibus & mundanis negociis existẽtes, diuinis tantũ & spiritualibus rebus incũberent. Alioquin extra matrimoniũ non propter hanc causſã viuere, quantũuis castã & impollutam vitã quis ageret, S. Patres semper condemnarũt, multò minus in ministerio Ecclesiæ toleraſſent, quos in manifesta impudicitia viuere cognouiſſent, quẽadmodũ Aduersarij faciũt.

Quin & hoc nouerunt Aduersarij, neminem posse alteri legẽ obiicere, cui cum ipse obnoxius sit, eam tamen conuersatione vitę suæ non implet. Cùm igitur Aduersarij ad quęuis Ecclesię ministeria assumant, in eisque tolerent, qui non solum omnis generis sęcularibus negociis, verumetiam manifesta impudicitia & symonia à Domino penitus abalienati sunt: & alioquin ministerium Ecclesię ritè administrare vel non sciunt, vel nolunt, manifestum eos non solum Canonibus à se citatis nõ satisfacere, verumetiã ex diametro repugnare. Quare non habent, quod Canones iure nobis obiiciant. Nouerunt vtique Canones istos, qui de Cœlibatu Sacerdotum agunt, postulare, vt nullas secum vxores habeãt, præter solas matres & sorores suas: vtq; ab omni suspecta mulierũ consuetudine abstineãt: itẽ, vt Sacerdotes, qui cum muliere rem habuisse deprehendantur, de officio suo deponantur: denique ne quis ad hoc ministeriũ assumatur, quẽ ante hac vitam in immunditia & lasciuia consumpsisse constet. Iam si Aduersarij hęc omnia hactenus obseruarunt, opere id testentur. Si verò contrarium eos feciſſe constat,

quemadmodum

quemadmodum, proh dolor, luce meridiana clarius est, & res ipsa clamat, sciãt, se non habere, quod nostram Coniugij permissionem taxent, aut de legibus sublimioris cuiusdam castitatis disputent.

Fundamentum ex verbo Dei desumptum, Quod teneamur Sacerdotibus Coniugium liberum permittere.

Solutio argumentorum Aduersariorum quæ ducunt ex loco Pauli, 1. Cor. 7. Qui cœlebs est, curat ea quæ sunt Domini, &c.

Solutio alterius argumẽti, ducti ex dicto Pauli, 1. Cor. 7. Ne fraudeti: vos inuicem, nisi si quid ex consensu, pro tempore, vel vacetis ieiunio & precationi.

De secundis nuptiis Sacerdotum.

Cap. CXXIV.

NOs, tanquam Christianus Episcopus, tenemur, prouidere, vt Ecclesiis verè pij, Deíque timentes ministri prę ficiantur, qui nullo scelere, quod vim habet è regno Dei excludendi, implicati & irretiti sint. Tit. 1. Iam diuturni temporis experientia docuit, fieri nullo modo posse, vt promiscua illa Sacerdotum cum mulieribus commixtio è medio tollatur, nisi legitimum Matrimonium permittatur. Sæpius enim illud, sed frustra tentatum est, ab eo vsque tempore, quo propositum fuerat prohibitionem Matrimonij plenè in actum perducere. Quod apud Germanos primùm circa annũ Christi M. LXXIV. sub Gregorio VII. non sine graui tumultu, & infinitis scandalis factum est, vt testatur Sigebertus Gemblacensis in suo Chronico. Ex quo iamdudum omnes prudẽtes Episcopi, & alij Magistratus, fieri non posse iudicarunt, vt Sacerdotibus tantùm manifestè illegitimi concubinatus, sine maiori periculo, prohibeantur, nisi legitimum matrimonium contrahendi potestas eis concedatur.

Cùm igitur S. Coniugium res per se Sancta sit, & iuxta ministerium Ecclesiæ non tantum benè consistere, verum etiam multum auxilij & adiumenti eidem afferre queat, iuxta testimonium Spiritus sancti, qui statim postquam Episcopum irreprehensibilem esse voluit, subiunxit, vnius vxoris maritum: cũmque nisi legitimum matrimonium liberum permittamus, idoneos ac Dei timẽtes ministros pro Ecclesiis fidei nostræ commẽdatis, comparare nequeamus, sanè debitores sumus coram Domino, vt medium liciti matrimonij, & à Deo ipso instituti, diutius non differamus, sinamúsque hac ratione miseras Parochias idoneis ministris destitutas esse.

Obiicitur quidem hoc loco dictum Pauli, Qui cœlebs est, curat ea quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino. At qui duxit vxorem, sollicitus est de his, quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit vxori. Sed dictum istud in eo sensu intelligi debet, quo est ab Apostolo prolatum. Haud dubiè enim non ab omnibus Coniugibus curam

rerum diuinarum, studium placendi Domino remouere & negare voluit, solámque negociorum huius seculi solicitudinem, quomodo suo quisque Coniugi, quàm optimè placiturus sit, propriam illis attribuere: Sed de eo tantum, quod vt plurimum fieri solet, locutus est, præsertim vbi cum mundanis hominibus matrimonium contrahitur.

Infidelis enim mundóque dedita vxor abstrahit à rebus diuinis ad res mundanas & carnales, de quo genere mulierum Paulus hoc dictũ protulit. Nam alioquin nemo Christianus inficiari potest, piam vxorem esse adiutricem ad diuinam vitam, in hoc mundo: præsertim omnibus his, qui donum cœlibatus à Domino non acceperunt.

Immota enim relinquere oportet verba Domini, qui dicit, faciamus homini adiutorium, quod cum eo sit. Quod non de alio Adiutorio intellexit, nisi quod hominem ad diuinam vitam adiuuare potest. Ad quam quicquid hominem non promouet, id non Adiutorium à Deo, sed potius impedimentum & obstaculum dici potest.

Nemini, vt opinor, dubium est, quod sicut non omnes, qui extra matrimonium viuunt, nihil rerum huius mundi, sed solum quæ Domini sunt curant: ita non magis voluerit B. Apostolus, de omnibus coniugatis affimare, quod nihil eorum, quæ Domini sunt, tantummodo autem quæ mundi curent. Etenim matrimonium sanctum est, & thorus coniugalis immaculatus. Quod omnipotens Deus, quod solus verax est, solus sanctus & immaculatus, pronunciat. Verùm igitur id esse necesse est in omni matrimonio, iuxta institutionem eius contracto, siue à Sacerdotibus, siue à Laicis, siue primum sit, siue secundum aut tertium.

Verbum enim Dei nullum in hac re, vel personarum, vel numeri discrimen ponit.

Pia igitur vxor, ducta in Domino, non potest non esse Adiutorium, ad ministerium Domini, etiam Sacerdotibus, præsertim qui donum cœlibatus à Domino non habent.

Quemadmodum Sancta Elizabetha Zachariæ suo, auxilio & adiumẽto fuit, ad seruiendum Domino, etiam in ministerio Sacerdotali. Sicut etiam mater Nazianzeni, maritum suum in Episcopali munere iuuit, de qua Nazianzenus in oratione funebri, quam habuit in obitum patris sui, scribit; Quod patri suo, non tantum coadiutrix fuerit in pietate, sed etiam doctrix & gubernatrix. Idem aliæ quoque quàm plurimæ sanctæ mulieres, suis præstiterunt maritis, præstántque adhuc hodie. Probari igitur non potest, sanctum Matrimonium in Domino copulatum per se impedimento esse muneri Sacerdotali, præsertim cùm Spiritus Sanctus ipse, hoc instituerit, & primo loco cum Ecclesiæ ministerio cõiunxerit. Ex quo vlterius sequitur, D. Paulum hæc verba (qui vxorem habet, curat ea quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori suæ) non de omnibus coniugibus, sed de iis tantum intellexisse, qui mundana ratione, & cum mundanis hominibus matrimonio se iungũt. Vnde statim subiicit, hoc autẽ ad id, quod vobis conducibile est dico, non vti laqueum vobis iniiciam. In quo agnoscit, nonnullis hominibus vxorem esse tam necessarium ad piè viuendum Adiutorium, vt extra matri-

Matrimonium viuere, sit illis laqueus, & pernicioſum ſcandalum.

Iam verò non ſimpliciter, & omnibus Sacerdotibus, Matrimonij poteſtatem fecimus, ſed eos primùm omnium ad veram caſtimoniam, & ſanctitatem admonuimus: deinde illis tantūmodo coniugij poteſtatem fecimus, quibus extra id viuere pernicioſus laqueus eſt, per quē in omnē impudicitiā, & impedietatē prolabuntur, in eáq; non tātū pereūt, ſed etiam Eccleſiam Dei, horribiliter ſecum in perniciem trahunt. Sic enim in Libro poſitum eſt.

Quo autem facilius auerti à Miniſtris Eccleſiarum poſſit, impudicitia omnis, & impura vita, rogamus, hortamur, & requirimus, ab omnibus, qui Eccleſiis vel modò præfecti ſunt, vel poſtea præficientur, vt vitam ſuam, ſummo ſtudio ita piè, temperanter, pudicè & ſanctè inſtituant, & degant, vt non doctrina tantum, ſed etiam exemplis vitę, populo Chriſti præſint, & ad Chriſtum perducant, nemini vilum ſolutioris, & parum caſtæ Vitæ offendiculum obiicientes. Quibus verò datum non ſit, vt extra Coniugium inculpatè & ſanctè viuant, his prohibere ſanctum Coniugium, noſtrum eſſe non ducimus.

Ecce ipſis Pauli verbis matrimonium permiſimus. Hæc enim verba Pauli ſunt, idque non de primis tantùm nuptiis, verum etiam de ſecundis: Dico autem in Coniugatis, & viduis, bonum eis eſt, ſi manſerint, vt & ego. Quod ſi ſe non continent, contrahant matrimonium; nam ſatius hoc eſt, quàm vri. Hanc ſententiam Apoſtolus, ſine vllo perſonarum diſcrimine pronuntiauit. Quamobrem ſiue Laici ſint, ſiue Sacerdotes, ſiue ſemel in Cōiugio vixerint, ſiue in eo nunquā fuerint, conſultius eſt eis matrimoniū inire, quā in vſtione vehementiū libidinū viuere, ſibiq; ipſis laqueū, per quē in dānatā impudicitiā præcipites dē r, iniicere. Vnde etiam Spiritus Sanctus, per Paulum, id non tam permiſiſſe, tanquam conſultius, quàm præcepiſſe videtur, cùm dicit, γαμησάτωσαν, matrimonium contrahant. Ex quibus verbis S. Martyr Cyprianus, de Virginibus, quæ Deo ad caſtitatem ſeruandam dicatæ erant, hunc in modum ſcribit. Si verò perſeuerare (videlicet in Virginitate) vel nolunt, vel non poſſunt, melius eſt vt nubant, quàm vt per concupiſcentias ſuas in ignem incidant. Hæc verba Spiritus Sancti nos quoque iuxta ſenſum poſuimus, idque tali verborum forma, quæ & contractior eſſet, & cōtra humanam audaciam ac temeritatem munitior. Ita enim in Libro poſitum eſt, Quibus verò datum non ſit, vt extra coniugium inculpatè & ſanctè viuant, his prohibere Sanctum Coniugium noſtrum eſſe non ducimus, vbi notabis, Librum dicere, Si extra coniugium inculpatè & ſanctè viuere non poſſint: quod Apoſtolus ſimpliciter dicit, Si ſe non continent. Deinde inquit Liber, Talibus prohibere Sanctū Coniugium noſtrū eſſe non ducimus: quod Apoſtolus ait, Contrahant Matrimoniū.

Neque etiam dixit Liber, Talibus Coniugium prohibere, &c. ſed addidit, Sanctum Conjugium. At ſanctum Coniugium, non eſt mundanum Coniugium, quam Sacrum Eccleſię miniſterium magis impedire, quàm promouere ſolet. Sed tale Coniugium, quod vim habet ad miniſterium Eccleſiæ prouehendum. Quid hoc aliud eſt, quàm ſo-

lum mandatum Dei, idque contra humanam temeritatem & audaciam cautissimè proponere?

Iam quis Christianus esse potest, & harum rerum notitia non penitus destitutus, qui adeò necessariam suisque terminis circumscriptam Matrimonij permissionem culpare & reprehendere queat? Iam in Sacerdotum quoque numero tales homines reperiuntur, qui se continere, non possunt, & quibus extra Matrimonium viuere pernicioſus laqueus est, id quod nimis, proh dolor, manifestum est, & quotidiana experientia testatur.

Pauciſſimi etiam hactenus reperti sunt, quibus donum castè & inculpatè extra Matrimoninm viuendi, fuerit à Domino concessum: vel qui alioquin sapientia & zelo, omníque pietate ad ministerium Ecclesiæ verè idonei fuissent, adeò vt ad eiusmodi ministeria assumere necessarium non esset, eos, quibus extra Matrimonium castam & incontaminatam vitam degere non est donatum: sed tales solummodo admitterentur, quibus datum est sanctè & inculpatè extra matrimoniũ viuere.

Quamuis per se non est consentaneum, etiamsi nulla esset verè cœlibum inopia, Coniugium in ministerio Ecclesiæ reformidare, quod nõ tantum non horret Spiritus Sanctus, sed etiam requirit. Præsertim cum magno Ecclesiæ detrimento experti sumus, quæ mala coniugij, in Sacro Ecclesiæ ministerio repudiatio, adtulerit. Verum tamen, vt iam à nobis dictum est, si solos cœlibes ad Ecclesiæ ministerium assumere propositum esset, talium tamen, qui semetipsos verè propter regnum Dei castrauerunt: simúlque idonei sunt, quibus cura animarum administranda committatur, tam exiguus foret numerus, vt haud dubiè vix vel centesimæ Parochiæ suus Parochus præfici posset.

Iam scripsit D. Epiphanius in Cõfutatione Catharorum, quòd aliqui suo tempore Sacerdotibus matrimonium permiserint: eiusque duas causas exponit, quarum vna est, Hominum imbecillitas, quorum intellectus progressu temporis debilis ac tardus factus fuerat: altera, quòd alioquin pro multitudine Ecclesiarum non potuerint idonei ministri comparari. Tales Episcopos, qui eiusmodi causis impulsi Sacerdotibus Matrimoniũ permiserãt. D. Epiphanius nõ dãnat, sicut nec Hieronymꝰ.

Cũ igitur cõstet, imbecillitatẽ Sacerdotũ iamdudum tam grauiter inualuisse, vt multis hactenus sæculis in manifesta impudicitia vixerint, rẽque eo deduxerint, vt pij Episcopi nullũ aliud remediũ sciuerint, neque adhuc nostro tempore sciant, quo sceleratam istam vitę impuritatem, ex ordine Sacerdotum eradicare possent, nisi eis matrimonij contrahendi potestatem facerent. Adhęc cùm multitudo populi, qui idoneis ministris opus habet, in tantum creuerit: tales verò sine Coniugij permissione haberi non possint. Quamobrẽ pij Episcopi, qui populo suo libenter de Christianis, veréq; sanctis ac fidelibus Ministris prospicerẽt, nõ iisdẽ de caussis, Sacerdotibus suis Matrimoniũ permitterẽt. Quod haud dubiè veteres sancti, ac verè casti Patres, libẽtissimè permissuri fuissent, si talem támque horrẽdam abominationẽ Sacerdotalis impudicitiæ, qualis hoc nostro tempore ob oculos versatur, præuidissent.

In

In maxima parte villarum & oppidorum, vbi Christiana Reformatio nondum recepta est, eò rē deuenisse cōstat, vt si de turpissimo, & impudicissimo homine totius Oppidi percūctandū esset, nemo honestus, ac bonę cōsciētię vir, aliū indicare posset, quā ipsum Parochū. Promiscuè n. alienas vxores ac virgines polluūt, publicéq; apud se fouēt: & interdū nō vnā tātū, sed plures simul: itē quas habēt, quotiescunq; libuerit, repudiāt, aliāsq; sumūt: in quo frequēter nec Cō. āguinitatis nec Affinitatis rationē habēt: id q apud omnes nationes luce Meridiana clarius est.

Iam nemo rectè Deum inuocare potest, qui conscientiam malam habet, & in manifestis sceleribus ac flagitiis, quæ penitus ex Regno Dei excludunt, viuunt.

Constat autem ad idoneum Ecclesiæ ministrum, ante omnia necessariò requiri, vt bonā cōscientiā habeat, viuátque in obediētia Christī, potis etiā sit, ac studeat verā fidē & obedientiam Christi populū fideliter docere. Ad quam rē quantumuis vtilis Cœlebs vita prædicetur, ad eam tamen nō est necessaria, quandoquidem spiritus S. ipse Episcopos & ministros Ecclesię requirit, qui sint vnius vxoris mariti. Verū enumeratæ virtutes, cuiusmodi sunt, piū ac Dei timētē esse, ad ministeriū Ecclesiæ potētem, in eóque administrando assiduū, omninò necessariæ sunt: adeò vt qui eis destitutus fuerit, non sit ad Ecclesiæ ministerium assumendus: vel si in eo fuerit, non tolerandus. Quare igitur non iudicaretur res esse pernicioſissima, id quod necessarium nō est, nēpe Cœlibatum, tantoperè vrgere, interim verò nō curare, quam impij, omníque timore Dei vacui sint, quā impotentes ac negligētes in ministerio Ecclesiastico, qui vulgò Parochiis præficiuntur? sanè hoc est Sacrum Coniugium iuxta furorem Manichæorum, non sanctimoniam Patrum vitare. Hi enim, vt supra diximus, extra matrimonium viuere, sine plena trāditione voluerunt, & matrimonium tanquam frustraneum planéque Ethnicum semper reiecerunt & condemnarunt.

At dicunt Aduersarij, se velle non modo matrimoniū vitari, sed magis, omnem lasciuiam & impudicitiam, aliáque scelera, se tales requirere cœlibes, qui semetipsos castrarint propter Regnum Dei. Verum qua in re hoc declarant? Quantumuis scelerè ac flagitiosè Pastores, cum illegitimis mulieribus & Concubinis viuant, quantumuis ad Ecclesiæ ministerium inepti & inutiles sint, modo nullam legitimam vxorē habeant, in eo tolerantur. Contra quantumuis insigniter docti, pij, Dei timentes, idonei, ac zelo ardentes viri existant, quamprimū eorū aliquis legitimam vxorem ducit, à Ministerio repellitur. An non ex hoc manifestè patet, Manichaicū prorsus esse, ipsúmq; furorē Catharrorū, quod Aduersarij legimum ministerium, in ministris Ecclesiæ damnāt: prohibitam verò damnatámque impudicitiā ne reprehendūt quidem.

Cardinalis Campegius liberè pronunciauit in Comitiis Augustanis. Æquius tolerari posse Sacerdotem, qui multas Concubinas haberet, quàm qui vnam tantum vxorem. Et huius dicti sui hanc rationem protulit: propterea quod qui vxorem ducit, rectè se facere arbitratur, & in facto suo sine pœnitentia & emendatione perseuerat: cum

verò qui multas Concubinas habeat, conscium sibi esse quod peccet, atque idcircò facilius posse ad pœnitentiam & emendationem facti sui permoueri.

Hic notent Christiani, quo spiritu huiusmodi ingenia ducantur. Ad Pœnitentiam, & abrogationem Matrimonij, quod per se sanctum est, quódque Deus nec in Prophetico, nec in Apostolico munere, ac ministerio damnauit, ad Episcopale verò ac Sacerdotale officium requisiuit, Cardinalis iste priuatione Præbendarum, imò Carceribus & gladio Sacerdotes adigi voluit: cæterum ad veram pœnitentiam, & damnati illegitimi Concubinatus sublationem, non tantùm cogi Sacerdotes noluit, sed quò minus ad talẽ pœnitentiam & Abrogationem instituendam cogerentur, in omnibus dignitatibus ac ministeriis Ecclesiæ tolerandos voluit.

Fortassis Aduersarij verbis hoc non probabunt, sed dicent, seueritatem ac rigorem Canonum, non minus erga Concubinarios exercendũ esse, quàm Coniugatos, plenámque castitatem à Sacerdotibus exigendam. At verbis quidem hoc obiicere possunt, vbi id autem opere præstant? Et quot quæso Sacerdotes demonstrare possent, aptos ad Ecclesiæ ministerium, si rigor Canonum contra omnem impudicitiam, suspectámque Sacerdotum vitam, exercẽdus esset? Quod si veram ac plenam castitatem ministerio Canonum ac Decretorum à Sacerdotibus obtinere possunt, quî fit, vt non iamdudum in Collegiis suis id demonstrarunt, vel demonstrant adhuc: vbi alioquin facilè contra omnia, quæ ad Christianam Reformationem instituendam proponuntur, etiam per eorum Archiepiscopum, omnium suffragia sibi conciliare possunt.

Verùm splendore lenocinióque verborum conantur nebulas ac tenebras oculis hominum offundere. Qui verò opera ipsa intuetur, is facilè ac citò iudicauerit, cuiusmodi arbores, cuiúsque spiritus homines sint, & quid machinentur.

Producunt etiam istud argumentum, quo nonnulli Patrum vtuntur, quando rationem reddere volunt, quare Sacerdotes debeant à Coniugio abstinere: nempe ex verbis Pauli ad Coniuges, 1. Cor. 7. *Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex consensu, pro tempore, vt vacetis ieiunio & orationi.* Ex quibus verbis talem argumentationem texunt: Si Apostolus plebeis hominibus orationis caussa, ad tempus abstinere se præcipit, vt vacent orationi; Quantò magis Leuitis & Sacerdotibus, quos die noctúque pro plebe sibi commissa oportet orare? aliáque id genus Ecclesiæ munera obire? præsertim cùm non habeant tales Ministeriorum suorum vicissitudines, ac permutationes, quales Leuitæ & Sacerdotes habebant in veteri Testamento. Illi enim statis temporibus tantùm in Templo ministrabant: reliquo verò tempore domestica negotia tractabant.

Posteà quando ad Ecclesiæ ministeria redeundum erat, suum quoque tempus habebant sese purificandi, & ab omnibus domesticis occupationibus ad ministeria Tẽpli conuertendi. Dauid enim vigintiquatuor ordines

ordines Sacerdotum instituerat, quorum vnusquisque alteri in ministerio Templi succedebat. 1. Par. 24.

Hoc sanè argumento nonnulli Patrum in eadem materia vsi sunt. Verùm illi verè cælabant de vera castimonia, tam in seipsis, quàm in Clericis, & Sacerdotibus suis: ac tali quæ ad ministerij Ecclesiastici promotionem vim habet. Quapropter S. Patribus facilius ignosci potest, quod ex tanto cœlibatus ac castitatis studio, minus interdum directè ex S. Scripturis concludunt, quàm Aduersariis, qui (vt experientia docet) neque de vera cœlibi castitate, neque de vero ac legitimo ministerio Ecclesiastico quicquam curant. Libenter quidem fatemur, vt antea quoque dictum est, S. Patres eiusmodi ministros Ecclesiæ requisiuisse, qui extra Matrimonium, sed castè & inculpatè viuerent, idque solummodo propter Regnum cœlorum, hoc est, ad maiorem ministerij Ecclesiastici, in Doctrina verbi, in Sacramentis, in Oratione, & Christiana disciplina, propagationem. Quare dubium non est, S. Patres, si præsentem idoneorum Ecclesię Ministrorum inopiam, & horrendam Sacerdotalis impudicitię abominationem, quę tam horribiliter hactenus Ecclesias Christi deuastauit, suis temporibus experti fuissent, longè maiori studio Sacerdotes ad Coniugium hortaturos fuisse, quàm vnquam ab eodem dehortati sunt.

Verùm vtcunque sit, doctrina tamen Patrum hac in parte, nobis ante omnia imitanda est, videlicet, ne doctrinam eorum, vlla in re verbo Dei præferamus, sed eam solummodo ad normam verbi Dei examinemus, & si ei concordauerit, recipiamus. Cõsideret igitur quilibet Christianus adducta verba Pauli. Neminem prohibet à coniugali thoro, quin potiùs contrarium permittit, nempe, vt maritus debitam vxori suę beneuolentiam pręstet, & vicissim vxor marito: caueátque vterque ne alterum hac in parte fraudet. Hoc pręcipit. Quod verò ad tempus se contineant, id permittit tantùm, & ad tempus: idque cum hac conditione, vt ex communi vtriusque consensu fiat, quo ambo ieiunio & Orationi, hoc est, ardentissimę precationi vacent. Postea pręcipit, vt rursus in vnum conueniant, ne tententur à Satana, propter suam intemperantiam.

Hæc quidem non dicit κατ' ἐπιταγήν, hoc est, iuxta generale quoddam pręceptum seu ordinationem, quæ semper ita esse debeat. Coniugibus enim liberum est, si ambo hoc donum habeant, & ita placeat eis, orationis & spiritualium exercitiorum gratia, à coniugali consuetudine semper abstinere: sed dicit ex consilio, & secundum indulgentiam, non rei malę aut vitiosę. συγγνώμη enim spiritus S. (quam vocem hoc loco Apostolus vsurpat) non potest esse indulgentia eius, quod impurum est, vel non suo modo ad pietatem promouendam confert: sed iusta & æqua permissio eius, quod suo tempore, suáque mensura aliquid vtilitatis & emolumenti adferre potest. Quemadmodũ Aristoteles συγγνώμην definit, rectam in iudicio æqui & boni sententiam. *Eth. lib. 6. c. 11.*

Ex his omnibus manifestum est, Spiritum sanctum hoc loco coniugibus non pręcepisse, vt à Coniugali consortio abstineant: sed potius, ne

seipsos eodem defraudent. Abstinere verò solummodo ad tempus, & vt interim Ieiunio & orationi vacent, indulgere ac commendare.

Primum igitur in adducto argumento vitium, hoc est, quod affirmat, Paulum Laicis quoque præcipere, vt ad tempus abstineant, si quando Orationi & ieiunio vacare volunt. Nam D. Paulus nullam de eo legem ponit, sed voluntati Coniugum liberrimum relinquit.

Alterum vitium est, quod hoc dictum Paulus generaliter ad quamuis orationem extendit, cum tamen id de ardentissimis solummodo maximéque seriis precibus, à quibus ieiunium abesse non debet, intellexerit, quæ precandi ratio non adeo frequens est & vsitata.

Quare ex hoc argumento sequeretur, Sacerdotibus quoque perpetuò ieiunandum esse: quod sanè nostris Sacrificis admodum graue & molestum foret. Causſam enim propter quam abstinendum sit, non solum Orationem, verumetiam ieiunium, imò vacationem orationi & ieiunio, assignat. Quocirca sicut nemo à Sacerdotibus requirit, vt ieiunio perpetuo & sine intermissione vacent: ita neque concludi ex citato loco Pauli potest, quod debeant semper esse priuati coniugio.

Et quoniam Sacra Ecclesiæ ministeria maiorem à carnalibus negociis abstractionem requirunt, id pij sacerdotes etiam in matrimonio benè poterunt præstare, non minus quàm sancti Sacerdotes Testamenti veteris, antequam tantus eorum numerus esset, tótque ministerij sui ordines & successiones. Quod si quod ad externum attinet, non eadem semper strenuitas obseruaretur, quæ antiqua populo præscripta fuit: cuius Sacerdotes etiam à multis aliis rebus abstinere, ac se purificare debuerunt, vt à morticinorum, aliorúmque, à quibus homo abhorret, contactu & contrectatione, quæ tamen animum non polluunt: huic tamen dicto Domini semper adhærendum est, quo affirmat ea tantum homines contaminare, quæ ex malo corde proficiscuntur, cuiusmodi est, si quis vltra præceptum coniugalem consensum, carnalibus libidinibus & concupiscentiis indulgere vellet. Alioquin si non vlterius procedatur, quam Dominus ipse coniugibus ordinauit, cum ipse S. Coniugium Sacerdotali ministerio instituerit, certè oportet vt eorum Coniugium sanctum sit, thorúsque immaculatus.

In quo si quando debitus abstinendi modus non obseruaretur, quanto tamen id tolerabilius esset horrenda abomination, quæ præsens versatur ob oculos, qua miseri Sacerdotes in manifesta spurcitie viuunt, & à lecto fornicationis ad omnia Ecclesiæ ministeria accedunt, ídque vel penitus profligata ac desperata impudentia, vel læsa ac vulnerata conscientia: Quandoquidem veram pœnitentiam ac prauitatis suæ emendationem apud se non inueniunt.

Hęc respósa sint ad alterũ principale argumẽtũ, cõtra Cõiugiũ Sacerdotũ, quo quidẽ antiqui quoq; Patres vsi sũt. Verũ lõgè zelo alio, quá nũc Aduersarij nostri faciũt: nec non maiori lenitate erga Sacerdotes vxoratos, quos propter Coniugiũ, neq; cõdẽnarũt, neq; à ministerio Ecclesiæ remouerũt. D. Hieronymus quãuis cœlibẽ vitã, miris laudib⁹ celebrat, Sacerdotes tamẽ vxoratos, nõ tãtum nõ damnat, verùm etiam ingenuè fatetur,

fatetur, Apostolum Sacerdotibus Coniugium permisisse. Quando enim Iouinianus, cum quo de præstantia & excellentia virginitatis decertabant, Samuelem ei obiiceret, qui vxorem habuit, his verbis ei respondet. Quo verò Samuel in tabernaculo Domini educatus, vxorem duxit, quid hoc ad extenuandam virginitatem facit? Quasi verò non etiam hodiè plurimi Sacerdotes in Coniugio viuant, & Paulus Episcopum describat, *qui sit vnius vxoris maritus, habeátque liberos in subiectione, cum omni reuerentia.* Hæc ille.

Nunc verò Sacerdotes vxorati seueriſſimè ab omni Ecclesię ministerio repelluntur, & ad id inepte iudicantur: idque ab eiusmodi hominibus, qui vel ipsi in omni impudicitia viuunt, vel aliis hoc idem liberè, & impunè permittunt, vel vtrunque faciunt, non habentes rationem manifestæ necessitatis, neque lenitatem, quàm sanctè ac verè casti Patres seruarunt, in hoc negotio, imitantes.

Hæc omnia qui diligenter perpendere volet, is facilè deprehendet, nos & coram Deo, & iuxta veterum verè sanctorum & castorum Patrum, iudicium teneri, Sacerdotibus qui alioquin continere se non possunt, S. Coniugium permittere. Et quod sine dubio, doctrinæ dæmoniorum, & furoris Antichristi, ac tyrannidis participes nos faceremus, si talibus Matrimonij contrahendi potestatem non daremus.

Verùm adhuc de secundis nuptiis grauem excitant Aduersarij controuersiam, & tam Patrum dicta, quàm Canones contra eas producunt. At ea omnia longè seuerius damnant, & ab Ecclesiæ ministerio repellunt eos, qui vel antequam ad ministerium Ecclesiæ accesserunt, vel dum in eodem fuerunt, pluribus impudicis mulieribus sese contaminarunt. Quare cum Aduersarij Canones istos, in rebus grauioribus magísque necessariis, & quatenus Dei mandata sunt, tam grauiter & sine omni formidine transgrediantur, sanè non habent, quod eos vlli mortaliũ obiiciant, in eiusmodi præsertim negocio, quod mandatum Dei non est, sed solummodo inuentum ac traditio hominum.

Verùm non dubitant affirmare, spiritum S. hanc legem tulisse, ne ad Ecclesiæ ministerium assumatur, qui ad secundas nuptias transitum fecerit. Requirere enim eum, vt minister Ecclesiæ, sit vnius vxoris vir, hoc est, quemadmodum ex veteribus nonnulli intellexerunt, qui per omnem vitam suam, vnam duntaxat vxorem habuerit.

At non ignorant Aduersarij, D. Chrysostomum, quemadmodum etiam alios antiquos, hanc interpretationem non reiicere, quæ vnius vxoris maritum definit eum, quę simul eodémque tempore, non plures quàm vnam vxorem habet, quæ expositio Scripturæ quoque consentanea est. Hę enim docent manifestè, vinculum matrimonij mortis interuentu dissolui. Quamobrem iuxta Scripturam nemo potest defunctę vxoris maritus appellari, sed solummodo viuentis, Idcirco qui vnam tantum vxorem habet superstitem, is secundum Scripturam vnius vxoris maritus est.

Rursus citant Aduersarij Chrysostomum in Epistolam ad Titum, vbi alteram quoque, vt ipsi existimant, horũ verborũ, vnius vxoris vir, expo- *Cap. 1.*

sitionem ponit, nempe, quod is qui defuncta vxore sua alteram duxit, non sit amplius vnius vxoris maritus: quódque talis per id quod Apostolus Episcopum & Sacerdotem requirit, qui sit vnius vxoris maritus, ab Ecclesię ministerio excludatur.

Verùm sic se habent verba Chrysostomi. Proponit verba Pauli, *Si quis est inculpatus, vnius vxoris vir, liberos habens fideles, non obnoxios crimini luxus, aut qui non sint intractabiles.* His postea subiungit in hũc modum, *Cuius rei gratia etiam huiusmodi homines in medium adducit? Obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, ostendens eam rem culpa carere, imò ita esse pretiosam, vt cum ipsa etiam possit quispiam ad Episcopatus solium subuehi. Castigat hoc ipso etiam impudicos ἀσελγεῖς, dum non eos permittit, post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatémque Pastoris assumi. Nam qui defunctæ vxori beneuolentiam nullam seruasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ Præceptor esse optimus poterit? Imò quibus criminibus non subiicietur indies? Nostis enim profectò omnes, quod etsi per leges secundæ Nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet. Nullam ergo occasionem præbere subiectis Præsulem vult. Quocirca hic ante omnia posuit, Si quis est sine crimine.* Hæc ille.

Iam videamus vtrum ad secundas Nuptias post obitum primæ vxoris contractas, vel potius ad istud Coniugium, quod post iniustum vxoris repudium, ipsáque adhuc superstite initur. D. Chrysostomus scribit, Paulum his verbis duo sibi proposita habuisse, vnum vt Hæreticorum qui sacrum Coniugium damnabant, ora obstrueret, in eo quod Matrimonium rem tam honestam agnoscit, vt cum eo possit aliquid ad Episcopatus solium subuehi, quod cùm Aduersarij negent, testantur se cum Hæreticis contra Paulum sentire.

Alterum, vt impudicos & lasciuos castigaret, dum eos non permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ Regimen, dignitatémque Pastoris assumi. Hic consideret Christianus Lector, vtrum D. Chrysostomus potuerit Apostolo hoc adscribere, quod secundas Nuptias, post prioris vxoris obitum, legitimè contractas, tanquam culpabilem impudicitiam & lasciuiam condemnet: Cùm ipse iunioribus viduis præcipiat, vt nubant. 1. Timoth. 5. cum dicit, volo iuniores viduas nubere. Iam Spiritus S. nihil percipere potest, quod sit damnatæ impudicitiæ & lasciuię. Quare veritati magis consentaneum est, Apostolum hoc loco de istis secundis Nuptiis loqui, quæ prima vxore adhuc in viuis existente ineuntur. Quæ certè nihil aliud sunt, quàm damnata impudicitia, nisi post necessarium diuortium fuerint contractæ.

Tertiò cùm dicit, Nam qui vxori defunctæ beneuolentiam nullam seruasse deprehenditur, quo pacto Ecclesiæ hic præceptor esse optimus poterit? Imo quibus criminibus non subiicietur indies? Verùm quidem est ἀποθνῄσκειν, interdum vti pro eo, quod est è vita discedere: At non semper hanc significationem apud eum habet, sicut dictio ista per se nihil aliud significat quàm discedere, vel abire, quomodocunque id fiat. Cùm igitur Paulus ipse præcipiat, vt qui semel in Matri-

monio fuerunt, si se continere nequeant, denuò Matrimonium contrahant, propterea quod sit melius nubere quàm vri, quibus criminibus subiacerent secundæ nuptiæ? Quam beneuolentiam maritus vel vxor, alteri coniugum vel debet, vel præstare potest, in eo, quod post eius ex hac vita discessum, secundas nuptias contrahit vel nō contrahit? Quandoquidem Coniugium præsentis tantùm vitę vinculum est. Si verò quis vxorem suam, tam duriter & iniuriosè tractat, vt coacta maritum suum deserat, aut ab eodem sine merita & iusta caussa repudietur, talis vxori suæ debitam beneuolentiam non seruabit, iustisque ac meritis criminibus subiectus est, atque idcircò indignus, qui ad Sacerdotale ministerium assumatur, Quicunque vocatus ad Matrimonium, id in Domino contrahit, is diuinæ ordinationi obtemperat, quódque vna quælibet pia vxor, quæ per mortem ad Dominum migrat, in relicto marito suo probat, quod nullis Christianis criminibus subiacet. Quare Sacris litteris, pióque intellectui, quemadmodum vniuersæ doctrinę D. Chrysostomi longè magis consentaneum est, vt in his illius verbis, per vxorem ἀπόλυσιν intelligamus, quæ iniusta de caussa à marito suo repudiata est, quàm quę mortis interuentu fuerit à marito suo separata.

Quartò scribit S. iste Pater, nostis profectò omnes, quod etsi per leges secundę nuptię permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet. Debéntne hæc de secundis Nuptiis, quæ post obitum primę vxoris in Domino contrahuntur intelligi? Quis Christianus dicet, has secundas rem esse, quæ multis pateat accusationibus, & per leges tantùm, non etiam Scripturam permitti? Spiritus sanctus enim eas in illis requirit, qui sunt ad eas destinati. Porrò quod Deus requirit ac præcipit, quid homo in eo accusare potest? Equidem Imperatoriæ leges tale coniugium ideò non permittunt: res enim eiusmodi est, quam nemo vnquam permissione indigere iudicauit. Verum secundæ nuptiæ, quæ post diuortium nulla iusta de caussa, nullâque vrgente necessitate, contrahuntur, tales sunt, vt eas Imperatoriæ quidem leges, sicut & Mosaicæ, indulgeant, multis tamen apud pios criminib. meritò pateant. Ex quo rursus apparet, D. Chrysostomum hoc loco non de secundis nuptiis, post obitum prioris Coniugis contractis, sed de iis, quæ Coniuge altero iniustè repudiato adhuc superstite incuntur, locutum esse.

At ponamus D. Chrysostomum hoc loco istam interpretationem Pauli, quæ aliorum quorundam est, imitatum esse, eúmque vnius vxoris maritum intellexisse, qui per omnem vitam suam non plures, quàm vnam vxorem habuerit, quod tamen ex hactenus enumeratis caussis, item ex eo quod idem iste S. Pater, scribens in Epistolam ad Timoth. alteram expositionem tanquam certiorem anteponit, coniici non potest, hoc tamen verum & indubitatum manet, neminem Christianum hanc interpretationem Pauli, quæ vult istum vnius vxoris maritum esse appellatum, qui simul & eodem tempore vnam duntaxat vxorem habet, reii-

cere posse, quemadmodum nec Hieronymus eam reiicit, & D. Chrysostomus ad Timoth. eam tanquam suam ac longè certiorem proponit.

Si igitur nemo eam reiicere potest, sequitur non esse necessarium, vt tantummodo vnius vxoris vir appelletur, qui in omni vita sua vnam duntaxat habuerit. Si non est necessarium, neque etiam certum est, Spiritum S. per D. Paulum noluisse ad Ecclesiæ ministerium assumi, qui secundam vxorem prima defuncta in Matrimonium duxerit. Si certum non est, affirmare nemo potest, quod præceptum Dei sit. Leges enim Dei certas, minimèque ambigui sensus esse oportet. Si non est lex Dei, est & manet traditio hominum, de qua vnicuique Episcopo permissum est liberè pro ædificationis gratia dispensare.

Ponamus verò, non concedamus (sicut concedere nemo potest, Catholica enim & orthodoxa est interpretatio Chrysostomi, in cap. 3. 1. Tim.) Apostolum Paulum certò ad ministerium Ecclesiæ tales requirere, *qui sint ita vnius vxoris mariti, vt quilibet eorum, vnam tantum vxorem, in omni vita sua habuerit*, ex eo tamen non sequeretur, Apostolum propterea nullo modo voluisse, ad hoc ministerium assumi, qui post obitum vxoris primæ, secundam duxerit. Non magis quàm ex hoc dicto Pauli, non nouitius, consequitur, Nullum omninò nouitium ad hoc ministerium admittendum esse. Si enim Nouitius aliquis esset, qui istis donis ac virtutibus, quæ ad Episcopale munus necessariò requiruntur, reliquis omnibus, quantumuis in fide & Clericatu adultis antecelleret, is certè dignus esset, qui præsenioribus istis Clericis ad Episcopale munus subueheretur. Quemadmodum D. Ambrosio contigit, qui antequam Baptizatus esset, ad Episcopatum eligebatur, cùm tamen Mediolani tunc temporis multi essent in Ecclesia adulti Clerici. Sic D. Augustinus repentè ex Laico Sacerdos creabatur, antequam in inferioribus ordinibus fuisset probatus, atque idcirco nonnulla ex parte neophytus: id enim iam primum circa tertium annum à Baptismo eius contigit. Iam sine dubio erant in Hippone, qui non solum in Christianismo, verumetiam in ministeriis Ecclesiasticis longè diutius se satis probauerant. Quoniam verò D. Augustinus maioribus ac præstantioribus donis præditus erat, ad Ecclesiam sana doctrina ædificandam, ideò reliquis omnibus præferebatur.

Quemadmodum iam de eo, qui ratione temporis neophytus est, dispensari debet: talisque neophytus, qui reliquis quantumuis in fide & Clericatu adultis, doctrina, conuersatione vitæ, zelo, grauitate, & auctoritate apud populum præpollet, anteferendus est. Sic etiamsi mens Apostoli fuisset (quod tamen non modo incertum est, verumetiam alter sensus in genere, cum doctrina Pauli, & S. Scriptura magis concordat) quod ad Ecclesiæ ministerium eos requireret, qui in omni vita sua non plures quàm vnam vxorem habuissent: nihilominus tamen si quispiam inueniretur, qui secundam, vel etiam tertiam vxorem post obitum primæ duxisset, in omnibus aut Episcopalibus donis, & virtutibus reliquis omnibus, qui vel nullas vnquam, vel vnam tantum vxorem in vita habuissent, antecelleret, talis omnibus modis esset ills in

Epis-

Episcopali munere præponendus. Etenim in vniuscuiusque officij ac ministerij administratione principaliter respiciendum est, quod ad tale id munus maximè necessarium est. Iam verò confessum est, quòd præstantia in doctrina, & aptitudine ad docendum, vnà cum sancta vita, ad Sacerdotalis & Episcopalis muneris administrationem maximoperè necessaria sit: vnam verò duntaxat vxorem habuisse per se non sit. Plures enim quàm vnam in Domino vxores habuisse, peccatum non est. Omne enim matrimonium in Domino contractum, sanctum est, omnisque thorus immaculatus, necnon à spiritu S. ad sacrum Ecclesiæ ministerium sine vllo numerorum discrimine requisitum. Simpliciter enim positum est, vnius vxoris vir. Qualis vnusquisque est, qui vnam tantum superstitem habet, quantumuis multæ interuentu mortis ab eo separatæ fuerint.

Vlterius instant Aduersarij, & adferunt dictum quoddam D. Augustini, ex 18. cap. lib. de bono Coniugali, vbi Sanctus iste Pater scribit, Eum qui prima vxore defuncta, alteram duxerit, normam Sacramenti, hoc est, spiritualem significationem, ad signaculum ordinationis Ecclesiasticæ necessariam, amisisse. Et hoc aiunt Augustinum strenuè ex Paulo demonstrare.

Resp. Prior pars vera, videlicet D. August. hæc verba scripsisse, quod verò ea solidè ex Apostolo Paulo demonstret, id neque in hoc capite, neque in alio quouis loco à quoquam ostendi potest. Id enim probare D. August. ne verbo quidem conatus est: sed tantummodo causas inuestigat, quare in nouo Testamento ista consuetudo obseruetur, vt ad Ecclesię gubernacula non sit ordinandus, nisi qui vnam tantummodo vxorem in vita habuerit. Has verò causas ex spirituali significatione, quam ipse Sacramentum appellat, elicit, cùm in hunc modum scribit.

Sicut sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significauit futuram multitudinem Deo subiectam in terrenis omnibus gentibus: sic sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis, significat vnitatem omnium nostrûm, subiectam Deo, futuram in vna cœlesti ciuitate.

Hanc rationem adfert D. Augustinus istius legis, qua prohibentur *ij, qui primis vxoribus suis defunctis, secundas duxerunt, ad sacerdotale, vel Episcopale munus admitti: etiamsi secundam vxorem ducere non sit peccatum.* Ita, inquit, *non absurdè visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacramenti admisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.*

Quid demonstrationis est in his verbis? Quod verbum vel ex Paulo, vel ex alio quouis scripturæ loco citatum? Primùm sine vlla demonstratione recipit D. Augustinus, istam verborum Pauli interpretationem, quæ hunc tantummodo vnius vxoris maritum à Paulo requisitum tradit, qui per omnem vitam suam, vnam duntaxat vxorem habuerit. Ea verò incerta est, vt antea iudicauimus: altera

verò, nempe quod Paulus eum vnius vxoris virum agnoscat, & appellet, qui simul vnam tantum habet, tam doctrinæ Pauli, quàm S. scripturæ cum verbis, tum sensu magis consentanea est.

Secundò, adhuc vlterius expositionem eorum recipit & commendat, quæ si in eum reipsa exercita fuisset, longè ab omni ministerio Ecclesiastico eum propulisset.

Posteaquam enim dixit, eum, qui alteram vxorem duxisset, non esse ordinãdum ad ministerium Ecclesiasticum, statim subiicit, Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui Catechumenus, Vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt.

Quod si robur quoddam habere deberet, iustius fanè esset, quemadmodum D. Hieronymus in 1. cap. Epistolæ ad Titum scribit, vt à Sacro Ecclesiæ ministerio arcerentur, qui ante conuersionem suam, vagam per meretrices ante exercentes libidinem, vnam regenerati vxorem acceperint. Iam D. Augustinus, quemadmodum ipse de se scripsit: & confessus est, duas antequam baptizatus esset, concubinas habuit, Lib. Confes. 6. cap. 14. Quamobrem nec ipse debuisset, vel ad Sacerdotium, vel ad Episcopatum legi, si hic genuinus fuisset verborum Pauli sensus, & lex Ecclesiæ.

In Epistola ad Oceanum. Hinc est quòd D. Hieronymus, non magnus alioquin Matrimonij, in primis verò secundarum nuptiarum prædicator, eam interpretationem, tanquam superstitiosam anxietatem taxauit & reiecit.

Ex hoc vnicuique obuium est videre, D. Augustinum sui dicti de necessitate singularum Nuptiarum ad ministerium Ecclesiasticum, vbi quis vnam duntaxat vxorem in vita sua habuit, nullam omninò demonstrationem proferre: sed expositionem istam ab hominibus, sine fundamento, obiter acceptam, etiam sine fundamento ad demonstratione tradidisse. Si enim similitudo, quâ D. Augustinus introducit, plurimùm valere permittatur, quid derogabitur spirituali significationi, quod omnes fideles Christo Domino desponsati, in futura cælesti vita ipsi in perfectissima vnitate dediti futuri ac victuri sint, si quis vnam duntaxat vxorem simul habeat, siue illa secunda sit, siue tertia aut quarta, semper tamen priore defuncta. Ipse tamen August. Sacramentum istud, hoc est, spiritualem significationem eius, quod Dominus in Nouo Testamento multas Ecclesias sibi desponsatas, esset habiturus, in pluralibus nuptiis antiquorum, qui plures quàm vnam vxorem simul habebant. Quare igitur id, quod tempore Noui Testamenti singuli Christiani, singulas vxores habent, bona significatio esset illius, quod Ecclesiæ tandem in Christo vnum cor, & vnam animam sint habituræ, ac futuræ Domino in sponsam arctissimæ vnitatis, & concordiæ vinculo coniunctam.

Præter hæc omnia, neque illud prætereundum est, quod etsi D. Augustinus, interpretationem istam, pro mente & lege Pauli agnouit, videlicet, neminem ad Ecclesiæ ministerium admittendum esse, qui etiam ante Baptismum secundam vxorem habuerit: eam tamen legem

non

non adeò rigidam agnouit, vt de ea dispensari non posset. Nam & ipse Sacerdotale & Episcopale munus assumpsit, cum tamẽ binas ante concubinas habuisset, ambásque simul superstites. Quod sanè longè deterius fuit, quàm si duas legitimas vxores habuisset, vnam post alteram defunctam.

Quæ de secundis Nuptiis dicenda restant, superius in Articulo de Matrimonio in genere adducta sunt.

Christianus Lector, qui hæc omnia, quæ hactenus producta sunt, pia ac Christiana mente iutueri ac perpendere volet, certissimè cognoscet. Matrimonium iuxta verbum Dei in Domino initum, hoc est ab & cum illis, qui ad id à Domino vocati, & alioquin pij Deique timentes sunt, in nullo Ecclesiæ ministro esse damnandum, siue in Sacerdotali ordine contrahatur, siue ante eum contractum fuerit, siue primum sit, siue secundum. Deinde etiam, quod etsi S. Patres temporaliter eos, qui in Sacerdotali munere vxores duxissent, ministerio suo exuebant, eósque qui post obitum primæ vxoris secundas nuptias contraxissent, ad ministeriũ istud nõ admittebãt: id tamen ita obseruauerint ex propria opinione sua, sine vllo certo ac firmo fundamento S. scripturę, quę omne Matrimonium in Domino initum sine vllo personarum discrimine, ministeriorum, vel numerorum sanctum omnibúsque liberum agnoscit. Et quoniam S. Patres Sanctum Coniugium in Sacerdotibus tolerarunt, omnem verò impudicitiam, ac suspectam vitam non tolerarunt, manifestum est, eos sine omni dubio, hoc nostro tempore, Sacrum Coniugium Sacerdotibus omnibus modis, etiam secundo & tertio libenter permissuros fuisse, potius quàm tam flagitiosam ac sceleratam impudicitiam, támque horribilem Ecclesiarum deuastationem paterentur, quemadmodum tot hactenus annis Aduersarij pertulerunt, ferúntque adhuc quotidie.

Iam nostri muneris fuit, iuxta doctrinam omnium S. Patrum, vt verbum Dei omnibus, omnium hominum placitis, & opinionibus anteferremus. Verámque & efficacem Ministrorum sanctimoniam, omnibus ementitis titulis ac votis præferremus. Et quoniam prohibere Matrimonium, siue primum, siue secundum, aut tertium, siue Sacerdotibus, siue aliis, qui alioquin ad id à Deo vocati, & donati sunt, non autem vt extra id Deo seruiant, sine dubio doctrina Dæmoniorum est, & opus Antichristi, atque idcircò certa omnis sanctimoniæ euersio, totiúsque Ecclesiastici ministerij, non potuimus nos tantæ abominationis diutius participes facere, sed debuimus ex indubitato verbo Dei, de vastatis, ac miserè dissipatis Ecclesiis Christi, ministerio Matrimonij, quod semper & in omnibus, qui ad id vocati sunt, sanctum est, rursus de honestis, castis, atque idoneis ministris prouidere.

Hactenus de Cœlibatu Sacerdotum.

Tricesimaquinta Accusatio.

De Reformatione, & Restitutione Collegiorum.
Vtrum Ordinatio Libri non sit fundata in Scriptura & Canonibus.
Vtrum non sit Canonibus consentaneum, vt Presbyteri ad prædicationem Sacramentorum: Diaconi verò & Subdiaconi ad ministerium Eleemosynarum esse applicent.

Cap. CXXV.



Hoc loco dicunt Ordinationem Libri, esse nouitiũ & humanum inuentum, absque omni Scripturæ Sacræ fundamento: sed antiquis Canonibus, fundationibus, & institutionibus Metropolitanæ, & aliarum Ecclesiarum repugnans.

Satis quidem audacter hoc scribunt Aduersarij, verùm ne minima quidem ex parte probant. Iudicium esto penes omnes prudentes Christianos, postquam Ordinationem in Libro prescriptam, ad normam S. Scripturæ, & Canonum examinauerint. Iuxta verbum Dei, & Canones, non contra, debent omnes Ecclesiasticæ fundationes tẽperari, & obseruari.

Primum omnium vbi lenitatis cuiusdam, & non extremi rigoris, in Reformatione significationem damus, & in Libro memoratur, quod si ad integrum deberent personæ Collegiorum reformari, oporteret vt omnes Collegiorum præpositi, & quotquot eorum sunt membra, nẽpe Sacerdotes: Diaconi, Subdiaconi, Canonici, Vicarij, denique & omnes Clerici, ad formam rediret & modum, quem Canones nominibus istis & ministris præscribunt. Ad hoc scribunt Aduersarij: Vtinam cõcedat Deus, vt talis aliqua Reformatio, qualem Canones exigunt, à capite ad infima vsque membra, ordinatè, & quomodo fieri decet, quæratur, & instituatur.

At quis fidem illis habere potest, quod seriò & ex animo loquantur? Deus enim hoc vult, ac præcipit: ipsi verò id facere negligunt & aspernantur.

Non ignorant Sacerdotes ex mandato sacrarum litterarum & Canonũ debere ab omnibus mundanis negotiis ac fastu penitus subducere, & populo Christi in ministerio doctrinæ, & tota animarũ Cura, sancta & irreprehensibili vita fideliter inseruire, & singulis Ecclesiis singulos præfectos esse, ab iisq; nõ plus ad tẽporalẽ necessitatẽ accipere, quã vnicuique ad ministeriũ suum vtiliter Ecclesiis præstandum est necessarium. At quî fit vt hoc nõ exequantur? Quare tantam præbendarum, imò etiam parochiarum copiam tenent, nulli verò inseruiunt? Cui

populo vnquam hactenus Christianum Sacerdotale ministerium præstiterunt? Dominus in hanc impudentiam suo tempore grauissimè animaduertet.

Secundò accusant id quod in Libro requiritur, vt Capitulum Metropolitanum in his quæ ad doctrinam, Missas, Sacramentorum administrationem, aliáque Ecclesiæ ministeria & Ceremonias pertinent, non aliter se gerat, quàm prescribit liber: & rursus obiiciunt, Canones sacros multipliciter condemnare, quę in hoc Libro traduntur.

Verùm id ne in minimo quidem hactenus probarunt, neque probabunt in ęternum.

Tertio non dubitant scribere, quod id quod Liber Reformationis vult, vt Presbyteri Canonici omnes ad curam animarum, prædicationem, & Sacramentorum administrationem, similiter Diaconi, & Subdiaconi, ad dispensationem Eleemosynarum se conferant, rursus Canonibus sacris non quadrare.

Quod dum scribunt, disciplinam, quę tamen in Libro simul expressa est, omittunt. At videamus quomodo hanc assertionem suam confirment. Primum eorum argumentum est, Ministerium doctrinæ & Sacramentorum esse proprium officium Episcoporum, adeò vt nemo Presbyterorum debeat illud præsente Episcopò administrare. An non hæc rationabilis ac iusta causa videtur, propter quam tam Christianum Reformationis Archiepiscopi sui modum, tam procaciter taxent? Præterea bella sanè & elegans concludendi ratio est, sed quæ solis Calumniatoribus competit, ex eo, quod ad Episcopale officium propriè pertineat, Docere populum, inferre, Nemini igitur ex Presbyterorum ordine licere docere populum. Ad hęc fictum quoque Clementem ad id probandum citant, & Hieronymum, qui tamen idem omninò docent, quod Liber Reformationis.

Equidem debet Episcopus, quæcunque ad Curam Animarum pertinent, principaliter, & per semetipsum, quantum ab eo fieri potest, expedire: at non solus, sed debet ad id Presbyterorum, tanquam Coadiutorum adiumento vti. Et sanè quid aliud est Episcopus quàm Presbyter, quemadmodum D. Hieronymus ex 1. Epistola D. Petri, ex Luc. Act. 20. ex Paulo ad Phil. 1. & Tit. 1. non vno tantum loco euidenter demonstrat? Ex quo rectè infert: Quid igitur facit Episcopus, sola Ordinatione excepta, quod non item faciat Presbyter? Nota quicquid Episcopo in Ecclesia faciendum est, idem & Presbyter facere debet: sola ordinatio & institutio ad Ecclesiæ ministerium Episcopo reseruata fuit, in signum pœnitentiæ. Quæ etiam hanc solam ob causam ordinata fuit, quo facilius Christianæ Ecclesiæ vnitas conseruari possit: non autem quod Episcopalis ordo per se aliud officium ministeriúmque sit, quàm Presbyteralis. Adhæc ipsorum Gratianus caput quoddam introducit ex aliquo figmento, D. Hieronymo

perperam adscripto, quod testatur, Ad Presbyterorum officium pertinere, prædicare, confirmare, populum benedicere, & omnia id genus Episcopalia munera, ipso etiam Episcopo præsente obire.

Nihilominus audent Aduersarij affirmare, Prędicare non esse proprium munus Presbyterorum, sed solius Episcopi. Et volunt hoc probare per D. Ambrosium, in 4. cap. ad Eph. vbi tamen contrarium docet. Sic etiam D. Hieronymum ad Nepotianum allegant, vbi tamen scribit, Malam esse in quibusdam Ecclesiis consuetudinem, quod Presbyteri taceant, nihilque coram Episcopis loquantur. Hinc est quod Valerius prædecessor Augustini Hippone commendatur, quod Augustinum, adhuc Presbyterum existentem, coram se prædicare permittebat. Quot item elegantes habemus sermones, quos D. Chrysostomus ad populum Antiochenum, cùm adhuc Presbyter esset, habuit?

At videamus quodnam peculiare ministerium Aduersarij Presbyteris Canonicis assignent. Proprium Presbyterorum Cathedralium Ecclesiarum officium esse aiunt, Sacras Scripturas diligenter perueştigare, & in Synodis vnà cum Episcopo, quomodo Scriptura Sacra (dissensione aliqua dogmatum incidente) intelligi debeat, explicare, & alias etiam cum Episcopo in caussis Synodalibus, velut Assessores decernere.

Presbyterorum verò minorum Ecclesiarum, aut Scripturas Sacras in Collegiis suis profiteri & docere, aut in eis assiduo exercitio aliter versari: sed & Episcopum eorum opera in prædicationibus nonnunquam vti posse, quanquam non sit istud proprium eorum officium.

Qua ratione Presbyteris Cathedralium Ecclesiarum multum ocij, multúmque quietis conciliabunt, & parum Ecclesiis Christi ministrare cogentur. Si enim officium eorum, latius se extendere non debet, quam vt S. Scripturas perueştigent, eámque in Synodis explicent, & in caussis Synodalibus decernant: Episcopi verò rarissimè Synodos celebrent: & etiamsi antiquam ordinationem imitarentur, duas nihilominus tantummodo per Annum conuocaturi essent; hoc modo Presbyteri Canonici, vel nihil omnino, vel ad summum bis in anno quod laborent habebunt, quando Synodi celebrantur. Medio tempore suam haberent quietem, ociúmque ad S. Scripturas perueştigandas.

Sic etiam Minorum Ecclesiarum Presbyterorum, iuxta sententiam Aduersariorum exiguus labor incumberet, si tantùm in Collegiis suis Sacras Scripturas profiteri, ac docere deberent, idque vt ipsi volunt, coram paucis quibusdam doctis. At vbi relinquetur interim grex Christi, quem Dominus precioso sanguine suo redemit? Quam longè aliter loquitur Spiritus Sanctus per Paulum, & Petrum, de officio, ministerioque Presbyterorum! Paulus ita dicit ad Presbyteros Ephesinos, quos Paulus ad se Miletum vocauerat,

Attendite

Attendite igitur vobis & cuncto gregi (Nota, Cuncto gregi, cui Presbyteri ministrare debent, sine dubio doctrina & admonitione) in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos (Nota, quod omnes Presbyteri Episcopi sunt, quódque Presbyterorum & Episcoporum munus per se vnum & idem est) ad pascendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quid verò est Pascere? An non vniuersæ Ecclesiæ Christi ante omnia de sana doctrina prouidere? Quid est Ecclesia? Nunquid tota congregatio populi Dei, vniuersa multitudo fidelium?

Iam quid dicit Petrus ex Spiritu S. de officio ministerióque Presbyterorum? Presbyteros qui sunt inter vos obsecro, qui sum & ipse Presbyter, ac testis afflictionum Christi, &c. pascite quantum in vobis est, gregem Christi, curam illius agentes, ἐπισκοποῦντες, hoc est, Episcopale munus in eo administrantes, &c.

Hic rursus, vide Christiane Lector, Ministerium Presbyterorũ nullo modo in eum finem institutum esse, vt soli per se, vel cum paucis doctis studeant, & scripturas explicent, canant, legant, ac precentur: sed vt gregem Christi pascant, eiúsque Episcopos & Inspectores agãt, hoc est, ei de omnibus quibus interior homo in Domino crescere & augeri potest, prospiciant, ad quod doctrina, & admonitio ex verbo Dei semper requiritur. Vniuerso populo debent inseruire ad omnem profectum pietatis, non sibiipsis, vel solis Clericis. Hinc est quod Dionysius ministerium illuminationis, hoc est, vlterioris in cognitionem Christi inductionis illis attribuit.

At quid verbis opus est? Omnes Antiqui Patres & Canones abundè cum sacra Scriptura testantur, Presbyterale & Episcopale officium per se vnum & idem ministerium esse Curæ animarum, ac totius administrationis Ecclesiarum Christi in doctrina, sacramentis, & disciplina. Item, quod hanc solam ob caussam vnus inter Presbyteros, qui omnes gregum Christi Episcopi, hoc est, inspectores, & animarum curatores esse debent, reliquis præficiatur, quemadmodum in Senatu Cõsul (qua similitudine Hieronymus vtitur) quò melius ad singula attendatur, & grex Christi intempestiuius pascatur, & vnitas in Ecclesiis firmius ac constantius conseruetur. Quam postremam caussam D. Hieronymus tractat.

Adhuc vnum argumentum adducunt Aduersarij ad probandũ, quod prædicandi munus non propriè ad Presbyteros pertineat: ex eo nempe, quòd D. Hieronymus, & alij eius similes multi sancti Presbyteri non prædicauerint.

Hoc loco interrogandi essent Aduersarij, quo tẽpore tales viri, officio prædicandi sese subduxerint, vtrum cùm adhuc in Presbyterali gradu ac ministerio constituti essent, suámque corporalem prouisionem peculiariter huic officio, & muneri destinatam, ab Ecclesia acciperent ac fruerentur, quemadmodum Aduersarij, eorúmque similes Presbyteri faciunt, cùm ne minimam quidem huius

ministerij partem exequantur. At hoc nunquam poterunt demonstrare. Hoc quidem reperitur D. Hieronymum, alióque eiusmodi viros, Presbyterali ministerio depósito ad monasticam vitam se contulisse, quod facientes, omnia quoque stipendia, & præbendas Ecclesiarum Christi, resignarunt, & vel ex propriis Patrimoniis, vel beneficentia ac liberalitate, quorundam piorum hominum, nec non proprio labore manuum, victum quæsierunt, quemadmodum Monachi semper corporali quoque labore, seipsos exercuerunt.

Nec prætereundum silentio est librum Reformationis prædicandi populóque Scripturas interpretandi munus, non adeò strictè Presbyterali ministerio attribuere, vt in eo neminem omnino tolerandum censeat, quin possit ac velit incumbere. Quoniam enim vniuersa cura animarum, Presbyterali officio iniuncta est, fieri potest, vt quidam maximè idonei sint, ad omnia quæ Christiana disciplina, & gubernatio extra prædicationem requirit (cuius generis nonnulla Aduersarij ex ficto Clemente suo recensent) qui tamen dono prædicandi, & sacras Scripturas coram populo interpretandi penitus sunt destituti. Tales nihilominus ad Presbyterale ministerium assumi possunt, quemadmodum D. Hieronymus in cap. v. 1. ad Timoth. testatur, quod Synagoga & Ecclesia Christi ab initio semper eiusmodi nonnullos Presbyteros, iuxta Doctores habuerit, ac meritò habere debeat. Attamen cum doctrina & Sacrarum Scripturarum interpretatio præcipuum ac summum in cura animarum, locum obtineant, eáque Spiritus sanctus peculiariter in Presbyteris requirit, 1. ad Timot. 5. ad Tit. 1. Sancti quoque Patres eiusmodi aptitudinem ac diligentiam in docendo populo singulariter in Presbyteris spectarunt. Hoc est, quod Liber Reformationis commemorat, vlterius nihil. Quapropter Aduersarij ne minimum quiddam demonstrarunt, nec demonstrabunt in posterum, quod Liber Reformationis, de Ministerio Presbyterorum, non consentienter cum Sacris Litteris, & antiquis Canonibus tradiderit.

Verùm debebant Aduersarij, cum dicunt, totum doctrinæ ministerium, & Sacramentum ad Episcopum pertinere: Item Presbyteros præsente Episcopo, non debere eo perfungi; hoc considerare, quod inde firmissimum certissimúmque testimonium sumi possit, in vna congregatione populi Dei, vnam solam Missam celebrandam esse, idque ab Episcopo, vel ipso absente à Presbytero, cui id negotij demandarit.

Cæterùm Aduersarij dum prædicationem & administrationem Sacramentorum adeò penitus ad Episcopum restringunt, & à Presbyteris remouent, nos perstringere voluerunt, quasi Reformatio iuxta Canones instituta, nemini grauior & intolerabilior, quam

quam nobis sit futura. Vnde etiam hoc posuerunt, à capite ad infima vsque membra. Sed vtinam Aduersarij, omnésque Presbyteri pro quibus pugnant, tam prompti ac parati essent, ad veram & efficacem omnium Ecclesiasticorum ministeriorum Reformationem, quemadmodum diuinę Scripturæ, & Sacri Canones postulant, instituendam, atque nos parati & instructi sumus; breui enim tempore melius consultum foret Ecclesiis.

Apologia eius, quod nos Christianum Magistratum retinemus, & constituimus, vt Cura Animarum, per idoneos, ad eámque vocatos viros, ritè administretur.

Cap. CXXVI.

NOn nostro tempore, sed diu ante nos Electoralis Principatus, ad nomen & Magistratum, Episcopalis officij Colonienſis deuenit. Quod qua ratione factum sit, non est huius loci recensere. Verùm quomodocunque id contigerit, certum tamen & indubitatum est, omnes Magistratus qui sunt, à Deo ordinatos esse, secundum Spiritus S. testimonium, ad Rom. 13. Quamobrem cum semel Magistratus Electoralis Principatus, Episcopali nomini, ac potestati, Metropolitanę Ecclesiæ Colonienſis accreuerit, necesse est, vt sinamus esse Magistratum à Deo ipso constitutum, ac bonum Dei ministerium, vt quæ summa ac diligentia ac fide ei inuigilemus. Quamobrem cum semel ad Magistratus ac Principatus istius Officium peruenerimus, decet etiam nos, vt in hac Vocatione, quæ per se pia ac bona est, permaneamus, & Domino in eo seruiamus, quandiu nos in ea habere voluerit.

A quod nos remorari non debet, quod ad id ea persuasione allecti sumus, quasi debeamus simul Episcopali quoque munere perfungi: Ad quod sufficiat, si id Vicariis nostris, in Pontificalibus, & Spiritualibus, vna cum Archipresbyteris, & Archidiaconis, obeundum demandemus: Nos verò, quemadmodum prædecessores nostri longo tempore fecerunt, Electorali officio ipsi incumbamus. Ea enim persuasio tanquam humana præsumptio id efficere non potest, vt Electorali vocatione, ad quam Omnipotens nonnihil nos donauit, derelicta, ad prędicandi munus, aliáque Animarum curæ ministeria, ad quæ non sumus à Domino donati, atque idcirco nec vocati, nos conuertamus. Quilibet enim in ea vocatione manere, Dominóque seruire debet, in qua se potentem deprehendit, & ad quam à Domino maxima dona accepit, ad vtiliter ei in illa seruiendum.

Posteaquam verò ad vnumquemque Magistratum præcipuè pertinet, ante omnia prouidere, diligentissimèque & efficacissimè constituere, vt populo Christi, quoad Curam Animarum probè consulatur, atque idcirco passim eiusmodi ministri præficiantur, qui ab omnibus aliis negociis liberi, soli Episcopali & spirituali numeri, hoc est, Curę animarum inuigilent: debemus omnem nostram à Deo commendatam potestatem, siue Electoralem, siue Episcopalem magistratum quis appellare velit, in eum finem vsurpare, vt omnes Ecclesię Christi, fidei nostræ concreditæ, nostrăque potestati eatenus subiectæ, verè Episcopalium ministeriorum & operum defectu non laborent: sed singulę suos proprios & idoneos præsentésque ministros habeant: & illi rursus suos ordinarios visitatores, & Superintendentes, hoc est, Superiores Episcopos & Inspectores.

Quilibet enim Pastor, quemadmodum demonstratum est, Ecclesiæ suæ Episcopus esse debet, totúmque Episcopale ministerium præstare, siue quis Ciuitatis, siue Pagi, siue Regionis, quos antiqui χωρεπισκόπους appellarunt, siue Metropoleos Episcopus sit, quales in præcipuis vrbibus ordinantur, ac circumiacenti regioni, finitimísque oppidis & & villis præficiuntur.

Quamobrem si prouidemus ac constituamus (quantum largitur Dominus, & per Antichristianorum impedimenta & obstacula, quæ nobis Aduersarij in hoc negocio obiiciunt, fieri potest) vt ciuitas Colonienſis, aliáque Oppida, & villæ, Electoralis ditionis, ac Diœceseos Colonienſis, suos ordinarios animarum Curatores, hoc est, Episcopos & Presbyteros habeant, qui totam animarum curam, & doctrina, & Sacramentis, & disciplina, iuxta verbum & mandatum Domini, fideliter atque efficaciter administrent, facimus id quod nostra vocatio requirit, & Deus principaliter à nobis postulat, quódque Ecclesiis Christi Colonienſis partim electoralis ditionis, partim Diœceseos, vtilissimum ac saluberrimum existit. Quod si vocationem Electoralem omittere vellemus (quod Aduersariis eorumque complicibus gratissimum atque exoptatissimum esset) ad quam tamen nos imprimis à Domino vocatos esse dubitare non possumus, sicut nec alius quisquam Christianus, qui hanc rem rectè intueri ac iudicare voluerit: Ministerium verò Episcopalis Curæ Animarum & prædicando, & alia ad hoc munus pertinentia, agendo, in nos reciperemus, & per nos ipsos expedire conaremur. (id quod Aduersariis, eorúmque Sectatoribus grauissimum molestissimúmque foret) ageremus, apertè contra verbum Dei, & omnes Canones, qui requirunt, vt quilibet in sua vocatione, in qua est vocatus, maneat: eam verò pro diuina vocatione sua agnoscat, in qua ad fructuosissimè ministrandum populo Dei maximè se donatum deprehendit.

Posteaquam igitur dictam constitutionem, prospectionémque Ecclesiarum Electorali & Episcopali nostro Magistratui, subiectarum & commissarum, summa fide in opus perducere tentauimus, ac per eam iamdudum multum boni effecissemus, nisi Aduersarij, eorúmque Assec-

clæ, tam

ſubdolè, támque indeſinenter nos remorati fuiſſent, non ſolum nihil penitus habent Aduerſarij, cuius ex authoritate S. ſcripturarum, & Canonum nos incuſent: ſed potius cuius ſe, ſuóſque ſectatores reos agant, quod Electori & Archiepiſcopo ſuo, hoc eſt, ſupremo, tam in politicis, quàm in Eccleſiaſticis rebus, Inſpectori, in diuino hoc maximéque neceſſario opere promouendo, non ſumma fide ac diligentia, próque virili poteſtate auxilio ſunt, & adiumento.

Verùm de reali ac ſalutari conſtitutione, adminiſtrationéque Eccleſiarum Chriſti nihil omninò curant: ſed tantum de externa inani pompa, quæ conſiſtat in amplis nominibus ac titulis, in ingenti ordinario numero ac diſcrimine, in multitudine Togatorum, ſplendidéque ornatorum cœlibum perſonarum, qui totum miniſterium Eccleſiaſticum cantationibus, & lectionibus non intellectis, paucíſque concionibus, vna cum infinito præceptorum numero, quæ nemo obſeruat, expediũt, totíque interim mundo dominantur, & ab omnibus Rabini, beneficíque Domini ſalutantur: taceo horrendam impudicitiam & anaritiam, quæ vulgò & in maiori iſtorum hominum parte regnat.

De miniſterio Diaconorum, & aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ.

QVartum quod in Libro Reformationis hoc loco taxant, eſt, quòd miniſterio Diaconorum & ſubdiaconorum, iuxta verbum Dei, & antiquos Canones, diſpenſationem eleemoſynarum aſſignat. Multa hic verba profundunt de miniſterio, quod debeant Epiſcopis in Chriſtiana diſciplina, & Cura animarum præſtare.

Hoc loco multa verba faciunt, perinde ac ſi Liber hoc miniſterium ſilentio præteriiſſet, cùm tamen id expreſsè poſuerit. Ipſi verò in commemoratione eius, de quo Librum Reformationis accuſant, calumniosè id pro more ſuo circumierunt.

Porrò quod diſpenſationem ſanguinis Chriſti ad Diaconos quoque pertinere aiunt, id quod Laurentij dictum ad Sixtum, quod Aduerſarij introducunt, quis contradicit, præter illos ipſos, & eorum ſectatores? In quo rurſus animaduerte, homines iſtos omnibus veris ordinationibus Eccleſiaſticis penitus & in omnibus rebus aduerſari: & tamen audere eas paſſim tam perfricta fronte contra Librum, & omnes, qui iuxta eas viuere cupiunt, citare.

Id quod in eo ſatis manifeſtè declarant, quod miniſterium ſacræ eleemoſynæ, non ſolum à Diaconis & ſubdiaconis, ſed penitus ab omni eorum Clericatu remouerunt. Cùm tamen hoc præcipuum opus ſit, quod omnes miniſtri Eccleſiarum poſt curam animarum principaliter adminiſtrare debent.

De Monachatu.

Cap. CXXVII.

QVINTÒ, Quando Liber Reformationis discrimen Clericorum & Monachorum ex Hieronymo ad Heliodorum adduxit, idque solummodò ad indicandum, quòd omnium Clericorum munus & officium sit gregem Christi pascere: Aduersarij continuò id accipiunt, ac reprehendunt, ostendentes, Monachos post tempora Hieronymi, etiam in omnium ordinum Clericos ordinatos fuisse.

Cui tamen Liber non contradixit, sed docuit, sicut in Reformatione Collegiorum demonstratum est, & ab Aduersariorum calumniis infestatum, vt deinceps quicunque in Monasteriis ad Clericatum idonei sunt, ad eum ordinentur & applicentur.

Alioquin admodum infirmum argumentum est, Monachos aliquando Clericos & sacerdotes fuisse, quod Aduersarij post suum Gratianum introducunt, de benedictione danda, item de Lectione Euangelica dicenda cum Collecta. Hæc enim omnia iamdudum Monachabus quoque attribuerunt, quas sine dubio non in Sacerdotes ordinabunt. Vides quàm temerè & inconsideratè Christianum nostrum propositum calumniis suis grauent.

Liber Reformationis, vnà cum D. Hieronymo agnoscit Clericos esse, qui iuuant gregem Christi, Christiana doctrina, admonitione, & disciplina pascere. Ad quod faciendum vtinam omnes Monachi se applicare & accommodare vellent. Verùm qui nunc Monachi vocantur, & eorum propugnatores, nostri Aduersarij, totum Clericatum in nudis ac superuacaneis ceremoniis collocant, & in superstitiosam Missam.

De Prospectione incorporatarum Ecclesiarum.

Cap. CXXVIII.

SEXTÒ, verbotenus quidem fatentur Aduersarij, æquum & dignum esse, vt Capitulum metropolitanum Ecclesiis Parochialibus eidem Capitulo incorporatis, præficiat Pastores idoneos, quibus & de rebus necessariis ad competentiam prouideat. Modo id aliquando vellent incipere practicari.

Quod vero Liber Reformationis etiam requirit, vt efficiant, quò in talibus Parochiis omnia lingua vernacula peragantur, secundum Reformationis istius voluntatem, id eorum non esse scribunt, nec posse eos id facere, propter prædictas causas. At vbi sunt istæ causæ, quas hac de re commemorarunt? Et quas causas potest homo prætexere, vt liceat ei agere contra mandatum Domini? Equidem lex Dei est, vt in Ecclesiis Dei sileant, ac penitus nihil loquantur, qui non aliquid vtile ad intellectum auditorum loqui, vel possunt, vel volunt, 1. Cor. 14.

Di

De Scholarum Procuratione.

Cap. CXXIX.

Septimò reprehendunt id, quod Liber Reformationis vult, vt Collegia necessarias Scholas, apud incorporatas sibi Parochiales Ecclesias erigant, ac stipēdiis sustentent. Et si illis hoc onerosum sit, vt aliquot vicarias, si vacent, in eum vsum conuertant.

Scribunt, hoc partim graue esse, partim illicitum. Graue quidem, quod nunquam auditum sit, vnumquemque Pastorem suis impensis debere in Parochia sua erigere Scholam. Illicitum autem, propter extinctionem vicariæ. At quæ, malum, ista calumniandi insatiabilis cupiditas? Non dicit Liber, vnumquemque Pastorem debere suis sumptibus scholam erigere, sed, Collegia debere prouidere, ne incorporatis sibi Parochiis, quarum decimis aliisque bonis fruuntur, desint idonei Pastores & ministri: vtque apud eas necessariæ scholæ instituantur & sustententur. Quam tamen ordinationem mitigat, cùm dicit, quòd si grauari se plusculum Collegia arbitrentur, possint ad istum vsum Ecclesiis inprimis necessarium aliquot vicarias, si vacent, conuertere.

Sed nec dicit, In singulis pagis, sed, Necessarias scholas. Quamuis si verè Christianus zelus, ad regnum Christi propagandum in nobis esset, sanè non tam alienūm à nobis videretur, etiam in singulis pagis, Christianas scholas instituere. Annon indignum est, miseros obcæcatósque Iudæos in scholis pro liberis suis sustentandis, císque ab ineunte ætate in S. scriptura erudiendis, diligentiores esse, quàm sint qui hodierna die spirituales Canonici, summíque Prælati nuncupantur? Vbi enim vel quatuor tantum familiæ Iudæorum sunt, ibi peculiarem pro liberis suis Pædagogum alunt. Neque idcircò necessarium esset in vnoquoque pago publicam Academiam instituere: sed facilè prouideri posset, vt bonorum istorum hominum filij, qui tamen nos omnes laboribus suis alunt, apud singulas Parochias eousque erudirentur, vt sacra Biblia, & alios vtiles libros in vernacula lingua legere & intelligere possent. Postulat Vasense Concilium cap. 1. vt Pastores in parochiis apud se iuniores Lectores alant, & instituant. Quare autem eiusmodi Lectores & æditui, non etiam ad alios pueros erudiendos adhiberentur? Multæ sunt hoc tempore Ecclesiæ, quas Aduersarij Schismaticas calumniantur, quarum Pastores in pagis ipsi scholis præsunt, suorúmque Parochialium liberos docent, qui cùm æstiuo tempore non omnes per labores & occupationes ad scholam venire possint, brumali tempore tanto maiorem diligentiam in eis erudiendis adhibent. Et quare bonis istis hominibus spirituale non copiosè feratur, quorum temporalia tam abundè metuntur?

At inquiunt, sicubi necessariæ sunt Scholæ, erigi debent sine damno

aliarum Ecclesiarum, ab iis quibus hoc incumbit. Hoc iudicium benè se haberet, modò in eo Ecclesiæ relinquerentur. Restituant Aduersarij Parochiis, quod ab illis per incorporationem suam, ab omnibus Canonibus prohibitam, contra ius & fas eripuerunt: & facilè tantum inuenietur, quantum ad Scholas in singulis Parochiis erigendas & sustentandas necesse erit, sine vllo aliarum Ecclesiarum grauamine ac detrimento.

Iam Parochiis bona sua erepta sunt, & non solum ad frustraneum, verumetiam ad scandalosum cantum conuersa: cúmque ab ipsis petitur, vt eas pro illis iuuent, quo necessaria sua ministeria habere possint, scribūt, id partim graue esse, partim illicitum. Idque rursus suis elegantibus dictis confirmant, Non esse discooperiendum vnum altare, vt aliud operiatur, vicarios suas habere institutiones, deberéque in Ecclesiis ad quas ordinati sunt, canonicis & clericis primariis in ministerio diuino opem ferre, ac vices eorum cantando, legendo, & similibus officiis supplere. Quid? Opem ferre? Quantos, si Diis placet, labores Canonici & primarij Clerici sustinent? Profectò nisi opimæ præbendæ eos ad id impellant, non nimium laboris sibi imponunt, quod vero facturi non essent, si tantum suum, suásque lectiones pro cultu diuino haberēt. Neque etiā debebant vicarios, qui vices suas supplerent, petere: si enim habere volunt, qui ipsorum loco ministerio fungantur, sanè etiam habere debēt, qui pro eis mercedem ac stipendium accipiant. Nouerunt ipsi Aduersarij, vicarias nouum esse inuentum, & omninò ex abusu exortum. Quódnam Concilium ordinauit hoc genus hominum? Qui Sancti Patrum meminerunt talium vicariarum? Quæ item traditiones & ordinationes Catholicæ Ecclesiæ?

Porrò omnis istorum Canonicorum cantatio & lectio, vt sæpè hactenus probatum est, huiuscemodi est, vt non modo nullo auxilio & adiumento indigeat, sed ne quidem in Ecclesia Iesu Christi tolerari debeat, præsertim eo modo, quo ipsi abutuntur. Quamobrem non erit necessarium, vt vllum altare Christi discooperiatur, etiamsi nonnihil de iis, quæ in eiusmodi vicarias contra præceptum Dei impenduntur, ad tam salutare, támque necessarium Christianarum Ecclesiarum ministerium rursus conuertatur, rectéque ac piè vsurpetur. Certè eorum Pontifices non admodum iniquum esse iudicarunt, Canonicas prębendas in Scholas conuertere & impendere, vt legitur de Magistris & plęrumque in omnibus Academiis adhuc obseruatur.

Ante hoc Schisma religionis, aiunt, erat inuenire apud Collegia Scholas decem, vbi nunc vix vna conspicitur: nec audiebatur tunc de alimēntis & Scholarium educatione querela.

Quamobrem id verò? Cùm magna pars diuinum, & plerique omnes honestum & vtile iudicarent, Prębendas in Collegiis ac Monasteriis (quæ quotidie augebantur) adipisci, multi libenter Scholis inseruierunt, idque pro exigua mercede, spe talium Præbendarum acquirendarum adducti. Et quoniam plebei quoque liberos suos hac spe impulsi libenter ad scholas mittebant, fiebat vt Ludimagistri quoque tanto facilius se sustentare,

sustentare, diutiúsque suam præbendariam prædam expectare possent. Quantumuis verò plurimæ hoc pacto scholæ exortæ sint, constat tamẽ, quàm egregia, si Diis placet, doctrina in illis viguerit. Miseri enim Adolescentes magis in non intellectis Cantionibus Ecclesiasticis, ad oblationes Parochiis augendas, inaniter fatigati sunt, quàm solida doctrina imbuti.

Iam quoniam Aduersarij, eorúmque Sectatores, nemini præbendas conferũt, nisi ad ea se voto adstringat, quæ nunc (gratia Domino) impia, & cũ voluntate Dei pugnantia agnoscuntur, neque liberum iudicium, aut sanas doctrinas in Scholis suis tolerant, aufugiunt ab eorum Scholis tam Ludimagistri, quàm Scholastici, qui magis pia, honesta, & liberalia ingenia habent. Vbi vero Dominus dat, vt saltem tolerabilia pro idoneorũ Ludimagistrorum sustentatione stipendia haberi possint, ac commoda docendi ratio instituitur, ibi etiamnum decem Scholas inuenire est, vbi antea ne vna quidem erat: vel decuplo maiorem Scholasticorum numerum in vna Schola, quam antea fuerit. Id quod in multis ciuitatibus & pagis demonstrari potest. Quapropter cùm omne Scholarum decrementum apud Aduersarios, eorúmque Sectatores reperiatur: Contra, omne earundem incrementum apud eos, quibus se in religionis caussa opponunt, debebant caussas, propter quas Scholæ apud eos decrescunt, inuestigare, inuentas verò è medio tollere, & amouere. Quæ caussæ reuera nullæ aliæ sunt, quam quod veræ ac salutari doctrinæ non dant locum, deinde non solum in scholas tam parum impendunt, verumetiam antiquas fundationes ac dona illis subtrahunt, denique homines ad impiam tum vitam, tum ministeria obstringunt.

De Ministerio octo Præbendarum Sacerdotalium.

Cap. CXXX.

Octavò, tradit Liber, ministerium octo Præbendarum Sacerdotalium ita institui posse, vt duo religione & doctrinâ præsentes viri constituerentur, qui in primo & summo Collegio Sacris Concionibus plebi quotidie exhibendis vacarent, & Choro non alligarentur: duo qui Officium Sacræ Missæ in diebus Dominicis, aliisque festis celebrarent: duo qui in Scholis profiterentur: & duo qui essent Syndici Capituli.

Et hanc ordinationem reprehendunt Aduersarij, scribentes eam non modo fundationi Metropolitani Collegij, & antiquæ consuetudini, verumetiam sacris canonibus contrauenire. Verùm id non probant. Præterea scribunt. Quod si omninò necessarium videatur, vt prædicationis officium ab Episcopo ad Presbyteros Canonicos transferatur, magis conueniet, vt singuli Canonici hebdomadatim suo quisque

ordine prędicent, simúlque officium Missæ celebrent, quo æqualiter omnes Choro atque diuinis adstringantur.

Resp. Primùm fundatio Metropolitani Collegij Colonienſis, fundata in verbo Dei, & Canonibus ſacris, requirit, vt omnes Clerici in eo, & ad hunc finem miniſtrēt, vt populus Chriſti partim in ciuitate, partim ruri in Eccleſiis Metropolitanæ Eccleſiæ coniunctis & concreditis, in Chriſtiana doctrina ædificetur, idque per maximè idoneos homines, qui ad hoc inueniri poſſunt, optima item ratione ac forma quæ excogitari queat: quæ ſemper per Archiepiſcopum imprimis moderari debet. Iam Presbyterale miniſterium ad prædicandum & docendum peculiariter eſt à Spiritu S. inſtitutum, vt iam antea demonſtratum eſt. Neque requirit Liber, vt prædicandi munus ab iis, qui ſpirituali Epiſcopi officio immediatè funguntur, remoueatur, ſed potius vt denuò rectè illis imponatur.

De noſtra vocatione ac miniſterio, & ſimilium Epiſcoporum, ſupra dictum eſt. Summum quidem Epiſcopale munus Eccleſiæ, hoc eſt, ſuprema cura & inſpectio, humeris noſtris incumbit: ſed ſimul etiam Electoralis vocatio & officium. Quod, prout & Eccleſiarum, & ditionum, quibus præfecti ſumus, res hoc tempore comparatæ ſunt, cum voluntate Dei deſerere, & ad prædicandi munus, ad quod à Domino vocati, & donati non ſumus, nos applicare non poſſumus.

Ex his vnicuique Chriſtiano obuium eſt videre, Librum, dum duos Canonicos Presbyteros ad prędicandi miniſterium ordinat, nihil quod fundationi Metropolitani Collegij Colonienſis, vel canonibus contrarietur, ordinare. Eadem ratio eſt eius, quod conſtituit vt duo Officio Sacræ Miſſæ, ac duo Theologicæ Lectioni præſint.

In eo verò quod ordinat, vt duo conſtituantur, qui Collegio & Capitulo conſilio adſint, negotiáque eius temporalia expediant, & ſint quaſi eius Syndici, nonnihil quidem à vero Presbyterali miniſterio declinauit, ad munus Diaconorum & Subdiaconorum, vel potius Oeconomorum. Quamuis Liber non poſtulet, vt tales ad iſtud miniſterium applicentur, qui idonei ſunt ad verum Presbyterale munus obeundum. De Prębendis loquitur, quarum nulla nunc verò Presbyterali miniſterio dicata & deſtinata eſt. Si verò iuxta noſtram ordinationem ſex iſtæ Præbendæ, ad verum Presbyterale miniſterium, reliquæ item duæ, ad vtile & reale miniſterium Eccleſię redirent, nihil haberent Aduerſarij, quod de hac noſtra ordinatione iure conquererentur.

Choro quoque adſtrictos volunt Aduerſarij Presbyteros, quod tamen in Concilio Romano Excommunicationis pœna damnatum eſt, In ſancta, diſt. 92.

De peculiaribus Officiis Collegiorum.

CAP.

Cap. CXXXI.

NONÒ, Liber Reformationis Præpositо Metropolitanæ Ecclesiæ imponit, vt intendentiam habeat ad Ecclesias & Scholas, bonáque tam Ecclesiæ, quàm quæ scholis destinata sunt, pro necessitate administret.

Id calumniantur Aduersarij, perinde ac si respicere in scholas, idcò à scholastico sublatum sit: quasíque velimus administrationem bonorum capitularium, & Præbendarum abrogare, & rursus omnia soli Præposito permittere. Atque hoc pacto contra iuramenta & obligationes agere.

Præpositus tanquam summus ab Episcopo Prælatus, iurare quidem debet, in administratione omnium quę ad verum Ecclesię ministerium pertinent: verùm in suo gradu, & iuxta modum præfinitum. Ne quis idcircò in suo munere, vel destinatis prębendis offendatur, sed vt omnis eiusmodi offensio euitetur.

Calumniantur & hoc quoque, quasi Liber de Officio Decani commemorat, eíque committit, vt diligenter prospiciat, quo Concionatores optimi Ecclesiis designentur. Scribunt, id potius ad Episcopale officium pertinere.

Quasi verò Episcopus, non multis ad hanc rem Adiutoribus indigeat, præsertim verò præcipuis Prælatis: quasi etiam eiusmodi opem auxiliúmque Episcopo ferre, non imprimis ad supremum Archipresbyterum pertineat.

De Vicariis.

Cap. CXXXII.

DECIMVM, quod Aduersarij accusant, est Vicariarum commutatio. De ea paulò ante, in defensione septimæ partis dictum est. Verùm hoc loco aliquid adiungunt, nempe, mutare vicarias, non esse in nostra potestate. Quod & contra verbum Dei, & contra sacros Canones dicunt, qui singulis Episcopis iniungunt, vt omnes oblationes & dona fidelium, simul cum Ecclesiæ ministeriis semper ad ædificationem totius populi, pietatísque profectum instituat.

Amplius adiiciunt, neque malum, neque contemnendum officium fore, si attentè assiduéque laudes diuinę cantarentur, & precibus in Ecclesia Deo supplicaretur.

Etiamsi cantiones & Lectiones istę sacris Scripturis essent consentaneę, & ad ędificantem totius populi intellectum instituerentur, & expedirentur: Nihilominus tamen cantare & legere nō potest esse ex officio, ac ministerio Presbyterorum, quorum proprium munus est, prędicationi Euangelij, & disciplinę Christianę incumbere, vnà cum distributione Sacramentorum. Canere enim & legere ad inferiores Clericos pertinet, quemadmodum Concilium Romanum rectè decreuit, in sancta. Distinctione 92.

Posthæc manifestum mendacium ponunt, quódque adhuc longè impudentius est, ad confirmationem eius Iustinianum Imperatorem allegant, apud quem tamen ne verbum quidem ea de re habetur, scribentes, Ante annos mille Constantinopoli in vna Ecclesia plures quàm centum Clericos ad officium canendi & legendi ordinatos, & dotatos fuisse.

Impudentissimum hoc mendacium est. Apertè enim legitur in Authent. Vt determinatus sit numerus Clericorum. Itē in quomodo oport. Episc. Et in. Ne Cleric. ex vna Ecclesia. Item in Ne quis Oratorium, & de Ecclesiasticis variis, cap. Clericos tunc temporis omnes ordinatos fuisse ad docendum & pascēdum populum Christi. Cúmque peculiares suos Lectores & Cantores haberent, ij tamen non Presbyteri sed infimi istius gradus in Clericatu fuerunt, suóque canēdi & legendi officio præsenti tantum populo ad ædificationem inseruierunt. In vulgata enim & ab omnibus intellecta lingua Sacram Scripturam prælegerunt, Psalmósque præcinuerunt. Priuatim enim preces ad Dominum fundere, priuatim item hymnos canere, est omnium Christianorum opus. Verùm in his peragendis collectę multitudini præire, Clericorum munus est, sed nec omnium, vt diximus, sed ummodo autem infimorum, hoc est, Lectorum & Cantorum. Solebant veteres vnius anni spatio tota Biblia in Ecclesia legendo absoluere. Multos igitur Lectores habuerunt, & plures quàm Cantores. Imperator Iustinianus voluit in maiori templo Cōstantinopoli plures esse Cantores quàm vigintiquinque, cùm Lectores permitteret esse centum & decem. Quotiescunque enim quidā homines in Ecclesia Dei conueniebant, solebant Lectorem postulare, qui Sacras Scripturas eis prælegeret, vt videre est in Epistola Ambrosij ad Marcellinam sororem. Adhęc debebat maior Ecclesia reliquis quoque tribus ministros suppeditare, nec non multis Oratoriis. Cantus qui nūc apud Aduersarios in frequenti vsu est, tunc temporis monstrum fuisset, sicut adhuc per se est, in quantocunque tandem precio & existimatione à stolido mundo habeatur. Ad ædificationem populi tunc omnia in Ecclesiis canebantur & legebantur. Vnde Iustinianus disertis verbis in authentica de Ecclesiasticis variis cap. præcepit, vt precationes in templis clara & intelligibili voce recitentur, quo corda populi ad laudandum Deum magis excitentur & inflammentur iuxta doctrinam Pauli 1. Cor. 14. quem locum Imperator ibi allegat. Vnde perspicuè vides, Christiane Lector, quomodo Aduersarij S. Patres citent, quantique veritatem in omnibus rebus faciant.

De Coniugio Canonicorum,

Cap. CXXXIII.

VNDECIMVM quod accusant est, quod permittimus Canonicis & Collegiorum membris vxores ducere, & nihilominus præbendis tota vita frui. Et hoc Canonibus malè quadrare aiunt.

Responsio.

Responsio.

VEri Canones, qui S. Scripturam sequuntur, non præcurrunt, requirunt veram castitatem,& talem per quam Ecclesiasticæ personę ministerio suo sanctiùs,studiosiùs & vtiliùs inuigilent. Hanc metam pij adhuc mariti assequuntur, vt superius in articulo de Cœlibatu Sacerdotum demonstratum est, & per se satis claret. Pia enim coniugalis vitæ, castimonia ac donum Dei est, nullum ministrum Dei ex sua natura impediens, sed potius promouens. Qui verò extra matrimonium cum mulieribus se commiscent, qui Simoniaci sunt,& πλεονεκται, qui plures præbendas occupant, quam ministerium eorum, piè ac fideliter Ecclesiæ præstandum requirit, ij nullam omnino partem habent in regno Christi, vel vllo ordinario ministerio Ecclesię. At quàm ingentem talium hominum turbam hactenus in Collegiis & præbendis tolerarunt Aduersarij, tolerántque adhuc hodie? Quod quomodo quadret & conueniens sit ipsi iudicent. Non solum enim omnibus Canonibus non quadrat, sed ex diametro repugnat, sicut etiam omni humanæ honestati.

De distributione Collegiorum in Nobiles & Ciues.

Cap. CXXXIV.

CONTRA hanc duodecimam accusationem instituunt,adducentes contra Librum Reformationis Decretale quoddam, quod ad normam Sacræ Scripturæ delineatum aiunt. Id verum quidem est, si verba spectes. Paulum enim 1. Cor. 1. allegat. Si verò rem ipsam & opus quod tractat,intueris,longè diuersum inuenies. Papalis enim cuiusdam legati collationem,qui cuidam non singulariter docto Canonicam præbendam Argentorati contulerat,conatur confirmare. Cùm tamen Scriptura & Canones electionem assumptionémque ad eiusmodi canonicatus cuilibet Ecclesiæ Christi per se assignet, & nihil omnino de iure deuolutionis sciant, per quod eiusmodi collationes ad fidem Romanam deuoluantur. Quod si Ecclesiæ in hoc negotio segniores fuerint, pertinet ad quemlibet verum Episcopum vt eos officij sui admoneat. Collationes verò ad neminem alium deuoluuntur,id quod Aduersarij probè sciunt.

Cęterum ad instantiam istam per se refutandam, fatendum est, In eligendo ad ministerium Ecclesiæ imprimis ad regenerationem virtutémque Spiritus S. respiciendum esse,non ad genus ac potentiam carnis. Tamen quoniam Dominus benedictionem suam diligentibus se in millesimam vsque generationem promisit, diligenter hoc quoque in electione ad ministerium Ecclesiæ spectandum est, quibus quisque parentibus ortus, & à quibus educatus sit.Quod non necessariò à mundana nobilitate, vel id genus aliis externis conditionibus dependet, sed multò magis à virtute & præeminentia spirituali.

Iam verò cum in Collegiis non tantum veri ministri Ecclesiæ futuri sint, quorum iam pauciſſimos habent, sed Collegia partim scholę quoque & Pædagogia esse debeant honestorum iuuenum, qui deinceps Ecclesiæ Christi vel in Ecclesiastico vel in aliis muneribus tanto melius inseruire possint. Deinde cùm constet Collegia plurimis & ampliſſimis donis à Nobilibus dotata esse, æquitas sanè postulat, vt hac in parte Nobilibus sua prærogatiua concedatur. Ad hęc, cum alioquin Deus nobiles potius quàm vulgares ciues ad hoc destinauerit, vt cęteris authoritate & dignitate precant & antecellant, sicut res ipsa testatur, neque hac ratione malè seruitur Ecclesiæ Dei, si tales viæ inueniantur, quibus illi præ cæteris ad pietatem, ad omnem scientiam bonáque studia, singulari diligentia educentur. Tertiò cùm inter nobiles, ij qui maiori timore Dei præditi sunt, singulariter honestam & vtilem disciplinam prę vulgaribus plebeíſque hominibus inter suos conseruent, spes quoque est ex istorum numero non paucos excellentes viros & ad omnis generis Ecclesiastica ministeria aptiſſimos educari posse; magis quàm ex his, qui in tali disciplina, nec nati nec à iuuentute educati sunt. Nulla igitur Aduersariis causa subest, vt propositam Collegiorum distributionem hac in parte multum suggillent. Semper enim hoc excipit Liber, vt in omni Electione ad munera ministeriáque Ecclesiastica primum omnium ad potentiam ac vim spiritualem, Ecclesias Dei quàm optimè ædificandi respiciatur.

De Thesauris Collegiorum.
Cap. CXXXV.

DEcimotertio, Cùm Liber ordinat, vt argentea, & aurea, aliáque precioſa vasa, atque ornamenta Collegiorum per totam diœcesim annotentur, & diligenter conscribantur, nec quicquam de eis alienetur à suis Ecclesiis, vel mutetur in alĩ vsum, sine nostro & prouincialium nostrorum legitimo consensu; de hoc tanquam de nouatione queruntur Aduersarij: propterea quod prouinciales hactenus Ecclesiarum Thesauris non immiscuerint.

At non ignorant Aduersarij, Ecclesiam Christi & horum & aliorum bonorum omnium veram dominam esse ac possessorem. Meritò igitur ea non sine præcipuorum maximéque publicorum membrorum eius ministrorum & antistitum ordinatione mutari debent. Personæ Collegiorum nullam aliam potestatem habent quàm ea custodiendi. Ministri enim sunt Ecclesiæ Christi, non Domini.

De anno Residentiæ.
Cap. CXXXVI.

DEcimoquarto reprehẽdunt traditam à nobis Anni Residentiæ moderationem, cuius mentionem fecit liber. Scribũt eam magnã dissolutionem

dissolutionem parituram, effecturámque vt pauci admodum in Collegiis inueniantur, qui officij sui rationem habeant, aut fortè quale sit intelligant: nec in collegiis aliud statui posse, quàm vt cæteris paribus omnes ad paria onera alligentur.

Hic rursus exerit se impudentia Aduersariorum, in reprehendendis ac suggillandis omnibus, quæ à nobis optimè traduntur. Proposuimus in libro Reformationem Christianam manifestè prohibiti abusus Annorum carentiæ, quò fit, vt sæpenumerò qui ad ministerium Ecclesiæ necessarij, idonei ac spontanei sunt, præbendis suis nisi post certum annorum numerum, frui nequeant. Item inanis ac frustraneæ obstrictionis ad residentiam primi anni, qua coguntur singulis noctibus apud Collegium & singulis horis præsentes esse, cum millies meliora interim facere deberent & possent.

Has duas constitutiones præcipimus temperari, prout vniuscuiusque loci & personarum conditio, veráque Ecclesiarum ædificatio & traterna charitas postulet.

Quid iam in eo peccatum est? Et quam quæso dissolutionem parit, vel quomodo efficiet, vt pauci in collegiis inueniantur, qui officij sui rationem habeant, aut quale id sit intelligant? Quicquid ad normam veræ ædificationis & fraternæ charitatis temperatur, necesse vt omnia bona, nihil omnino mali apportet. Quid obsecro iuuat Ecclesias & collegia, quod aliquis primo tantum anno tam strenuè apud Collegium adesse tenetur, eodem verò elapso permittitur illi per omnem vitam suam vel adesse vel abesse pro animi sui arbitrio ac voluntate: vt interdum præbendam suam promereri possit, si tantummodo de quibusdam horis, nonnunquam ad vnum tantum hymnum in Choro compareat?

Nos veram & ædificantem residentiam postulamus, quæ non vno tantum anno sed perpetuo duret. Aduersarij verò omnia ad inanem obstrictionem & frustraneam externam speciem dirigunt. Debent sanè omnes personæ in omnibus collegiis paria onera portare, prout ad ædificationem Ecclesiæ conducit, & ab illis fieri potest. Aliâs debet ea æqualitas membrorum vnius corporis obseruari, quam præscribit Spiritus sanctus: & quoniam non omnes æqualium virium sunt, neque etiam ad æqualia adhiberi debent: quemadmodum omnes antiqui Canones sanctorum Patrum de vera communione Christiana docent.

De libera ac simplici recusatione Aduersariorum Christianæ ordinationis ac reformationis.

Cap. CXXXVII.

ALIQVOTIES ponunt Aduersarij in hoc articulo, Verũ in hoc non parebitur. Per hoc Collegia grauari se querentur, nec

vllo pacto consentient, &c. sine vlla rationabilium causarum subiectione.

Ad hoc respondetur, Sacerdotes vnà cum principalibus veteris populi Israëlitici, sæpenumero cum toto populo veris Prophetis, qui eos ad piam reformationem hortabantur, simile responsum dederunt. Nō parebimus. Hoc graue nobis foret. Hoc non esset è re nostra. Ad eundem Clericatus in Syria, in Græcia, in Hungaria, & aliis compluribus nationibus, quando Christiana Reformatio ab eo postulata fuit, tamdiu respondit, donec ignis furoris & vltionis diuinæ omnes ad vnum deuorauerit. Idem iudicium nostris quoque ceruicibus impendet. Dominus det vt tempus visitationis nostræ rectè agnoscamus, antequam diuturna ac benè promerita ira Dei in nos exardescat. Amen.

Tricesimasexta Accusatio.

De Reformatione monasteriorum.

Cap. CXXXVIII.

SVB hoc titulo taxant Aduersarij id quod in Libro positum est, nos velle, vt qui in monasteriis fuerint reperti idonei ad subeundam curam animarum, ad eam ordinentur, vtque qui in monasteria assumuntur, polliceantur se velle sponte acquiescere, si quando ad Ecclesiarum aut alia ministeria necessaria & Christiana (hoc vocabulum Christiana, omiserunt Aduersarij in citatione horum verborum) requirantur.

At non ignorant Aduersarij, id antiquis Canonibus consentire, & à Patribus obseruatum fuisse. Etenim ex nullo genere hominum frequentiùs Ecclesiæ ministros desumpserunt, quàm ex Monasteriis.

At scribunt ad hoc opus fore magna discretione. Et adferunt ex quibusdam Conciliis nullum monachum ad Ecclesiæ ministerium ordinandum esse, qui vltrò monasterium suum deserit, sed illos tantum ad hoc assumendos, qui voluntatem & consensum Abbatis sui habent.

Quod verum est. At quæ est causa istius ordinationis? Certè nulla alia quàm hæc, vt tantò probatiores magisque idonei ministri Ecclesiis præfici possint. Iam verò Monasteria iamdudum ab antiqua verè monastica viuendi ratione tam longè recesserunt, támque multis & superstitiosis ac falsis cultibus conspurcata sunt, vt nemo Christianorum pia mente præditus in eiusmodi monastica vita, qualis nostris temporibus ac monasteriis est, tranquilla conscientia viuere possit: adeò vt deserere Monasteria in plurimis sit argumentum veræ pietatis & cognitionis

Iesu

Iesu Christi, non dissolutionis. Plurimi etiam Abbates tanta imperitia vitę & actionum diuinarum laborant, vt veris Ecclesiis Christi non sit licitum ipsorum testimonia consensúmque in ordinatione ad ministerium Ecclesiasticum recipere, taceo, multum de eis quærere.

Quamobrem cùm in eum abusum Monasteria prolapsa sint, certè nihil aliud à nobis requiritur in tanta dissipatione, dissolutione & peruersione monasticæ vitæ, sicut etiam, proh dolor! totius Clericatus, quam vt vndecunque possumus, tam ex monasteriis quam aliunde vbicunque reperiri queunt, colligamus, & ad ministerium Ecclesiæ ordinemus, quicunque ad id idonei iudicantur. In eo enim summa rerum posita est, vt Ecclesiæ per verè Christianos & idoneos ministros administrentur, quorum hoc tempore horrenda inopia est: cui certè quàm citissimè optiméque fieri potest, subueniri debet.

Subnectunt Aduersarij hoc loco Monachos qui ad Ecclesię ministerium ordinantur, non debere à priori proposito recedere.

Quod eò referunt, vt eiusmodi Monachi nihilominus priora vota sua obseruent. Quod verum est, quatenus ea piè & ad prouectum ministerij Ecclesiastici obseruari possunt. Verum de votis Monasticis proprium articulum qui proximè sequitur, posuerunt, in quo latiùs ad obiectionem istam à nobis respondebitur.

De votis Monasticis.

Quo fuco conentur Aduersarij Monasticis votis patrocinari.

Cap. CXXXIX.

CONANTVR Aduersarij & scripturis & authoritate S. Patrum tueri, imò ex S. Scripturis se probasse prædicant, vota quę substantialia vocant, vt castitatis seu cœlibatus, obedientiæ item & paupertatis voluntariæ, hoc est abdicationis omnis proprij, traditionísque omnium propriorum temporalium bonorum in manus Præpositorum in monasteriis.

Primùm igitur videamus, quibus Scripturis, & quàm firmiter ea comprobarint: Deinde causas assignemus, propter quas proposuimus ea abrogare.

Quo fuco conentur Aduersarij Monasticæ vota probare.

SCribunt Dominum dixisse, Matth. 19. Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerũt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Item ad diuitem iuuenem, Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quę habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in regno cœlorum, & veniens sequere me. Quare castitatem, paupertatem & obedientiam vouere rem esse diuinam.

Hic perpende quæso, Christiane Lector, qualis ista connexio sit, Dominus dixit, sunt quidam Eunuchi, qui à coniugio abstinent propter

regnum cœlorum, Ergo pium ac sanctum est nuptias in perpetuum abiurare, & qui semel id fecit, eum nunquam amplius ad illas admittendum esse. Quid ineſt in his verbis Domini de votis? An seipsum Castrare significat, Abiurare matrimonium? Citant D. Basilium, interpretantem hunc locum vt aiunt, de votis. Verum in eis ne verbo quidem mentionem ibi facit.

Sunt sanè quidam, qui hoc donum à Domino acceperunt, vt castè extra matrimonium viuere queant, & quos Dominus cęlibes facit: at non idcirco tenentur vouere cælibatum. Non enim per votum suum, sed solummodo per donum Dei tales manent. Quid igitur est in his verbis, ex quo Cœlibatus votum inferri possit? Dictum quoque Pauli 1. Cor. 7. producunt, quod sic habet, Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autē habens voluntatis suæ, & hoc decreuit in corde suo, seruare virginitatem suam, benè facit.

At quid hæc verba ad votum perpetui Cœlibatus? Pater qui agnoscit id esse è re filię suæ, benè facit, si eam seruet virginem. Verùm quomodo sequitur inde, quòd vtile sit huic filiæ, perpetuam castimoniam & Cœlibatum vouere? Quis etiam Pater benè fecit, abstinendo filiam suam à coniugio, nisi tantummodo qui vtilius ad pietatem filiæ suę fore animaduertit, si in Cœlibatu maneat, quam si connubio iungeretur? Omnis enim potestas solum ad ædificationem à Deo concessa est. Quamobrem quicunque pater decreuit in corde suo filiam suam virginem seruare, postea verò deprehendit vtilius ei esse, si in Sacro cōiugio viuat, is tenetur operam dare, vt ea quàm citissimè matrimonium contrahat. Sic igitur ex hoc potius sequitur, filiam non debere voto Cœlibatus se obstringere, sed tum vocationi diuinę, tum amicorū suorum consilio semetipsam liberam reseruare. Tertiò producunt aliud dictum Pauli, 1. Timoth. 5. quod est, Iuniores viduas deuita; cùm enim lasciuire cœperint nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.

Primam fidem, cuius in hoc loco Paulus meminit, referunt ad primum votum. Sed positum est, Cùm lasciuire cęperint aduersus Christū, quod cum viduę facere incœperint, primam fidem in Baptismate datam frangunt. Apostolus quoque post hæc verba, ad confirmationem istius causæ, propter quam vult iuniores viduas nubere scribit, Iam enim nōnullæ deflexerunt, secutę Sathanam. Et hę sunt, quæ primam fidem Domino in Baptismate datam, violarunt.

At ponamus, primam fidem hoc loco pro voto castitatis intelligendā esse, quo sensu plurimi S. Patrū hęc verba Pauli acceperunt, quid tamen adhuc ex istis verbis colligi potest, ad probandū quod pium ac bonum Coniugiū abiurare: & quod is qui semel id fecit, deinceps nunquā ad coniugium admitti debeat? Imò contrariū ex eis efficitur, pręsertim quo ad iuniores fœminas. Apostolus enim eandem ob causam, quod aliquę primam fidem, de qua loquitur violarant, pręcipit Timotheo, vt iuniores viduas ad statū viduitatis non assumat, nec eos voto Cœlibatus sese obstringere sinat. Volo igitur, inquit, iuniores viduas ad statum viduitatis

viduitatis non assumat, nec eas voto Cœlibatus sese obstringere sinat, Volo igitur, inquit, iuniores viduas nubere, ne in iudicium violatæ fidei incurrant, cùm contra Christum lasciuire cœperint.

Ex his obuiũ vnicuiq. Christiano est, adductas sentẽtias nihil aliud efficere, quàm quod Dominus quibusdã hoc donũ largiatur, vt à coniugio propter regnũm cœlorum abstineant: non autem largiatur omnibus. Qui potest capere, capiat. Item quod benè faciant hi, qui in cœlibatu manent, & suos quoque in eo conseruant, si donum castitatis à Domino acceperint. Et contra quod malè faciant, qui ad hoc genus vitæ se applicare volunt, cùm ad id non sint à Domino vocati nec dati. Tales ergo ab hoc statu dehortãdos, nec in eum suscipiendos esse. Hęc sunt quæ in citatis locis continentur: at ne minimum quidem de voto cœlibatus, quin potius, vt antea dictum est, contrarium. Cùm enim testentur, non omnibus datum esse, vt extra matrimonium Domino ritè inseruiant, item quod hac in parte non quilibet proprię voluntatis potestatem habeat: imò nonnullis eò vergat, vt incidant in iudicium calumniatoris, primámque fidem suam frangant, ac sequantur Sathanam: nemo item sine peculiari reuelatione cognoscere possit, quandiu Deus hoc donũ sibi permittere velit, vt castè extra matrimoniũ illi seruiat, sequitur. Neminẽ debere perpetui cœlibatus voto se obstringere.

Iam quàm firmiter consistunt Aduersariorum probationes veterum perpetuæ castitatis, tam firmiter tenent etiam illæ, quibus vtuntur ad confirmanda vota obedientiæ & paupertatis voluntariæ. Dicit quidem Dominus ad adolescentẽ diuitẽ, qui iactitabat de se, quod omnia mãdata Dei à iuuentute sua obseruasset, à quo tamen adhuc longissimè aberat. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c.

At quid habetur in his verbis de votis monasticis, obedientiæ & paupertatis? Volebat Dominus hoc responso isti adolescẽti & aliis demonstrare, quod ne primum quidem præceptum adhuc obseruare posset, nempe vt Deo crederet, & pro optimo agnosceret, quod ei Dominus, tanquam bonus & diuinus Magister, indicabat & præcipiebat, videlicet vt omnia venderet, darétque pauperibus, sequeretur ipsum, & prædicaret Euangelium, sicut reliqui Apostoli faciebant. Ad talem Apostolatum non quemlibet vocat Dominus.

τέλειοι, hoc est perfecti, inter quos beatus Apostolus Paulus sapientiam Euangelij locutus est, 1. Cor. 2. & qui eiusdem cum ipso erant sententię. Phil. 3, nõ debuerunt omnes tẽporalia bona sua diuendere, dare pauperibus, & ministerium Apostolatus suscipere τέλειος, hoc est, perfectus, vel potius qui verè finalis vitæ conseruationem adeptus est, iuxta gratiam Dei est vnusquisque, qui se Deo in Christo Domino nostro totum tradidit, ad sequendum quocunque ipse vocauerit, & omni eius voluntati obtemperandum. Si opera & actiones intueamur, nemo perfectus est. Et quamuis adolescens ille ministerium Apostolatus aggressus fuisset, quemadmodum Dominus ab eo requirebat, non tamen idcircò adhuc in hoc facto suo τέλειος, hoc est perfectus, extremúmque finem suum assecutus fuisset. Et quoniam

Dominus non omnes ad talem Apostolatum, & domesticarum solicitudinum abiectionem vocat: neque etiam bona sua vendere, ac velle Euangelium prædicare in vnoquoque opus perfectionis est. Quamobrē quod Dominus huic adolescenti dicit, non est opus omnium perfectorum, sed eorum tantum, quos Dominum ad eiusmodi conditionem & opus vocat.

Et quamuis omnibus Christianis opus perfectionis esset, quod tamē fieri nequit, propterea quod Dominus aliquos esse vult, qui sua dona tēporaliū bonorū administrent, aliisque distribuant: adhuc tamē dictū istud nihil faceret pro nostri temporis monachorum paupertatis & obedientiæ votis. Illi enim non tantum non vendunt omnia, & dant pauperibus: verumetiam decimas aliáque Ecclesiastica bona pro pauperibus donata & fundata, ad se trahunt. Et quando quis eorum se cōsortio adiungit, mallent vt sibi potius, cùm alioquin diuitiis abundēt, omnia bona sua traderent, quàm cuiuis alteri, quantumuis paupertate & egestate prematur. Ad hæc non sequuntur Dominum, non hinc inde ad prædicandum Euangelium cum eo proficiscuntur. Præter hæc omnia, penitus non valet ista conclusio: Hoc est opus per se bonum, & quibusdam à Domino mandatum, vel in aliquibus laudi datum. Ergo quicunque ad id se voto obstringit, is gratum acceptúmque Deo cultum præstat.

Sic igitur vides, Christiane Lector, Aduersarios ne vnum quidem fundamentum sacræ Scripturæ pro monasticis suis votis protulisse.

Fundamentum & ratio ex Scriptura, quare vota monastica dimiserimus.

Cap. CXL.

NOBIS vt in supremo Diœcesi Colonienſi animarum Curatori propriè conuenit, vt omnibus nostræ curæ commendatis, omnia quæ ad pietatis propagationē ipsis vtilia sunt, promoueamus: contra quicquid vllo modo ei obstare & officere potest, auertamus ac præcaueamus. Hoc demum est pascere oues Christi.

Iam verò ad pietatem promouendam facit, vt quilibet ad omnem voluntatem ac placitum Dei liberum se seruet, nullúmque peccati laqueum sibiipsi iniiciat. Si te offendit, inquit Dominus, manus tua vel pes tuus, amputa eum, &c. Qui amat pericula, perit in eis, ait Syrach. Sic periculosum est pietati (repugnat enim verbo Dei) in humanam seruitutem se tradere, cum à Domino in libertatem assertus sit. Paulus scribit, Precio empti fuistis, nolite fieri serui hominum, 1. Cor. 7. In libertate qua vos liberos fecit Christus, state, neque subiiciatis vos rursus iugo seruitutis. Ad eundem modum repugnat pietati, si quis diuinam vocationem suam secundum humanum beneplacitum mutat. Verbum

Dei

Dei enim dicit, Vnusquisque, sicut eum vocauit Dominus, ita maneat & ambulet.

Iam inficiari nemo potest, qui rem rectè perpendere volet, vota monastica, sicut hoc tempore vouentur & obseruantur, tollere libertatem Christi, iniicere laqueos peccatorum, facere seruos hominum, denique diuinam vocationem mutare in humanam. Pietati igitur officiunt, debéntque ab omnibus veris animarum curatoribus solui, si facta sint, quod si facta nondum sint, non permitti, vt deinceps fiant.

Quod verum esse deprehendetur, si singula vota ad Normam verbi examinentur. Ac primum videamus de voto Cœlibatus, per quod matrimonium per totam vitam hominis abiuratur. Hoc qui penitius introspicere, & ad Canonem verbi Dei exigere volet, indubitatè inueniet, quod periculosissimum impuritatis & impudicitię laqueum hominibus iniiciat. Patet enim ex D. Paulo qnod extra matrimonium viuere omnibus qui donum castitatis, Dominóque in cœlibi vita seruiendi non acceperunt, laqueum esse ruinæ in impudicitiam. Spiritus Sanctus enim in Paulo, cùm prærogatiuam vitæ cœlibis magnificè prædicasset, statim subiungit: Hoc autem ad id quod vobis conducibile est dico, ne laqueum vobis iniiciam. In quibus verbis Spiritus S. clarè ostendit, cœlibem vitam nonnullis esse laqueum. Quibus verò? sine dubio his qui donum in matrimonio non extra matrimonium viuendi à Domino acceperunt, de quibus priori loco dixit, Cæterum propter fornicationem quilibet vxorem suam habeat, &c. Quando igitur isti cœlibatum vouent, nihil aliud facere possunt, quàm periculosum ceruicibus suis laqueum iniicere?

Nam etiamsi quis sibi persuadet, quod donum cœlibatus à Domino acceperit, adhuc tamen ignorat, vtrum id perpetuum sit, an verò ad tempus solummodo concessum. Quicunque verò à Domino certificatus non est, quod ad perpetuum cœlibatum ab eo vocatus sit, is sine periculo laquei impudicitiæ cœlibatum vouere non potest. Iam constat pauciſſimos esse, quos Dominus de tali dono per omnem vitam sibi cõcesso certos efficiat. Quare relinquitur, melius & ad ædificationem vtilius esse (certius enim est) vt quicunque ad id se à Domino donatum & vocatum deprehendit, vt extra matrimonium illi seruiat, vt donum ac vocationem istam Domini fideliter sequatur, quandiu hoc illi largitur Dominus, sine perpetuorum votorum obligatione: quæ per se nihil vtilitatis, multum verò incommodi adferre possunt. Nullum enim vel mandatũ vel promissionẽ Domini habent, vel denique exemplũ in S. literis? Quapropter nec ex vera fide fieri possunt. Ex eadẽ causa prohibuit Spiritus S. per Apostolum. 1. Timoth. 5. iunioribus viduis permittere, vt voto viduitatis se obstringant: sed iussit tales nubere. Sicut etiam solam causam recenset, eius quod eiuscemodi abiuratio matrimonij in nonnullis malè cessisset.

Iam votum Monasticæ obedientię manifestè dissoluit libertatem & obedientiam Christi, facítque seruos hominum, contrà expressum mandatum Dei. 1. Cor. 7. Per id enim obstringit & implicat semetipsum

homo multis pręceptis hominum, quę sæpenumero veram pietatem maximopere impediunt. Adhæc in voluntatem arbitriúmque quorundam hominum se mancipat, à quibus interdum deterior potius quàm melior efficitur. Regulæ enim monasticæ requirunt, vt quęlibet monastica persona Prælato suo in tam plenam obedientiam tradat, vt nihil aliud in omni vita proponat & instituat, quam quod ab ipso præscriptū fuerit, in edendo, bibendo, ieiunando, dormiendo, vigilando, laborando, ociando, studendo, vel à studiis vacando, orando vel non orando, docendo vel non docendo, breuiter in omnibus actionibus operibúsque totius vitæ. Præcipiunt item, vt monachi prælatis suis contra ordinarium magistratum, contra parentes, denique contra omnes homines morem gerant. In quo sanè per humanum istud præceptum, leges Dei de honorandis parentibus & aliis propinquis, item de honorandis magistratibus violantur & franguntur.

Quamobrem etiamsi monasticæ regulæ nihil in se continerent, per se generali Christianorum vocationi contrarium, quorum maxima copia in eis reperitur; tamen hoc solum nimis periculosum esset, quod homo cogitur se ad voluntatem arbitriúmque quorundā voto obligare, quos interdum nondum cognitos & perspectos habet: Ignorat enim qui semper Prælati sui futuri sint, aut quomodo ij qui iam Prelati sui sunt, semper sint affecti. Certè sępenumero tales sunt, vt iuxta verbum Dei debeant ab omnibus extremè vitari.

Adhęc cum de isto voto nullum verbum Dei, nullum mandatum, nulla promissio, nullum denique exemplum in S. literis extet: præterea ex natura sua tam periculosum, & expresso verbo Dei contrarium sit, merito debet ab omni vero Christianæ Ecclesiæ Episcopo dissolui, ac nemini, vt eo sese obstringat, permitti. Idem iudicium est de voto paupertatis, quo personæ monasticæ omnia sua temporalia bona, à Deo sibi cōcessa, vel quæ deinceps per omnē earū vitā largiturus est, non pauperibus, sed Cœnobiis cœnobiorúmque prelatis, tradunt, cum plena dispensationis & administrationis eorum resignatione. Vbi maiori ex parte non modo periculum est, sed certissima coniectura, talia dona Dei non benè dispensatum iri. Iamdudum enim vel sole clarius est, quomodo monasteria contra verbum Dei, contra omnes Canones contra proprias suas regulas temporalia bona ad se rapiant, & accumulent, cum manifestò grauamine pauperum.

Iam verò mandatam à Domino Oeconomiam, administrationem & dispensationem temporalium bonorum aliis tradere, idque sine verbo Dei: præterea talibus hominibus, de quibus sperari non potest, quod eiusmodi dona Dei piè administraturi & dispensaturi sint, temeraria mutatio est diuinę vocationis, & fraudatio bonorum Dei. Nemo enim Dominus permissurus esset suo dispensatori, vt bonorum suorum administrationem alteri cui ipse vellet, committeret, sine ipsius Domini consilio ac voluntate, talibus insuper hominibus, de quibus certissimum periculum esset, quod talia bona contra legitimi Domini voluntatem administraturi & dispensaturi imò potius discipaturi essent.

Verùm

Verùm diuites apud nos Germanos iamdudum in monasteria se conferre, in quibus istud votum seruatur, vt nemo quicquam proprij habeat vel administret: sed vt omnia habeant communia, & vnusquisque quæ sibi necessaria sunt à communi procuratore & Oeconomo accipiat. Talia Monasteria, quorum adhuc pauca supersunt, passim illi hoc tempore quærere coguntur, qui magis ex desperatione alimenti, quam ex deuotione mentis in monasteria se conferunt, iuxta vulgatum prouerbium, Desperatio facit monachum. Hi nihil proprium habere debebãt, sicut etiam nihil proprij à Domino acceperunt: sed à monasteriis omnia sua necessaria grato animo accipere, & pro beneficiis istis Ecclesiæ ficeliter seruire (siquidem Clerici esse volunt) ministeriis Curæ animarum omniúmque quę ab ea dependent. Iuxta veteres regulas, sanctorúmque Patrum de vera monastica vita doctrinas, debent monachi proprio labore manuum victum suum comparare.

Hæc adducta fundamenta S. scripturæ qui rectè intueri volet, is facilè & hoc animaduertet, quod vota monastica quæ ipsi vota substãtialia vocant, cuiusmodi est votum perpetui cœlibatus, perpetuis ac totalis obligatio sui ipsius ad voluntatem arbitriúmque Prælatorum, abiuratio omnis proprietatis, Christianæque administrationis & dispensationis bonorum quæ Dominus vnicuique in hoc seculo committit, cum obediẽtia præstanda legi diuinæ non consentire, ac plurimis aperta grauiáque scandala dare, non tantùm idcircò, quod propemodum à nemine rectè obseruantur, verumetiam quod multis manifestè obstant, quo minus legem Dei imitari queant. Quod cum ita sit, sicut omnino est, vnicuique Christiano liquidò patet, nostríque muneris officiíque fuisse & esse, nostros qui eiusmodi votis obligati sunt, ex talibus laqueis explicare: nec permittere, vt deinceps alij se illis irretiant & inuoluant.

Vbicunq. in sacra scriptura de votis mẽtio fit, ibi agitur de tali castigatione corporis, talib. oblationib. vel cultib. qui à Dño ipso traditi & laudati sũt. Omnia itẽ talia vota tẽporalia tãtũ sũt, nõ perpetua. Quod in Hieremia legitur de Rechabitis, qui Patri suo Ionadab in his quatuor reb. obtẽperarũt, nẽpe q̃ ipsi, vxores, & liberi eorũ à potu vini abstinuerũt, non agrum non vineam coluerunt, non domos extruxerunt, sed sub tabernaculis habitarũt, singulare exẽplũ fuit obedientiæ, sicut Dominus ipse p̃ ꝓphetã Hieremiã ꝓdidit: & figura cœlestis politię, tẽporalísque peregrinationis, vt Epistola ad Heb. 11. id declarat, in talib. etiã reb. posita fuit, quas Dñs partim in veterib. gratas habuit, ac benedixit: partim ipse quoque prę̃scripsit. Votũ n. Nazarẽorũ e: iã postulat, abstinẽtiãà potu vini, quę Dño in Simsone & Ioãne benè placuit. Veteres itẽ Patriarchę sub tẽtoriis habitarũt, ac se suósq. ex solis pecorib. aluerũt: nec agros, nec vineas coluerunt: neque domos extruxerunt: háncque ociosam vitam in docendo discendóque mandata Dei, in cognitione ac pio creaturarum tam in cœlo quam in terra vsu, consumpserunt.

Perpetua vota, cuiusmodi est, Semetipsum in manus hominum perpetuo ac plenè tradere, omnium tẽporaliũ bonorũ, quæ Deus vnicuique largitus est, potestatem & administrationem alteri sine certo mandato

Dei permittere, id in vniuersa scriptura nullum laudabile exemplum habet, vt hactenus satis demonstratum est. Loca igitur Scripturæ, quæ postulant, vt vota Domino persoluantur, nullo modo ad monastica vota se referri patiuntur. Sensus enim communis & ratio ipsa dictat, nullam Dominum talium votorum persolutionem à seruis suis requirere, quæ præter voluntatem suam illi vouerunt. Vota vero monastica, vt iam probatum est, & verbo & voluntati Dei ex diametro repugnant.

Responsio ad sententias Patrum de votis monasticis.

Cap. CXLI.

FAtendum est, quod omnium S. Patrum scripta, quę adhuc supersunt, in genere omnia tollantur, eos de casta vita extra matrimonium, item de monastica vita, vbi multi fratres sub vno spirituali patre in summa charitate, & rerum omnium communione, à toto mundo omnibúsque negotiis mundanis liberi viuebant, & se in & ad omnem pietatem summa diligentia exercebant, admodum honorificè sensisse. Solummodo autem propter singulariter strenuũ assiduúmque exercitiũ pietatis, sine qua nec cœlibem vitam, nec communionem, & disciplinam monasticam laudarunt, sed potiùs acriter ac seriò reprehenderunt. Fatemur quoque quod vota perpetuæ castitatis extra matrimonium vouerint, earúmque virium esse agnouerint, quæ valeant hominem ligare & adstringere. Denique quod desertionem monasticæ vitę culpabilem iudicarint, nisi quis ad Clericatum vocatus fuisset.

Interim tamen hoc quoque verũ est, quod antiquiores Patres ab Ecclesię communione non repulerunt, neque pro infidelibus habuerunt, qui post votum cœlibatus vitęque monasticæ, matrimoniũ inierunt: neque eiusmodi coniugia dissoluerunt, aut dissoluenda iudicarunt: licet defectionem à vita cœlibe damnabilẽ iudicauerint. Huius rei quatuor habentur non contemnendi testes.

Primus est D. Cyprianus, qui de dicatis Deo virginibus sic scripsit. Quod si se Christo in fide dicarunt, volunt tamen cum pudicitia & castitate sine mala fama perseuerare, & sicut robustę & constantes mercedem virginitatis expectare. Si verò expectare vel nolunt, vel nõ possunt, melius vt matrimonium ineant, quàm vt per libidinem suam in ignem incidant. Cauere enim debent, ne fratribus offendiculum dent, &c.

Secundus testis est Epiphanius, in refutatione hęreticorum qui se Apostolicos nominabant, & inter cæteros errores etiam isto implicati erant, quòd matrimonium tanquam impurum reiiciebant. Ibi introducit S. iste Pater dictum Pauli de viduis, Cùm lasciuire cœperint contra Christum, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem abrogarunt, &c. In hęc verba sic scribit.

Compendiarius & medius sermo contra eos qui mala cogitant de tota

tota Ecclesiasticæ prædicationis tractatione. Qui quidem sermo reiicit eos qui se Apostolicos & Encratitas vocant. Reiicit autem & eos qui diluti in Ecclesia fiunt, & persuadent mulierem à perfecto relaxatam cursu reiicere, talẽ cursus perfectionem. Et habet peccatum & iudiciũ qui Dei virginitatem reiecit, & certamen confudit. Nam athleta qui certamen corrupit, flagris cæsus ex certamine reiicitur: & qui virginitatem corrupit, ex tali cursu reiicitur, & corona ac brauio priuatur. Sed melius est iudicium quàm condemnatio. Qui enim vt ne confundantur apud homines, occultè scortantur, & sub solitudinis aut continentiæ specie libidinem exercent, non apud homines habẽt confusionem, sed apud Deum qui nouit occulta, & redarguit omnem carnem in suo aduentu, prout quisque peccauit. Melius est itaque vnum peccatum habere & non plura. Melius est lapsum à cursu, palam sibi vxorem sumere secundum legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum & obligatione opus habentem: & non quotidie occultis iaculis sauciari, ab improbitate quæ à diabolo ipsi infertur. Sic nouit Ecclesia prædicare.

In his verbis agnoscit iste S. Pater malum esse, si quis virginitatis votum deserat, talémque qui id fecerit diuturnæ pœnitẽtię iudicio dignũ pronunciat. Nihilominus tamen testatur quoque melius esse, si quis ab hoc cursu lapsus sit, vt palàm sibi vxorem sumat secundum legem, fugiátque condemnationem & quotidiana occulta iacula Satanæ. Consultius esse in iudicium diuturnæ pœnitentiæ incidere, & tamen rursus ad ecclesiam induci, quàm cadere in condemnationem, & in æternum à Christo reiectum esse. Facilius esse coram hominibus confundi, quàm coram Deo. Denique testatur hanc esse veram & genuinam sententiam istius loci Pauli iuxta traditionem Ecclesiæ, hanc esse eius doctrinam & prædicationem.

Ex qua doctrina sine dubio promanauit, quod etiamnum temporibus Augustini talia matrimonia non disiungebantur, quod bonum esse in Libro de Bono viduitatis, qui D. Augustino adscribitur, demonstratur. Qui liber tertius testis erit, quod vetus Ecclesia non damnauerit eos qui post votum cœlibatus matrimonium inierunt, neque etiam talium coniugia dissoluerunt. Legatur 10. & 11. huius libri caput.

Quartus testis est Imperator Iustinianus, qui id monasticis personis liberum relinquit, si nõ diutius in monasteriis manere, sed ad communem vitam rursus se transferre voluerint. Iam iste pius & Christianus Imperator Catholicam doctrinam Ecclesiæ maximi fecit, ac diligentissimè obseruauit: quinetiam in Constitutionibus suis seriò præcepit, Canones Ecclesiæ, perinde ac si Imperiales leges essent, in vniuerso imperio obseruari, eorúmque transgressores non minore supplicio afficiendos voluit, quàm Imperialium legum contemptores. Vnde gubernatoribus & Commissariis Imperij iniunxit, vt tam Episcopos quàm Clericos ad obseruationem Canonum adigerent, pœnam verò illis, si eos præuaricarẽtur irrogarent. Ex quo quiuis mẽte & intellectu prædi-

Iustinian. Auth. de Monachis

tus facilè colligere potest, quod si tempore huius Imperatoris pro Catholica Christiana obseruatione Ecclesię habitum fuisset, eos qui vitam monasticam deseruissent, pro excommunicatis habere, nunquam sanè Imperator iste, qui omnes ordinationes Ecclesiæ in summo precio habuit, & religiosissimè obseruauit, cuiquam hoc liberum & impunè permissurus fuisset.

Solent quidem Aduersarij contra adducta loca Cypriani & Augustini obiicere, quod sint de illis scripta, qui castitatem non solenni voto vouerunt: item de iis qui nondum consecrati sunt. Verum hoc inane subterfugium est. Veteres enim vnum tantūmodo voti genus agnouerunt, sicut nec plura esse possunt, si ligationem ad obseruandum spectemus. Si enim aliquid vouetur Domino, quod ei gratū acceptúmque est, certè præstandū id quoq. erit, siue id singulari solennitate & ceremoniis, cōsecratione & dedicatione in peculiarem statū vitę monasticæ (quod ipsi solenne votum appellant) siue absque vllis eiusmodi circumstantiis votum sit (quod votum simplex vocant.) Nullo enim modo nullísque in rebus cum Deo ludendum est, sed omnia considerata mente summáq. religione & attentione agenda: & semper cum plena traditione suiipsius in verum statum perfectionis, hoc est, eiusmodi vitam, in qua Deo ex toto corde seruiatur, omniáq. peccata diligenter caueantur. Humanę ceremoniæ & solennitates nequeunt vlli voto maiores ligandi & obstringendi vires adferre, quàm diuina maiestas, cui factum est.

Quicquid igitur Deo semel votum, taliúmque rerū est, quas Deus à nobis postulat, gratásque & acceptas habet, id per se & ex sua natura ligat, siue humanę ceremoniæ accesserint, siue non. Rursus si quid votum est, quod Domino displicet, & ad sanctificandum in nobis nomen suū non prodest, ignominia Dei est, nec non horrenda abominatio, si quis id obseruare velit, etiamsi summa cum solennitate, consecratione, mutatione status, & in vitam monasticam traditione siue quicquid tandē hac in parte ab hominibus excogitari & adhiberi queat, fuerit factum.

Antiqui nullum discrimen, quantum ad virginitatem pertinet, inter eos statuerunt, qui vel simul in monasteriis, vel in priuatis suis ædibus habitarunt. Quæcunque semel in publica conuersatione Ecclesię se dicauerunt, vt qui ad virginitatem se applicuissent, Dicatas Domino appellabant.

D. Cypriano manifestam vim & iniuriam faciunt Aduersarij scribentes eum matrimonium post votū castitatis initum incestum nominare. Eo enim loco incestas coniunctiones vocat, nō matrimoniū post votū castitatis cōtractū, sed quod dicatę Domino virgines sine legitima matrimonij copula cū viris cōsuescebant ac dormiebant, & tamen nihilominus inuiolatæ virgines dici volebant. Videatur hæc Epistola.

D. Basilium quoque satis fastuosè citant, vt qui matrimoniū post votum castitatis initum penitus annihilet. At qui scripta huius Doctoris penitius introspexerit, manifestè deprehēdet, quod verba illius peruertant. De his enim loquitur, qui in statu votę à se castitatis vitæque cœlibis, carnalibus amoribus se dedūt, ac postea carnali peruersóq. amore impulsi,

impulsi, coniugio sibi inuicem iunguntur, quò libidini sue publicæ & sine vituperio satisfacere possint. Eiusmodi copulationem damnat Basilius nec immeritò. Nam in Christo, hoc est vera pietate & pia consideratione in quo genere vitæ vnusquisque Domino quàm optimè seruire queat, matrimonium est ineundum. Quapropter causas quoque necessarij adiutorij, ac procreationis liberorum eodem in loco recenset.

Licet autem omnia eiusmodi coniugia in eo damnanda sint, quod ex carnali amore ac deprauata libidine, non ex pia præmeditatione, quod vnicuique ad cultum Dei in se promouendum quàm maximè conducat, contrahuntur, nemo tamen, qui secundum Deum agere velit, propter hanc causam ea dissoluet: sed potius eiuscemodi coniuges monebit, vt se posthac in verè pia coniugali vita Domino tradant, atque hoc pacto resarciant, quod ab initio neglexerunt. Quorum matrimonio Dominus, siquidem ex animo se ad ipsum conuertant, & de malo matrimonij auspicio doleant, nihilominus benedicet, peruersúmque principium ex gratia clementiáque sua ignoscet. Sicut etiam Baptismum reddit efficacem in his, qui illum ab initio non rectè perceperunt: si modò deinceps donum Spiritus sancti vera fide petant & accipiant. At quæ doctrina, quæ adhortatio auditur apud Aduersarios, quomodo debeant homines piè matrimonium contrahere?

In eodem libro quem Aduersarij citant, scribit etiam & iste Pater, longè melius esse, vt virgo nubat, Deóque sub marito seruiat, quàm vt sub prætextu virginitatis sit vagabunda, tractet mundana negocia, viuátque iuxta propriam voluntatem & libidinem. At nisi apud Aduersarios muris ac repagulis, vnà cum animaduersione ac pœnis caueatur, facilè apparet cuiusmodi castitas in monasteriis vigeat. Et sit sanè, quod castitas corporaliter obseruetur, quot tamen poterunt in Cœnobiis produci, qui ab omnibus mundanis negotiis penitus se subduxerint, Dominóque ita tradiderint ac viuant, quemadmodum Basilius & alij S. Patres ad præstanda vota Christiana virginitatis ac cœlibatus adeo necessarium agnoscunt, vt omnes vno ore testantur, Melius esse Domino in matrimonio seruire, quàm sine eiusmodi peculiariter Deo dicata vita in statu virginitatis vel cœlibatus vitam transigere. Si melius est, certè per nullum humanum vel votum vel præceptum non bonum effici potest.

At dicent Aduersarij: Qui votum castitatis extra matrimonium seruandæ vouerunt, debent dicatam Domino vitam vnà cum cœlibatu cõiungere, atque hoc modo quemadmodum vouerunt, in cœlibatu permanere. Verum quid si id illis datum non sit, sed sint ad coniugalem vitam à Domino destinati & vocati? Dicit enim Dominus, Non omnes capiũt verbum hoc, videlicet vt se propter regnum cœlorum castrent. Et Paulus vnusquisque suum propriũ donũ habet, vnus quidẽ sic, alter verò sic.

Porrò cui persuadebunt Aduersarij, quod dedicata Deo vita quærũt, cum ad omnia ea conniueant, quæ huic generi vitæ ex diametro repugnant: quod eorum monasteria nimis apertè testantur: imò nihil tanquã violationẽ, trãsgressionẽq. votorũ reprehẽdãt aut puniãt, quã ũuismũdanę

& impudicæ personæ monasticæ viuant, nisi solum matrimonium. Quod cum faciunt, reipsa sophistis illis assentiuntur, qui docent, materiam votorum nihil esse eorum, quę Deus vel præcepit, vel prohibuit, sed eorum tantum quæ sponte eliguntur. Monachos igitur dictósque vulgò spirituales, etiamsi fornicationem vel adulterium committant, aliáque in genus spurcitię se contaminent, nihil tamen contra sua vota admittere, nec ea violare, quamuis contra legem Dei peccent: ed tãtummodo, si matrimonium ineant. Verum de hac peruersitate, qua Aduersarij nullam turpitudinem aut impudicitiam: sed castum & impollutum coniugium in Clericis oppugnant, suprà in Articulo de Cœlibatu sacerdotum dictum est. Nunc restat vt ad eorum obiectiones respondeamus.

Fatemur (neque enim inania subterfugio quærimus) D. Basilium acriter in eos inuectum esse, qui dicatas Deo personas in matrimonium sumunt. Et hoc argumentum strenuissimè contra eos vrget. Nulla quę viro desponsata est, potest ab alio in matrimonium sumi, quandiu vir ille superuiuit, cui principio desponsata est.

Quod si quis hoc attentaret, tum vtraque persona adulterium committeret, tam persona desponsata quàm qui eam sibi in matrimonium sumeret. Quamobrem cùm Deo dicatæ virgines Christo Domino desponsatę sint, nullam illarum posse cuiusquam viri legitimam vxorem fieri, propterea quod Dominus noster Iesus Christus nũquã moriatur.

Ad hoc argumentum ita respondetur. S. Patres ipsi volunt, vt omnis eorum doctrina ad canonem & normam S. scripturæ examinetur. Iam si scripturam intueamur, eámque sequi velimus, oportet vt desponsationem hominum cum Christo nostro in virginitate collocemus, sed in vera fide in Dominum nostrum Iesum Christum: sicut Deus ipse in Hosea, & passim in Prophetis & per Apostolum Paulum testatur. Hanc verò fidem omnes pij coniuges habere possunt: & multi qui secundum carnem reuera virgines sunt, eadem sunt destituti. Nec vllus est ex omnibus S. Patribus, qui desponsationem cum Christo in sola carnali virginitate vnquam posuerit. Non enim ignorarunt, imò diligenter inculcarunt, id quod Dominus ad quinque fatuas virgines dicturus est, Non noui vos. Quare cum desponsatio cum Christo Domino non sit sita in carnali virginitate, sed in vera fide, quæ etiam in S. coniugio locum habet, sequitur, quod qui in fide Christi, habita ratione doni à Deo sibi concessi, corporalem virginitatem, quam contra verbum Dei vouerunt, deserunt, & sacrum matrimonium, ad quod à Deo vocati & donati sunt, iuxta verbum eius ineunt, adulterium cum Christo Domino non committant, sed potius illi tanquam sponso suo coniugalem obedientiam ritè præstent, nempe iuxta verbum illius & vocationem.

Idem argumentum etiam in libro de Bono viduitatis cap. x. firmiter refutatur, per demonstrationem absurdorum, quæ ad id consequuntur.

Antiqui Patres Dicatas Deo virgines per similitudinẽ sponsas Christi: earum verò deditionem in veré spiritualem virginitatem, desponsationem cum Christo appellarunt. Similitudine autem res similes, nõ

eędem

cædem constituuntur. Deditio sui ipsius in vere piam virginitatē nonnihil quidem similitudinis habet cum coniugali desponsatione: at non propterea coniugalis desponsatio est. Quare non est necesse, vt singulæ proprietates desponsationis & coniugij in ea locum habeant. Imprimis vero ista proprietas corporalis matrimonij qua id reuera violatur & diuoluitur, si qua cum alio viro coniugali vinculo copuletur, nullum locum in traditione sui ipsius Christo Domino, ac spirituali cum eo desponsatione, de qua scriptura loquitur, habet. Omnes enim fideles vxores, & vniuersa Ecclesia Christi, ipsi Domino tanquam virgo desponsata est, illi adhæret, huic coniugalem fidem præstat, cum omne auxilium apud eum solum quærit, cum fideli obedientia mandatorum eius: nec obstat, quod vxores interim suos corporales maritos habent. Quod humanum coniugium tolerare nequit, nempe vt vna & eadem mulier duorum simul maritorum vxor sit. Pia verò vxor benè potest simul & Christo Domino desponsata esse, & corporalem suum maritum habere, eique coniugalem obedientiam, fidem & obsequium præstare. Imò adulteratur à Christo Domino, si eiusmodi obedientiam ac fidem marito suo non præstaret. Porrò adulterium cum Christo Domino tunc solum committitur, quando quis alium mediatorem apud Deum, aliúmque saluatorem quærit, & recipit: sicut Prophetæ & Paulus testantur.

Ex hoc obuium cuique est, quòd omnino non sequatur, eos qui etiã post votum virginitatis, ad quam à Christo Domino sponso suo vocati non sunt, corporale matrimonium contrahunt, idcircò à sponso suo diuertere, & adulterium cum eo committere. Hoc faciunt, vt iam dictũ est, quicunque alium seruatorem recipiunt, qui falsis cultibus adhærẽt, qui mundum magis quàm Christum amant. Et quoniam vera desponsatio virginum cum Christo non in corporali virginitate, sed in hoc tantum consistit, vt se totas Domino tradant: tantóque diligentius rebus omnibus diuinis incumbant, quantò liberiores sunt à coniugalibus ministeriis: paucissimos poterunt Aduersarij monachos producere, qui non spiritualem sui cum Christo desponsationem violauerint, imò in ea violatione perdurent. Quemadmodum faciunt omnes qui non ab omnibus mundanis negotiis liberi, solummodo sacrosancti Euangelij regni Domini nostri Iesu Christi, veræque pietatis propagationi, cùm apud se, tum apud alios inuigilant, & incumbunt. Hactenus de voto castitatis, nuptiísq; post hoc votum contractis, de quibus Aduersarij maiorem locorum partem introduxerunt.

De reliquis duobus, nempe de voto perpetuæ deditionis in obedientiam Prælatorum monasticorum, & abdicatione omnium temporaliũ bonorum, non multa S. Patrum dicta citarunt. Illi enim de perpetuitate istorum votorum nihil commemorant, licet desertionem veri monachatus, qualis ipsorum temporibus erat, & ad mundana negotia (nõ ad alios quin priuatam Christianam vitam) reditum, reprehendunt. Ad quod sic respondemus.

Producant nobis Aduersarij tales monasteriorum Prælatos & fratres, apud quos monachatus iste reperiatur, quem solum S. Patres Christianum agnoscunt, tunc nos quoque vnà cum ipsis reprehendemus, quicunque ab eo ad mundana negocia desciscunt. Qui verò ex monasteriis ad Clericatum desumuntur, vel sibi à Domino non datum esse deprehendunt, vt illi in monastica vita seruiant: & alioquin ad pium aliquod vitæ genus se applicant, eos cum antiquioribus Patribus indemnatos relinquemus.

Ex his omnibus vnicuique Christiano obuium est videre, quod vota & vita monastica quæ Aduersarij propugnant, veterum S. Patrum obseruationi & doctrinæ de castitate cœlibi, vitáque monastica ex omni parte repugnent. Contra verò, quod Reformatio veterum ac vitæ monasticæ, quam nos proponimus, cum ea in veritate consentiat & concordet. Ex his enim quæ hoc loco introducta sunt, & passim in scriptis S. Patrum, vbi de his rebus tractant, leguntur, cuiuis qui timore Dei præditus est, patet S. Patres in genere omnes seriò condemnare & reiicere cœlibem monasticámque vitam, nisi qui ad eam se applicant, omnibus mundanis & carnalibus rebus omnino renuncient, & se in frequenti serióque omnis sanctitatis tam corporis quam animæ exercitio contineant, vt in legendo sacras Scripturas, in orando & psallendo, in charitatis obsequia ministeriáque proximis præstando, in summa, nisi Christianam & cœlestem vitam quàm perfectissimè viuant, monachatum ac virginitatem talium nihili faciunt, eósque magis piè & Christianè in matrimonio viuere iudicarunt.

Videantur omnia quæ de virginitate & monachatu scriptis prodiderunt: ac postea conferatur cum illis monastica vita, quæ nostro tempore in vsu est, & quam Aduersarij tuentur, videatúrque quid in ea demonstrari possit istius sanctitatis, quam Patres à monasticis personis requisiuerunt, & annon omnia cumulatè in ea inueniantur quæ S. Patres in monachis & monachabus extremè condemnarunt: ac propterea testantur longè illis consultius esse, vt cum vera pietate in matrimonio viuant. Vnde euidentissimè consequitur, eam monasticam vitam pro qua pugnant Aduersarij doctrinæ & obseruationi Patrum de monachatu esse contrariam.

Cúmque vetustiores Patres neminem nisi sponte in monachatu perseuerare voluissent, in eo manere coëgerint: eos item qui non cũ summa pietate in monasteriis viuere volebant, in eis non tolerauerint: sequitur nostram reformationem monasteriorum cum doctrina & obseruatione Patrum optimè consentire.

Licet enim maior pars defertionem monachatus, ac votæ virginitatis culpabilem & pœnitentia dignam iudicarint, tamen non habent Aduersarij, quod id cuiquam obiiciant, cùm ne vnum quidem monasterium ostendere queant, in quo virginitas & monachatus eo modo obseruetur, quem isti S. Patres requirunt: sine

quo

quo illi ipsi de sertionem virginitatis & monachatus ἀπροσωσίαν vocant.

Summa defensionis eius quod posthac vota monastica non recipere, cum iis verò quæ iam facta sunt, ad ædificationem deuotarum personarum & Ecclesiæ vtilitatem dispensare decreuimus, in hoc consistit.

Cap. CXLII.

PRIMVM tenemur in nostra Diœcesi, quantum in nobis positum est, ad efficacem pietatis ędificationem & prouectum omnia instituere: in eóque liberum habemus iudicium, nulli alij Episcopo, sed soli verbo iudicióque diuino alligatum: sicut D. Cyprianus id tanquam ac verè Apostolicam traditionem commemorat ac contestatur, scribens ad Quirinum. Quæ etiamsi propriè fundata est in verbo Dei, vbicunque id docet de ministerio Ecclesiastico, de ędificatione corporis Christi, quę est Ecclesia Dei, vt Ezech. 34. Ioan. 20. 1. Cor. 3. 4. 12. 14. Gal. 1. Ephes. 4. 1. Timoth. 3. 4. Tit. 1. Vbi enim vel duo tantum in nomine eius congregati sunt, ibi vult esse in medio eorum. Apud tales ergo semper oportet esse integrum ministerium Christi, & quicquid nobis in salutem ordinauit.

Secundò, Perpetua vota monastica sunt inuenta hominum, sine vlla doctrina exemplóque Sacrarum Scripturarum introducta, vt iam antea demonstrauimus. Præterea constat, quod innumeris animabus ad periculosos perniciosósque laqueos seruierint.

Tertiò patet longè maximam monachorum partem sine omni iudicio & intellectu in istos laqueos sese præcipitasse, non paucos verò vi ac violentia in eos impulsos esse.

Quintò demonstratum iam est, antiquiores Patres agnouisse quòd obstrictis voto hominibus longè consultius sit nubere quàm vri: quodque eorum coniugia pro legitimis & indissolubilibus agnouerint.

Quintò, Hoc quoque in confesso est omnibus qui obseruationum & rituum veterũ Ecclesiarum notitiam habent, antiquos Episcopos sèmper ex monasteriis ad Ecclesiæ ministerium assumpsisse quos ad id idoneos deprehenderunt.

Sextò, Constat antiquiores Patres neminem eorũ qui monasteria deseruissent, propterea tanquam non Christianum condẽnasse, si alioqui piam Christianamque vitam gessissent.

Septimò, Nouerunt omnes qui vetustas monasteriorum regulas cognitas habent, quod in monasteriis tolerandi non sint, qui in vera & Christiana monastica vita se continere nolunt.

Octauò, Verum est & ab omnibus qui diuinarum & antiquarum Ecclesiasticarum ordinationũ & constitutionum peritiam habent, confessũ quod ex Ecclesiasticis monasticisq; bonis prouideri debeat, vt omnes

homines ad pietatem promoueantur: summa verò ac principalis huius rei administratio sit penes Episcopum. Hęc omnia fundata sunt in verbo Dei, veris Apostolicis traditionibus, & veterum verorúmque Episcoporum & Curatorum animarum obseruatione.

Iam nostra Ordinatio non vlterius se extendit, quàm primum omnium eo quod non vult, vt quisquam cum periculo salutis ad humana perpetuorum votorum inuenta sese adstringat. In quo nihil nisi certa offendicula, nihil verò quod ad ędificationem vim quandam habet, è medio tollit. Vnus quisque enim Christianus etiam sine perpetuis votis omnia ea facere potest, quę Deo placent. Temporalia & S. Scripturis aduersantia monastica vota requirit, non reiicit hæc nostra ordinatio.

Secundò, Quod ex monasteriis ad Ecclesiæ ministerium eligit, quotquot ad id apti & idonei sunt, id coram Deo tenemur facere: præsertim cùm tanta sit idoneorum ministrorum Ecclesiæ penuria, quæ hactenus tot annorum spatio ob oculos versata est, & adhuc quotidie versatur.

Tertiò, Non vult in monasteriis tolerari qui monasticè viuere nolunt. Et hoc postulant omnes antiquę regulæ monachorum; nec non & verbum Dei, quod omnem fallam speciem & offensionem Christianorum præcipit amoueri.

Quartò, Liberam coniugij potestatem permittit omnibus, qui extra id piè viuere non possunt, sicut & antiquiores sancti Patres iuxta verbum Dei fecerunt.

Quintò, Pollicetur monachis, qui ad verè monasticam vitam vocati non sunt aliquid subsidij, quò alioquin extra monasteria piam vitam degere possint. Quod antiquæ monasticę charitati ac lenitati consentaneum est.

Quicunque Christiani hanc Ordinationem cum præmissis fundamẽtis conferre voluerint, facilè deprehendent, Aduersarios ne vnam quidem euidentem & rationabilem causam habere, propter quam hanc nostram ordinationem in Libro Reformationis comprehensam reprehendant.

Responsio ad alias quasdam criminationes, quibus propositam à nobis Reformationem monasteriorum insectantur.

Cap. CXLIII.

ADversarii hoc quoque reprehendunt quod in hac ordinatione positum est, monasteria debere posthac ad sustentationem studiorum piámq; & honestam educationem conuerti.

Quæ verba pro consuetudine sua decurtarunt, nempe ita: Postremò liber exigit, vt monasteria in scholas & educationem iuuentutis conuertantur. Liber in genere loquitur de studiis: pro quo ipsi, Scholas, ponunt. Item vbi Liber habet, Personarum nulla mentione facta ætatis,

ibi

ibi ponunt inuentutis, quo omnia quàm viliſſimè proponant. Denique quod liber habet, ad piam honeſtámque educationem, id totum omiſerunt.

Verum qui ſciunt, quid antiqua veréque Chriſtiana monaſteria fecerint, quid item pia honeſtáque perſonarum educatio ſit, & ſuſtentatio ſtudiorum, illi iudicabunt, monaſteria melius non poſſe reformari, quàm ſi in Chriſtianas ſcholas conuertantur, in quibus piè & liberaliter educentur & alantur.

Ad extremum citant D. Chryſoſtomum in libro quem contra calumniatores veri monachatus ſcripſit: & adiungunt: Vinam fauente & propitio Deo monaſteria omnia, mò & parochiæ atque collegia, totáque inſuper Eccleſia, ſecundum ſanctiſſimi viri huius doctrinam reformarentur.

Ad hoc reſpondetur, Det clementiſſimus Deus, vt omnes Chriſtiani ad hoc ex animo dicant, Amen. Verumtamen certum eſt, quod ſi reformatio monaſteriorum ita inſtituenda eſſet, iamdudum in collegia & monaſteria noſtri temporis euacuata & exhauſta eſſent. Dominus det iſtis hominibus agnoſcere, quid ſit adeò parum aut nihil omnino conſiderare, quæ verbo tam faſtuoſè iactitant cùm & cor longiſſimè abſit.

Dicunt (vtinam) At Deus requirit talem reformationem. Si igitur eam ex animo optant, quare non ſemel eam re ipſa auſpicantur, & primum omnium à ſe ipſis incipiunt? Quare non primum ac præcipuum miniſterij ſui eſſe ſinunt Curam animarum in doctrina, diſpenſatione ſacramentorum & diſciplina Chriſtiana? Quare non omnia in Eccleſia iuxta inſtitutionem Chriſti ad ædificantem totius populi Chriſti intellectum, & efficacem fidei in Chriſtum ædificationem exerunt & adminiſtrant? Hæc enim ſunt quæ D. Chryſoſtomus in doctrina ſua ſeriò requirit. Omnia item pro quibus contra Chriſtianam reformationem noſtram pugnant, ſunt doctrinæ eius extremè contraria, cuius ipſe probè conſcij ſunt. Eiuſmodi monaſticam vitam, qualis nunc viget, & ab Aduerſariis partim toleratur, partim ab illis ipſis viuitur, D. Chryſoſtomus in Eccleſia ſua nunquam toleraſſet. Item de perpetuis votis non minus indulgenter diſpenſaſſet, quàm à nobis factum eſt.

Hoc verum eſſe nouerunt omnes, qui doctrinæ iſtius ſancti viri peritiam & cognitionem habent, ad quam & ad cuius viri libros nos referimus. Hactenus ad poſtremam accuſationem.

De vocatione Buceri ad miniſterium Euangelij in Diœceſi Colonienſi.

SVbiunxerunt Aduerſarij ad Calcem Antididagmatis ſcriptũ quodam contra vocationem Martini Buceri, quod iactitant omnibus ordinibus Archiepiſcopalis diœceſeos Colonienſis in Synodo Bonnæ habita 22. Iulij Anni 43. prælectum fuiſſe. Licet autem dictus Martinus

Bucerus ipse se & vocationem suam iam ante per publicum scriptum purgauit & excusauit: tamen vt etiam hoc loco demonstretur quàm iniquè in nos inuehantur, propterea quod Bucerum ad ministerium Euangelij in diœcesem Colonien sem aduocauimus & adhibuimus, pauca quædam & breuiter ad eorum obiectiones ex certo & indubitato veritatis fundamento respondebimus.

Primum omnium citant antiquam ordinationem Ecclesiæ, eámque & scripturis & Canonibus ornant, quæ est, Neminem debere ad ministerium verbi Dei in vlla Ecclesia admitti, nec assumi, nisi sit vnus ex fratribus istius Ecclesiæ, & ab ea cui ministrare debet, in conspectum Episcopi statutus diligenter examinatus & probatus: vita & doctrina irreprehensibilis & ad eiusmodi ministerium idoneus inuentus & cōprobatus, cum à populo tum à Clero. Quam ordinationem admodum superbè passim in hoc suo scripto citant, vt Paragr. 1. 4. 5. 6. 9. 33 35 37. 39. 43. cum sequentibus vsque ad finem.

Postea conantur probare, Bucerum nullam ex enumeratis proprietatibus, ad ordinariam vocationem & constitutionem ad ministerium Euangelij necessariis habere: sed in omnibus contrarium. Ex quo volunt inferre, Pessimè à nobis factum esse, quod Bucerum ad ministerium Euangelij apud nostros vocauimus & constituimus.

Nunc igitur deinceps ad hoc quod de ordinaria vocatione, quæ à toto populo & Clero fieri debeat: item de diligenti probatione & examinatione ministrorum Ecclesiæ ex scriptura & Canonibus adducunt, principio hoc datur responsum.

Diuina & Canonica ordinatio ista, de ordinaria vocatione, probatione & institutione ministrorum Ecclesiæ, non tantum apud Aduersarios ne minima quidem ex parte obseruatur: verumetiam manibus pedibúsque ei reluctantur. Et quidem ex hoc ipso, quod Bucerus in duobus libellis de Correctione abusuum Cæsareæ Maiestati in Comitiis Ratisbonensibus exhibitis proposuit, quòd eadem illa ordinatio debeat in Ecclesiis restitui & restaurari, conantur Aduersarij in hoc suo scripto probare, Bucerum non esse salubris doctrinæ sed mali & pernicioſi propositi. Et sanè quàm intollerabile foret Clero Colonien si, si id obseruaretur, ne quis ad Ecclesię ministerium assumeretur, nec ad præbendarum fruitionem admitteretur, nisi à populo & Clero eius Ecclesiæ, cui ministraturus est, in conspectum Episcopi statueretur, & per illos omnes probatus, idoneúsque deprehensus assumeretur? Vtinam istud diuinam ius in Christiano populo & Clero passim restitueretur, quemadmodum S. scriptura & Canones postulant: tunc enim facilè cessaturi essent ab Oppugnatione Christianæ Reformationis. Iam enim parochiis & præbendis per quas nunc superbiunt, exonerati essent.

Cum igitur constet, Aduersarios hanc Christianam ordinationem de legitima & ordinaria vocatione ac probatione ministrorum Ecclesiæ ipsos tolerare nolle, sed ei quātum possunt resistere, perspicuū est omnibus

nibus sano iudicio præditis, quod eam nemini obiicere possint. Quilibet enim permittere debet, vt idem ius in se valeat, quod aliis obiicit.

Nos autē à nulla Christiana ordinatione nos subducemus propterea quod Aduersarij nullas obseruant, sed cupimus id genus omnes, quantū in nobis est instituere: si ad ædificationem, & iuxta genuinum earum intellectum & vsum, sicut Ecclesiæ Christi & veteres S. Patres eas intellexerunt, & vsurparunt. Cui neque nos quicquam contrarium fecimus, quando Bucerum ad ministerium Euangelij apud nostros obeundum vocauimus & adhibuimus. Quod omnes Christiani manifestè deprehendent, qui dictas ordinariæ vocationis ad ministerium proprietates omnes & singulas penitius intueri: & deinde quid nos in vocatione Buceri ad ministerium Euangelij egerimus, sicut se res habet, in veritate percipere volent.

Aduersarij in hoc suo scripto eodem modo se gerunt, sicut in aliis plerisque locis sui Antididagmatis Ordinationes veterum Ecclesiarum admodum superbè citant, & perindè faciunt, ac si illas exactissimè obseruarent: nos verò omnibus modis & ex diametro illis aduersaremur. Cùm tamen rei veritas arguat, nos nihil magis habere in votis, quam vt eiusmodi Christiana Reformatio rursus instituatur, & in actum perducatur: aduersarios verò Christianæ reformationi nostræ hanc solam ob causam se tam pertinaciter opponere, quia talem ordinationem proferre non possunt. Quod vt in præsenti eorum accusatorio scripto declaretur, singulas proprietates ordinariæ vocationis ad ministerium Ecclesię ordine examinabimus.

Primùm igitur quod & sæpe adducunt est, Neminem debere ad ministerium Ecclesię assumi, nisi sit vnus ex fratribus eiusdem Ecclesiæ. In quo si per fratres vnius Ecclesiæ intelligere volunt eos, qui apud vnam eandémque Ecclesiam simul habitant, tum ordinatio ista non ex numero earum, quæ semper obseruatu sunt necessariæ. Sed perinde licet aliis fratribus vti, qui in aliis Ecclesiis ad ministerium Euangelij apti & idonei inueniuntur. Sicut apud antiquos sæpenumero vsuuenit, & exēpla habemus Ambrosij, Nazianzeni, Chrysostomi, & aliorum multorum. Sanè si omnes illi Colonienses prębendas deserere deberent, qui Coloniæ baptizati non sunt, ac principio non fuerūt de fraternitate istius Ecclesię, iamdudum Christianam Reformationem nostram sine vllo negotio in opus & effectum perduxissemus.

Probò inspiciatur Canō iste vnà cū causis suis, de quibus etiá 61. Dist. nō nulla mentio fit, & inuenietur, fratres qui apud vnamquamq; Ecclesiā habitāt hanc solā ob causam peregrinis in quouis ministerio Ecclesiastico prę ferendos esse, quod in Ecclesia sua melius cognosci possunt. Alioquin si in aliis Ecclesiis inueniuntur, qui sapientia, promptitudine, ac zelo ministerium istud probè administrandi, cumulatius donati sunt, tales debent domesticis in ministerio anteferri. Nam vt omnes sancti Patres testantur, semper imprimis eò respiciendum est, quomodo populus Christi, quam optimè ædificari possit.

Iam verò Martinum Bucerum primum omnium non constituimus perpetuum continuúmque vllius Ecclesię antistitem, & curatorem animarum, sed tantummodo ad tempus ministerio eius in concionando, in Sacras Scripturas interpretando vsi sumus, cùm id postularet necessitas, nullúsque esset inter eos qui fixas ibi sedes habent, qui hoc munus ad ædificationem obire posset: quod omnes Christiani verum esse sciunt, qui eorum locorum experientiam notitiámque habent. Nihil igitur hac in parte egimus, quod cum Ecclesiastica ordinatione de vocatione & applicatione ad ministerium Ecclesiæ pugnet. Verum Aduersarij malunt recipere peregrinos, venientes Roma, qui tales homines sunt, vt nulla vera Ecclesia Christi pro fratribus eos habere possit. Efficax verò prædicatio Euangelij nemini tolerabilis est, nisi qui vita quoque eam exprimere cupit.

Altera proprietas ordinariè vocatorum ministrorum Ecclesiæ est. Vt à Christiano populo & Clero petantur ac probentur. In qua tamen necessarium non est, vt semper talis à populo & Clero in Ecclesia Dei in conspectum Episcopi statuantur. Sed possunt etiam Episcopi tales primum eligere, deinde populo & Clero proponere: quemadmodum D. Paulus Timotheum & Titum, beatus martyr Cyprianus Saturum, Optatum & Celerinum, & D. Augustinus Eradium suum prius elegit, ac deinceps suo quilibet populo & Clerico proposuit.

Epistola 22. lib. 3. Epistola 5. lib. 4.

Hoc verò necessarium est, vbi ritè constitutus populus & Clerus habetur, qui in eiusmodi negotiis discernere & iudicare possunt, ne quis in talibus Ecclesiis ad ministerium Euangelij assumatur, vel applicetur, nisi priùs coram populo & Clero statutus, ab eisque quàm exactissimè examinatus, probatus, idoneus inuentus, & ad ministerium petitus ac requisitus fuerit.

Hic autem notabis, Christiane Lector, dici, Vbi ritè constitutus populus, & Clerus habetur, qui in eiusmodi negotiis discernere & iudicare possunt. Vbicunque enim id non est, ibi debent antistites populi Christi per se idoneos ministros ad talia loca amandare, qui negotia Christi reforment, etiam non Consultis antea talium locorum Ecclesiis. Quemadmodum Paulus Timotheum suum in Epheso, & Titum in Creta propter eandem causam reliquit, ambos etiam Cerinthum & Timotheum Philippos ac Thessalonicam misit cum commendatione: ex qua perspicuum est videre, ministros istos ab Ecclesiis illis prius nec probatos nec petitos fuisse.

Ad eundem modum plerique omnes Prophetæ & Apostoli ad ministerium suum ablegati fuerunt: non tantum à populo & Clero, vel etiam Regibus ac principibus non petiti, verumetiam omnino contra eorum voluntatem.

Cum igitur plebs quæ adhuc passim in cõmunibus abusibus & ignorantia Euangelij altissimè immersa hæret, parum aut nihil penitus sciat, quinam sint verè idonei ministri Euangelij, qui secus: Cumque vulgatus Clerus (quemadmodum vita eius & conuersatio, quæ & S. Scripturæ & omnibus Canonibus omnino contraria est, nimis crassè testatur)

teſtatur) adhuc longè minus ſciat, eadem hoc tempore apud talem populum & Clerum, de ordinatione & conſtitutione miniſtrorum reuocauit: imò quę fuit in Germania temporibus Boniſacij, aliorúmque piorum & ſanctorum Patrum, qui collapſum Chriſtianiſmum apud nos reſtituerunt.

Epiſcopi, Principes, & ſinguli magiſtratus, quos Deus agnitione ac zelo regni ſui donauit, debent de idoneis concionatoribus prouidere, eos vocare, ſubditíſque ſuis præficere. Imò debent omnes, quibus Dominus intellectum & animum prædicandi Euangelium largitus eſt, ipſi quærere, vbi ſint qui eos ad hoc miniſterium admittere, ac ſermones eorum audire velint. Omnis enim lingua Dominum Ieſum confiteri & prædicare debet, Phil. 2. & vnumquódque membrum in Chriſto reliqua ædificare, vbi & quacunque ratione poteſt. 1. Cor. 12. & 14. In tali caſu neceſſe eſt, vt à prædicatione Euangelij omnia inchoentur, probatio verò Concionatorum prędicationem iamprimum ſequatur, poſteaquam populus & Clerus Domino pręparatus, ac verum ſpirituale iudicium ſententiámque ferat, priuſquam notitiam eius & experientiam fuerit aſſecutus.

Quamobrem, cum proh dolor! grauem ſacroſancti Euangelij ignorationem in populo ac Clero noſtro deprehendiſſemus, certè non potuimus illorum iudicio arbitrióque committere, quoſnam ad Eccleſiæ miniſterium vocare & conſtituere deberemus: ſed coacti fuimus tanquam ſupremus eorum Paſtor, & curator animarum, tales coram nobis ſtatuere, probare & examinare. Quod ſi Clerus Colonienſis ſciuit, Bucerum ad iſtud miniſterium non eſſe idoneum, quare id non in præſentia eius probarunt, quò ſe defendere potuiſſet, ad quod ſe tam multipliciter obtulit?

Ad totum igitur illud, quod Aduerſarij dicunt, Miniſtros Eccleſiæ etiam à populo & Clero probandos & petendos eſſe, hoc datur reſponſum. Hæc ordinatio non vlterius ſe extendit, quàm ad talem populum & Clerum, qui in hoc negotio diſcernere & iudicare poteſt. Eiuſmodi verò tam populum quàm Clerum in iis locis, ad quæ Bucerum & alios prædicatores Euangelij, qui Aduerſariis diſplicuerunt, ante prædicationem Euangelij ab ipſis factam, non habuimus. Quapropter iudicium illorum expectare nec potuimus nec debuimus: ſed ſatis eſt, quod & à principio, & poſtea quoque Concionatores iſtos obtulimus, & adhuc omnibus offerre & ſtatuere parati ſumus, ad exactiſſimam examinationem, quę ſecundum ſcripturam & Canones vnquam de illis fieri poteſt.

Porrò quicquid Clerus Colonienſis hac in re glorietur, cùm tales in numero ſuo toleret, qui in manifeſta deprauatione peruerſionéque doctrinę, ſacramentorum & diſciplinę: in damnata & excommunicationem promerita impudicitia, Simonia & ſacrilega prębendarum coacerua-tione perſeuerant, non debet illis ex authoritate ſcripturæ & Canonum, probatio & examinatio miniſtrorum Euangelij vllo modo promitti: vt à quibus nihil certius expectandum ſit, quàm quod veros ac

fideles sacrosancti Euangelij precationes non magis admissuri essent, quàm Pseudoprophetæ, pontifices, & scribę, ordinarius Clerus Hierosolymis, veros Prophetas, Christum Dominum ipsum, & Apostolos eius admissuri fuissent si eorum probandorum & admittendorum potestas illis concessa fuisset.

Deinde quantę impudentiæ quàm perfrictæ frontis sit, eam probationem ministrorum Euangelij audere postulare, quam non solum in omnem turbam suam non exercuerunt, sed ne quidem in vsum exercitiúmque reuocari patiuntur, nempe quoad iudicium populi, vnicuique Christiano iudicare obuium est. Hactenus de ordinaria vocatione & probatione ministrorum Ecclesiæ.

Nunc deinceps conantur Aduersarij respondere, Bucerum manifestis ac talibus vitiis inquinatum esse, propter quæ non debuerit iuxta verbum Dei & Canones ad hoc ministerium à vobis applicari.

Ac pro primo vitio producunt vota monastica à Bucero facta, quæ necesse sit eum vel impiè vouisse, vel impiè deseruisse.

In quo fatetur Bucerus, se vota ista in minori ætate sua per ignorantiam ac vi impulsum impiè vouisse: & propterea piè deseruisse, quia contra Deum fuerunt, & ad impiam vitam ipsum adstrinxerunt. Libenter fatetur in eo puerilem suam ignorantiam & imbecillitatem, ex qua hęc vota fecit. Porrò si ad ministerium Ecclesiæ non deberent admitti, quicunque aliquando ex ignorantia talia vouerunt ac proposuerunt, quæ fuerunt contra Deum, sequeretur nec D. Paulum, nec multos alios excellentes Euangelij ministros debuisse ad hoc ministerium adhiberi. Præterea si ab Ecclesiæ ministerio & prębendis amoueri deberent, quicunque in manifesta diuinorum votorum suorum violatione, quibus & Christi Domini, & Canonum obedientiam, præceptámque castitatem vouerunt, perseuerant, tutissimi essemus ab omni istorum hominum oppugnatione. Sed quę vlterius hoc loco dicenda essent, suprà in Articulo de votis monasticis indicata sunt.

Secundò proferunt Aduersarij primas & secundas nuptias Buceri, item quod primas cum monacha contraxerit.

Ad hoc respondet Bucerus, In eo se neque in seipso, neque in prima vxore sua vllum votum cœlibatus fregisse, vel alioquin vllum peccatum admisisse. Neque enim ipse, neque vxor eius (quod etiam Pontificalis Iudex agnouit) vllum eiusmodi Cœlibatus votum vouerunt, quod vim ligandi haberet: neque à quoquam matrimonium illis prohibitum fuisse, cuius prohibitio merito valere debeat.

Quod Bucerus copiosiùs & euidentius apud omnes se declaraturum pollicetur, qui eius rationem ab ipso postulauerint. Alioquin quomodo vero ministerio Ecclesię nec primæ, nec secundę nuptię efficiant, supra in articulo de Cœlibatu sacerdotum est ostensum.

Verum quę pietas sit, quod Aduersarij sacrum coniugium Bucero tam contumeliosè obiiciunt, perinde ac si propter illud non esset idoneus ad ministerium Ecclesię, in quo tamen plurimos tolerant, qui &

qui & monachas & legitimas aliorum vxores manifesto flagitio apud se fouent, & sæpenumero plures quàm vnam taceo vnam post alteram, adhæc priore adhuc superstite, iudicent Christiani omnes, qui verè Deum timent.

Sacrum coniugium neminem ex sua natura minus idoneum reddit ad ministerium Ecclesiæ, cùm spiritus S. id in supremis Ecclesiæ ministris, vt Episcopis, non reiiciat, quin potius requirat, 1. Timoth. 3. & Tit. 1. Recentiores item Canones permittunt his qui in ministerio Ecclesiæ constituti, matrimonium ineunt, vt nihilominus sint Christiani laici. Porrò potestatem habent Episcopi laicos quoque, qui ad hoc idonei sunt, ad docendi munus in Ecclesia subrogare, sicut videre est lib. 6. Eccles. Hist. Eusebij cap. 15.

Tertiò obiiciunt Aduersarij Bucero doctrinam, dicentes eum damnatæ doctrinæ, nempe Lutheranæ adhærere: item, Eum ab ipso Luthero & Pomerano propter alia damnata dogmata, vt ob rem sacramentariam, & iconomachiam acriter reprehensum esse.

Ad hoc respondet Bucerus. Se adhærere, & ex quo tempore Dominus cognitionem sacrosancti Euangelij sui illi communicauit, semper adhæsisse, tam in enumeratis hactenus, quàm aliis Christianæ religionis articulis huic doctrinæ quæ in Reformatione nostra, eiusdémque Apologia tradita est. Quam qui tanquam non Christianam accusare, vel Bucerum aliorum non Christianorum articulorum & dogmatum arguere potest, huic ad reddendam rationem seséque conuenienter excusandum ac defendendum Bucerus offert.

Porrò quod tum Imperatoriam tum Pontificalem damnationem, recessúsque Imperij contra doctrinam Lutheri adducunt, ad hoc respõdemus. Cæsarea Maiestas & Ordines Imperij Christianam appellationem eius partis ad Christianum Concilium detulerunt, & ipsi totum negotium ad Christianam eius examinationem & perscrutationem distulerunt. Quare non habent Aduersarij, quod damnationem istam obiicant. Quamuis sicut Christianos decet, in hoc negotio se gerere vellent, debebant solius verbi Dei damnationem citare, non recessus Imperij, vel alia humana iudicia.

Quartò proferunt etiam Ecclesiæ Cathedralis, Clericatus, ciuitatis & Vniuersitatis Colonienſis de Bucero querelam: volúntque hoc pacto probare, quod non habeat ab omnibus bonum testimonium.

Ad hoc respondet Bucerus, quod omnibus istis tam publicè per typographiam euulgato scripto, quàm propriis suis autographis obtulerit, se Coloniam ad eos venturum, ac in præsentia & conspectu eorum ad omnium accusationes & crimina responsurum: summis item precibus ab eis rogasse, vt purgationem defensionémque eius audire vellent, verum id nunquam impetrare potuisse. Quare Accusatio ipsorum exiguum pondus apud veros Christianos habet. Porrò si semper necessarium esset, eos malum habere testimonium, & ineptos esse ad ministerium Euangelij qui ab hominibus magni nominis accusantur, sequeretur etiam Christum ipsum, Prophetas & Apostolos

omnes malum testimonium habuisse, & ad hoc ministerium non idoneos fuisse: propterea quod magna Ecclesia Cathedralis, Clericatus, Consilium & Vniuersitas Hierosolymitana, eos criminabatur, maximámque eorum partem tanquam blasphematores crucifigebat & morte mulctabat.

Quintò adducunt fructus doctrinæ Buceri Argentinæ editos quos dicunt esse altarium destructionem & imaginum, abolitionem Missæ, aliarúmque piarum ceremoniarum, extinctionem omnis cultus diuini, suppressionem omnis Ecclesiasticæ libertatis, monasteriorúmque denique vtriusque sexus hominum euersionem & dissipationem.

Resp. De his rebus omnibus non aliter docuit Bucerus, nec aliud quicquã de eis fieri voluit, quàm quæ S. scriptura & Apostolicarum Ecclesiarum obseruatio, nec non nostra Reformatio requirit, & in hac illius Apologia defensum est. Quicunque aliter demonstrare potest, huic conuenienter respondere non detrectabit Bucerus. Adhæc iam antea publico scripto falsam istam accusationem satis euidenter refutauit, respondítque Argentoratenses non vlteriorem in enumeratis istis rebus mutationem instituisse, quàm verbo Dei consentanea & ad pietatis propagationem vtilis fuit.

Hoc loco annotarunt in margine. Si in hæc tempora incidisset Polycarpus, dixisset, non dubium Deus bone, in quæ tempora me reseruasti, vt hæc audiam?

Haud dubiè sic dicturus esset, si audiret, Christianos Prælatos & totum fermè gregem Clericorum Romæ & alibi, in eiusmodi Persico fastu ac luxuria viuere, patrimoniúmque Christi dilapidare, neminem esse qui sanam doctrinam populo Christi proponat: omnia in Ecclesiis peregrina lingua, sine mente, ac fructu pietatis peragi templa passim imaginibus & statuis esse referta, denique falsum Sanctorum & animarum cultum longè magis vigere, quàm cultum Christi.

Sextò citant duos libellos, quos Bucerus in Comitiis Ratisbonensibus Cæsareæ Maiestati exhibuit de emendandis abusibus, & calumniantur eos in multis articulis.

Adhęc respondet Bucerus. Legat Christianus Lector memoratos libellos, & si quid in eis deprehendit, quod verbo Dei & antiquæ Christianæ Oeconomię minus consentaneum est, vel nostro tempore ad ædificationem Ecclesiarum vim nullam habet, paratus est pluribus, & sicut res postulauerit, respondere.

Verum manifestæ calumniæ & sycophantiæ sunt, quod dicunt in dictis libellis requiri, vt opes Collegiorum omnes ad prędicantes transferantur. His enim Bucerus, neque in istis libellis, neque aliâs vllibi plus tribuendum postulauit, quàm vnicuique necessarium est, ad hoc, vt ministerium suum fideliter, ac secundum Normam verbi Dei præstare queat. Consimilis calumnia est, qua dicunt, In libellis istis ad mundana ministeria ac munera ordinari, qui spiritualib. obeũdis idonei sint, itẽ ignauis Canonicis nõuihil de opib. Collegiorum attribui, donec morte discedant.

discedant. Hoc tãtũmodo consiliũ datur, quod & omnes sapiẽtes omnib. temp. ribus dederunt, nec non verbum Dei requirit, vt singuli ad ea bona Deóque placentia ministeriáque adhibeantur, ad quæ obeunda apti sunt & idonei. Vtque de bonis Ecclesiasticis, quæ Ecclesiis donantur ac dicantur, ita ad earum vtilitatem agatur, omnibúsque subueniatur, quo necessaria administratio Curæ animarum, procuratióq; egenorum & pauperum rursus constituatur & administretur, aliáque diuina munera probè expediantur.

Non minor calumnia est & hæc, quod Aduersarij dicunt, in libellis istis Ecclesiasticę libertati derogari, & ciuilibus magistratibus in bona, personásque Ecclesiasticas plus authoritatis tribui, quàm conueniat. Verùm libelli pro se satis respondebunt, poterúntque facilè satisfacere Christianis, qui eas legere voluerint.

Septimò, Pari calumnia obiiciunt Bucero, quod ab Ecclesia sua, Episcopo & ministerio Ecclesiastico iniquè se auulserit, & in diœcesin Colonienſem ingesserit, non vocatus, sine conuenienti testimonio & commendatione. Ad hęc quod nullum Episcopum pro Episcopo agnoscat, sitque excommunicatus. Nobis igitur non licuisse, eum prædicationi verbi Dei prę ficere.

Ad hæc respondet Bucerus, vim & iniuriam sibi ab Aduersariis inferri, taliáque adscribi, quæ in æternum probare non possunt. Iamdudum se & illis & omnibus obtulit, offértque adhuc, ad demonstrandum, quod à nulla vnquam Christiana Ecclesia, & Episcopo: sed tantummodo à falsa doctrina, & à manifesta religionis Christi deprauatione & peruersione separauerit. Omnes etiam eos pro Episcopis agnoscit, qui pro talibus iuxta verbum Dei & canones haberi possunt. Ministerium suum nullibi contra ius & fas dereliquit, séque alibi ad ministrandum intrusit: sed à nobis vocatus, cum consensu Ecclesiæ Argentoratensis in Diœcesin Colonienſem concessit, ibíque prædicauit, & sacram scripturam professus est. Cuius facti sui rationem omnibus reddere paratissimus fuit, & est adhuc. Denique nemo eum conuincere potest, quod vnquam fuerit excommunicatus.

Octauò proferunt Aduersarij locum aliquem S. scripturę, Canones, dicta Patrum, & Constitutiones Imperiales, quæ & ipsis & omnibus Clericis prohibeant cum Bucero de Religione disputare, præsertim coram laicis.

In quo rursus scripturam, Canones, Patres, legésque Imperiales, perperam citant, ac improbè torquent. Præcipiunt enim quidem Hæreticum post vnam & alteram admonitionem vitare, μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ, at nullibi prohibent cum errantibus & hæreticis de religione coram laicis disputare, ad pios ab errore illorum vindicandos, quod semper antiqui Patres diligentissimè studuerunt. Longè minus prohibent cum his de religionis negotiis tractare, qui nullius erroris & hæreseos conuicti sunt, seséque ad omnem doctrinam Dei applicuerunt, & referunt, quemadmodum Bucerus semper fecit.

Adhuc nunquam conuicerunt Aduersarij, Bucerum esse hæreticum,

hoc est in falsa aliqua doctrina obstinatum. Neque etiam quantumuis multipliciter & seriò ab eo requisiti, voluerunt vllius rei vnquam ipsum admonere, vel erroris coràm arguere.

Si hoc iuris Colonienses habent, quando quis eos manifestè falsæ doctrinæ, peruersionis sacramentorum & omnis Christianę disciplinę dissipationis ex verbo Dei, ex omnibus sanctis Patribus, Canonibus & legibus Imperialibus redarguit, ipsi verò quo se defendant & excusent non habent, vt continuò pronunciare possint, talem esse hæreticum eũ qui non sit de religione disputandum, qui à nemine debeat audiri, sed statim inaudita causa è medio tolli, tunc idem ius habent, quod Pilatus Clero Hierosolymitano concedere nolebat: videlicet vt omnes quibus se exoneratos cupiunt, illico per fas & nefas tollerentur: vtque nequitiæ suæ nemini rationem reddere cogerentur.

Porrò quod dicunt, Non esse coram Laicis de religione disputandum, & errantes erroris sui redarguendos & conuincendos id cum verbo Dei apertè pugnat. 1. Cor. 14. quo in loco Spiritus S. vult infidelem coram vniuersa Ecclesia coargui, erroris conuinci & iudicari. Sic S. Patres semper errantes coram tota fidelium multitudine errorum conuicerunt. Ad quod faciendum D. Ambrosius (quem Aduersarij perperam in contrariam partem torquentes citant) Imperatori & aduersariæ parti videlicet Auxentio, eiúsque assecłis, qui Arrianam hæresin sectabantur, obtulit. In aula quidam coram aulicis Arrianis recusauit Ambrosius disputare, quamuis neque illud facere detrectasset, si ad id ab Imperatore requisitus fuisset, vt ipse scribit, presbyteríque & populus ad istum conflictum eum dimittere noluissent, nec denique ipse timuisset, ne in absentia sua Christiana Ecclesia ab Arrianis occuparetur: Legantur ipsa verba eius. Laicos enim in hac disputatione adeo non abhorruit, vt etiam ad eos appellauerit. Hæc enim sunt eius verba in Epistola 32. ad Imperatorem Valentinianum: quæ hoc loco Aduersarij citarunt.

Quales elegerit iudices (intellige Auxentius) *possumus existimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. Veniant planè si qui sunt ad Ecclesiam: audiant cum populo: non vt quisquam iudex residat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen: eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ sacerdote: si audierit illum (Auxẽtium) populus (qui certè ex laicis constabat) & putauerit melius disputare (*nota disputare*) sequatur fidem eius, non inuidebo. Omitto quia iam ipse populus iudicauit: taceo quia eum quem habet de Patre tuæ Clementiæ postulauit,* &c. seipsum intelligens. Et postea. *Si de fide agendum est, docui id in Ecclesia fieri debere, quemadmodum antecessores mei.*

Hæc sunt verba Ambrosij in eadem Epistola quam Aduersarij aliegarũt, in qua S. iste Pater etiã cõmemorat quib. verbis reliqui presbyteri & populus eum in Ecclesia retinuerint, nec permiserint illum ad aulam abire, ibiq; cũ Auxẽtio disputare, nẽpe hęc verba, De fide in Ecclesia corã populo agendum est. Rursus nota quod dicit, *Coram populo qui ex laicis consta-*

constabat. Tractatio & disputatio debet fieri à presbyteris, sed coram toto populo. Nam quicquid Christianam doctrinam concernit, id ad populum quoque pertinet. Eodem modo & Apostoli Hierosolymis de religione tractabant, Act. 15.

Iam si Aduersarij voluissent D. Ambrosium & omnes antiquos Patres in tractatione de religione imitari, non autem contrariam viam ingredi, etiamsi constaret Bucerum esse hæreticum, non minus quàm erat Auxentius (cuius tamen nunquam cum conuincere poterunt) non tantum non debuissent detrectare, verumetiam vltrò & sponte ad disputandũ cum Bucero de religione offerre, quemadmodum ipse petiit, videlicet coram nobis & tota prouincia (quam haud dubiè non reiicient tanquam infidelem) imò coram omnibus præsentibus Christianis laicis. Quod si de loco illis agendum fuisset, non admodum longum iter habuissent ex Cancellaria Bonnæ in Monasterium S. Cassij, vel aliquod ex parochialibus templis. Quinetiam sacerdotes habuerunt, quibus potuissent suas disputandi partes iniungere. Cæterum qui rectè agit, & bonum propositum habet, libenter prodit in lucem, qui verò contrà, is lucem refugit.

Non ignorant Aduersarij, quomodo D. Augustinus, sic etiam omnes antiqui Patres, qui ante ipsum fuerunt, cum manifestis hæreticis publicè de religione coram totis Ecclesiis Domini nostri Iesu Christi totáque multitudine simul collecta semper disputarint, idque & præsentibus & præsidentibus Cæsareę maiestatis Officiariis & notariis, cuius plurima exempla & testimonia passim habentur, inprimis verò in vnico illo opere Breuiculorum Augustini, in quo legitur Christianos Episcopos publicas disputationes cum Donatistis seriò petiisse, & Christianos Imperatores pro illis rogasse: solósque hęreticos, quoniam de causa sua diffidebant, fugisse.

Eiusmodi disputationes cum Donatistis habendas ordinauit Concilium Aphricanum, sicut clarè legitur in 93. 94. & 95. capitibus in Græco exemplari. In Latino cap. 58. 59. 60. Quam ordinationem istius Concilij Aduersarij iam antè impudenter negarunt.

Contra hanc disputandi rationem nihil penitus habent nec Acta Concilij Chalcedonensis, nec lex Martiani. Nemo. In his enim solummodo scandalosæ coram populo disputationes, ad seditionem euersionémque fidei excitandam, & ea quæ in Conciliis benè concluſa sunt, in dubium reuocanda institutæ prohibentur. Ita enim legitur, Turbis coadunatis, & tumultu, & perfidiæ occasionem requirens. Item semel iudicata & rectè disposita reuoluere. Horum nihil petiit Bucerus, sed hoc solum vt ea permitteretur, coram nobis & omnibus doctis Clericis, quoscunque Colonienses colligere potuissent, (qui quantò doctiores, tanto & gratiores ei fuissent) vnà cùm Christianis ordinibus Archiepiscopalis diœceseos, Christianę doctrinæ suæ in omni humilitate rationem reddere, & se à falsis Aduersariorum & aliorum sibi obiectis criminibus purgare. Idque non ad vllum

populi tumultum concitandum vel errorem inducendum, sed ob id solum, vt quod à Deo ipso, ab omnibus antiquis Patribus, & Canonibus benè iudicatum & rectè ordinatum est, rursus agnosceretur, reciperetur & erigeretur, manifesti item errores & abusus cognoscerentur & corrigerentur.

Quamobrem Aduersarij ne vnam quidem causam habere potuerunt, propter quam Christianam hanc actionem à Deo ipso & omnibus S. Patribus præceptam ac piè obseruatam denegarint: nisi hanc solam, quod cum sua causa non audent in lucem prodire.

Postremò nobis obiiciunt Comitia, eorumque recessus, nec non negotij religionis ad talia Comitia delationem.

Hic sciunt omnes pij Christiani, quod hoc sit velle negare Christum Dominum, vbi manifesta & indubitata eius mandata extant, obedientia verò illis præstanda ad humana Concilia ac decreta differtur: perinde ac si quæ mandat Dominus non prius bona sint, quàm ab hominibus bona & facienda decernantur.

Nos in nostra Reformatione nihil omnino proposuimus, nisi quod nobis à Domino manifestè præceptum est. In eo quoque quod Martinum Bucerum & alios (qui Aduersariis tantoperè displicent) ad prædicandi munus adhibuimus, nihil aliud fecimus, quàm quod nobis à Domino iniunctum est. Quamobrem Christus Dominus noster nos benè de istis omnibus excusabit, defendet, & tuebitur. Is det nobis in suo opere perpetuò felices progressus facere, omniáque obstacula propitius amouere, & omnibus quos ei patet ad vitam donauit, in hoc bonam voluntatem suam reuelare, alios verò, quo minus cursus illius impediant, benignè auertere, Amen.

Ad omnia ista copiosè defendenda Bucerus in dicta Synodo præsens Colonienſibus, sæpenumero & antè & post obtulit, vtque defensio eius audiretur multipliciter institit & rogauit. Quod verum est. Verum Aduersarij lumen semper refugerunt, fugiuntq; adhuc. Res enim eorum ita comparatę sunt, vt lucis splendorem tolerare nequeant. Deus misereatur eorum & conuertat eos. Amen.

DE LIBRO CAPITVLI COLONIENSIS SCRIPTO CONTRA REFORMATIONEM REVERENDISS. ARCHIEPISCOPI, IVDICIVM Ph. Melanchonis.

LIBER Capituli Colonienſis non proponit aliquam correctionem vllius abuſus. Imò manifeſtos furores Idololatricos adhuc defendit, inquit plus valere orationem ad certas ſtatuas, &c. Nec aliud quidquam agit, niſi vt arrodat, taxet, cauilletur vbicunque poteſt, qualicunque prętextu Reformationem Reuerendiſſ. Archiepiſcopi. Ac ſatis manifeſte apparet Capitulum illud nec veritatem quærere, nec velle conſulere ſaluti animarum, nec velle vllius abuſus correctionem admittere, ſed tantum ſtabilire præſentem formam ceremoniarum, doctrinæ, & ſtatuum, quaſi nihil habeant vicij.

Cùm igitur prorſus ab omni Reformatione abhorreant, cogitandum eſt pio Principi, vt populi ſaluti conſulat. Dentur pij Paſtores rudi populo, quod neceſſarium eſſe, manifeſtum eſt. Nunc enim ferè vbique, in iis locis, in quibus purior doctrina Euangelij non traditur, aut nulli ſunt Concionatores, aut ſunt nugatores, qui conciones conſumunt, in defenſione inutilium Ceremoniarum, & abuſuum, non dicunt de rebus neceſſariis, de vera inuocatione æterni Dei, per fidem in filium Mediatorem, de pœnitentia vera, de vero vſu Sacramentorum. Sed relinquunt populum in Ethnicis opinionibus. Hic certè omnes Gubernatores, de gloria Dei, & ſalute hominum ſollicitos eſſe oportuit.

Cùm autem Liber Capituli Colonienſis conetur flagicioſos abuſus omnes, miris fucis ornare, & verè quærat excuſationes in peccatis, vt Pſalmus dicit, fuci illi breuiter oſtendendi ſunt, vt pius Lector conſideratis fontibus iudicare poſſit, quid ſit amplectendum, aut fugiendum.

Eſt autem hoc fundamentum, cui totum ędificium Liber Capituli imponitur. Non tantùm tradita in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, ſed etiam tradita ſine ſcriptis, communi conſenſu, amplectenda ſunt, citant Ireneum. Quid ſi non haberemus literas? &c.

Respondeo planissimè & simplicissimè. Propositio illa non est vera, de his quæ pugnant cum scriptis Propheticis & Apostolicis. Deus se patefecit voce sua, & voci tribuit certum testimonium, eámque literis inclusit, vt doctrina esset certa, Et de his scriptis dicitur, si quis aliud Euãgelium docuerit, anathema sit. Ideò ex hoc ipso scripto iudicandum est. Et cũ apparet manifestè pugnare aliquid cum hoc scripto, reiiciendum est: Vt quia Alcoranum manifestè pugnat cum scriptis Euangeliis, & ea reiicit, damnari ipsum Alcoranum necesse est.

Alligauit Deus suam Ecclesiam, ad scripta Prophetarum & Apostolorum, & clarè pronuntiat illos cœtus, qui non amplectuntur hos Libros Prophetarum & Apostolorum, non esse suam Ecclesiam. Hæc hypothesis verissima est. Nam si etiam alij cœtus sunt Ecclesia Dei, tunc omnes gentium religiones subtilibus fucis excusari possunt, sicut nunc Capitulum pingit horrendos abusus Missarum, & Inuocationes mortuorum.

Nos autem illos errores in doctrina Monachorum oppugnamus, qui manifestè pugnant, cum scripto Euangelio. Ideò plenam & perspicuam causam habemus, vt si quis dicat, communem consensum Ecclesiæ esse, Indulgentiis Pontificiis liberari animas ex Purgatorio, reclamamus & dicimus, hunc articulum pugnare, cum scripto Euangelio manifestè, quia textus dicit, *Quicquid solueritis super terram*, &c. Non ait solui mortuos. Vbi igitur pugnare aliquem articulum cum scripto Euangelio, non dubium est, anteferendum esse scriptum Euangelium, quoquo modo ornentur, aut amplificentur præconia communis consensus, aut vetustæ traditionis sine scripto.

Nec Liber Capituli vexat hanc nostram sententiam, videlicet pugnantia cum scripto Euangelio reiicienda esse.

Dicimus autem pugnare cum Euangelio scripto illos errores doctrinæ Monachorum quos reprehendimus, vt manifestè pugnant cum Euangelio. Hæc deliria, quod opus Sacerdotis Missam celebrantis mereatur facienti & aliis remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato.

Item quod Sacerdoti non liceat ducere vxorem, quod opera traditionum humanarum sint cultus Dei, perfectiones, &c.

Item quod homines mortui sint inuocandi, quot exaudiant & iudicent motus cordium, quod sint datores sanitatis, &c.

Item quod homo possit legi Dei satisfacere, quod sit iustus propter propriam legis impletionem, quod debeat dubitare de remissione peccatorum, quod concupiscentia non sit malum pugnans cum lege Dei, &c.

Non mouemus certamen de rebus paruis, aut mediis, sed illa quæ pugnant cum Euangelio scripto. Volumus tolli ex Ecclesia. Ideò longa illa declamatio Capituli nos non lædit nec facit ad propositum certamen.

Deinde iniuriã nobis faciũt, quod aiunt nos nolle amplecti tradita per

synodos

synodos adprobatas, cùm in articulo de Trinitate clarè præcipiat LiberReformationis vt ille articulus doceatur iuxta Synodi Nicenæ,Cõstantinopolitanæ,Ephesinæ Chalcedonensis testimonia. Nam & nos vetera testimonia certa authoritate tradita amamus & toto pectore amplectimur,scimus probatos authores vetustissimos accepisse ab Apostolis perspicuam declarationem de Filio Dei,& de Spiritu Sancto, quod verbum apud Iohannem cum ait,*In principio erat verbum*, significet personam scilicet filium Dei,quod spiritus significet personam vbi dicitur,*dabo alium paracletum*,&c.

Gaudemus extare in Ecclesia vetera testimonia certa authoritate tradita, vt per Irenæum auditorem Polycarpi & per synodos Antiochenam & Nicœnam.

Audimus has declarationes & amplectimur, credimus autem ipsum articulum propter verbumDei scriptum,in quo si quis sine cauillatione natiuam sententiam quærat, videbit hoc ipsum dixisse scriptorem quod Irenæus aut Synodi enarrant.

Recipimus ergo & tradita per scriptores non pugnantia cum scripto Euangelio,sed habentia testimonium in ipso Euangelio, Ecclesia habet donum interpretationis, sed non comminiscitur interpretationes pugnantes cum verbis scripti, aut cum articulis fidei. *Sit*, inquit Paulus, *prophetia*, id est interpretatio, *sit analogia fidei*, id est congruat cum articulis fidei, qui certè in scripto verbo testimonium habent.

Allegant Basilium,quod Articulum de Spiritu S.defenderit,allegata veterum Ecclesiarum sententia. Placet audire veteris Ecclesiæ testimonia de omnibus articulis fidei & ceremoniis: Sed illa quæ non pugnant cum scripto Euangelio.

Audienda est Ecclesia tanquam doctrix, sed fides nititur voce Dei non humana authoritate. Præterea neque hoc verum est errores quos liber capituli defendit habere primæ & puræ Ecclesiæ testimonia.

Omnibus notum est in Ecclesia puriore circiter trecentos annos tantum fuisse communes missas,aliquot vnà communicantibus. Omnibus manifestum idololatricum decretum de Transsubstantiatione & festo corporis Christi recens esse. Omnibus notum est statuas & concursus ad statuas ethnicos furores esse qui & si fuerunt ferè omnibus tẽporibus,tamen certè prima Ecclesia & purior ab eis abhorruit.Ideò falsò prætexitur ab eis vetusta autoritas. Scio colligi exempla pauca priuatarum missarum ex antiquitate, scio allegari veteres qui etiam inuocarint sanctos.Sed illa semina fuerunt magnorum malorum, quę nunc non ad stabiliendos errores alleganda erant,sed potius extirpanda erant.Semper enim spargit diabolus aliquid vitiosorum rituum in Ecclesiam.Sicut nostrę Ecclesię nisi vigilent pastores alias aliis locis aliquo contagio polluuntur.

Humana infirmitas ignara verę inuocationis & verorum

exercitiorum fidei prona est ad superstitiones, postea homines auari propter quæstum defendunt & quærunt callidas excusationes. Sicut liber Capituli fingit declarationem Cantici *Salue Regina*. Si sic ludere licet possum pulcherrima specie Ethnicos cultus excusare. Socrates, Plato, Cicero, Xenophon, suas norant statuas non esse Deos, norant vnam esse æternam mentem causam boni in natura, vt definit Plato Deum. Deinde cogitabant hunc Deum signis aliquibus colendum esse, & eius facultates, quia nemo vnus complecti omnes posset, per partes agnoscendas & celebrandas esse. Palladem igitur colebant, id est vnum æternum numen dans sapientiam, rectricem societatis humanæ. Colebant Cererem, id est vnum æternum numen, fœcundans terram pulcherrimo ordine. Colebant Phœbum, id est, vnum æternum numen à quo lux orta est Solis, & hic ordinatissimus cursus institutus est, quo vices dierum & noctium, hyemis & æstatis facit. Et beneficia certi generis petebant in illis cultibus qua eorum beneficiorum mentionem faciebant. Sic intellecta, inquies, Ethnica religio quid habet vicij? Plurimum quia Deus non aliter quam sicut se patefecit vult agnosci. Non colitur sine verbo quod ipse tradidit. Secundo voluntas de reconciliatione semper manet ignota omnibus quantumlibet sapientibus ignorantibus promissionem. Cato norat esse Deum rerum conditorem, iustum, curantem Imperia. Sed cùm se in causa iustiore deseri videret, miratur ipse Dei consilium, & se exaudiri negat. Obruitur ergo dubitatione infinita, an curet Deus humana, an exaudiat, quos cur exaudiat, agnoscit etiam se aliqua vicia habere, propter quæ non exaudiendus sit. Talis animus non potest inuocare Deum. Ideò Ethnici ignari Euangelij, quis sit Deus, cur exaudiat, quomodo condonet delicta, vnde sint calamitates humanæ, quare iusti etiam premantur calamitatibus, sine hac doctrina nequaquam possunt ad Deum accedere, aut verum Deum alloqui, aut voluntatem eius agnoscere.

Retinendum est igitur verbum Dei, & ille Deus inuocandus est, qui se hoc verbo suo patefecit, & statuendum est, hanc esse eius voluntatem, quam in verbo suo expressit.

Magna astutia Diabolus conatur stabilire hanc persuasionem fingi licere cultus Dei, non curandam esse vocem Dei & scriptum Euangelium, sed anteferenda hominum iudicia, longi temporis consuetudinem.

Et excogitatæ sunt artificiosæ præstigiæ, citantur Patres, veteres canones, etsi sæpe falsò allegantur, tamen horum nominum & antiquitatis reuerentia multos mouet.

Nos aduersus has insidias opponamus scriptum Euangelium & Antiquitatis incorruptæ testimonia, dicamus quod res est Ecclesiam alligatam esse ad verbum Dei. Non admittamus fucos & glossas quales sunt confictæ de cantilena, *Salue Regina*, Item de Canone Missæ, &c.

Nam

Nam verba ipsa pugnant cum glossis, & sunt, vt dicitur, protestationes contrariæ factis, imo sæpe & ipsæ glossæ sunt falsæ, & qualescúque sunt, præstigię sunt, abducentes à verbo Dei. Teneamus autem dictum illud. *Lucerna pedibus meis, verbum tuum.*

De secundo Fundamento.

ALiud fundamentum in operis exordio etiam addunt. Motis dissordiis nihil ante determinationem Romanæ sedis aut legitimæ Synodi in recepta consuetudine mutandum est, Ergo & nunc expectare Episcopi & principes, Romanæ sedis aut legitimę Synodi determinationem debebant.

Respondeo ad Antecedens, verum est antecedens, cùm quæstio est de rebus indifferentibus, vt de die Paschatis erant controuersiæ, sed de doctrina necessaria seu articulis fidei nequaquam verum est vt prædicantibus Apostolis nemo in populo Iudaico expectare debuit decisionem Collegij Sacerdotum regnantium in populo. Sic prędicantibus Prophetis contra idola, omnes debebant idola fugere, non expectato iudicio Pontificis & Sacerdotum. Sic cùm Augustinus refutare inciperet Pelagianos errores, magna pars doctorum & Ecclesię sequebantur Philosophiam Origenis, & amiserāt veram doctrinam de Iustitia fidei. Hic non expectata synodo pij amplecti debebant doctrinam meliorem, denique manifesta res est, vbicunque & quocunque tempore agnoscimus errorem in aliquo articulo fidei, aut opere, vt in cultu idolorum, mox error obiici debet, non expectata vllius hominis autoritate, quia hoc mandatum est æternum & immutabile. *Non habebis Deos alienos.* Item, *Hunc audite.* Item, *oportet Deo magis obedire quàm hominibus.*

Zach. 10. dicitur, *Super Pastores iratus est furor meus.* Hanc concionem nunc quoque audiant Pastores qui præcipuè stabiliunt idola. Vbi plus est manifestę idolatrię quàm in ipsa vrbe Roma. Et tot iam annos frustra flagitata est Synodus.

Quare frustra iubet Capitulum Colonienſe expectare Romanæ sedis aut Synodorum iudicia. Deinde homines periti aulicorum consiliorum satis intelligunt quò spectet talis oratio quæ iubet expectari Synodos. *Arte res extrahitur, & mora nectitur, vt eludantur pia consilia.*

Matth. 18. Clarè dicitur, *Si oculus scandalizat te, erue eum,* quę sententia præcipit, ne sequamur oculos, id est, doctores, qui docent pugnantia cum Euangelio, Etiamsi totus mundus amplecteretur articulum pugnantem cum articulis fidei aut mandatis Dei, & tantum vnus homo reliquus esset, qui errorem intelligeret, hunc necesse esset profiteri veram sententiam & discedere ab aliorum iudiciis. Hoc cùm non dubium sit, quid igitur nugatur Liber Capituli, expectandam esse determinationem Romanæ sedis. Ne illi quidem expectarunt, qui in eo libro articulum de Iustificatione scripserunt longè aliter quam sentiunt illi qui se iactitant sentire cum Romana sede. Ex nostra sententia sum-

pserunt, quod dicunt, etsi nos criminantur non omnia de Iustificatione complexos esse, quam criminationem falsam esse liber ipse ostendit? Recitaui breuiter duo fundamenta libri, quibus impedire emendationem conatur. Sed cùm omnes boni viri & amantes Ecclesiam ac veritatem Dei palam videant, illa fundamenta esse inanes præstigias & sophismata conficta vt obruatur lux veritatis, iustissimum est reiicie.

III.

Postea incipiunt singula dicta in Libro Reformationis calumniari. Multa autem volumina implenda essent, si omnes cauillationes refutare vellemus. Sed pleræque ita sunt inanes & ieiunę, vt Lector mediocris vanitatem earum facilè per sese coarguere possit, qualis est hæc calumnia.

Nos toties diximus de omnibus articulis fidei & mandatis Dei docendos esse homines. Et alicubi posuimus hæc verba. Hanc esse summam doctrinæ Ecclesiasticæ, & ad eam referendas esse omnes conciones, videlicet, prædicationem pœnitentię & remissionis peccatorum, sicut Christus Lucæ vltimo summam doctrinæ complectitur. Et est erudita summa causas finales omnium articulorum & dogmatum fidei monstrans, hic isti sycophantæ vociferantur nos mutilare doctrinam Ecclesiæ, Si tantum de pœnitentia & remissione peccatorum dicendum sit. Alio loco de precatione dicunt nos nolle dici precationes adhunc finem vt Deus honore adficiatur, cum nostra sententia hæc sit recitationem verborum & illam vsitatam εὐλογίαν non esse cultum Dei, ex opere operato, vt ipsi loquuntur.

Talibus calumniis vbique refertus est Liber Capituli, quare pius Lector cogitet an autores eius scripti quærunt aut ament veritatem.

Multas etiam controuersias de nouo mouent, quas nos consultò prętériuimus. Sæpæ etiam falsa nobis tribuunt. Nusquam in Libro Reformationis contendimus an vicium reliquum in renatis propriè peccatū dicatur: Totam hanc quæstionem prętériuimus diligenter, vt apparet in Loco iustificationis. At nunc isti sycophantæ longam declamationem instituerunt de ea disputatione. De qua breuiter dico: si volunt reliquias caliginis contumaciæ in renatis non esse malum pugnans cum lege Dei, errant flagitiosè. Et manifesta est sententia, ex 7. capite ad Roma.

Eodem loco calumniantur nos, dicunt nos confirmare Manichæos furores, damnare opus creatum Dei. Hęc etiam est manifesta iniuria, vt testatur in Lib. Reformationis, Articulus de causa peccati.

Nec dicimus, Timorem seruilem inutilem esse, Imò de disciplina clarè dictum est, diuinitus eam postulari, & violationem disciplinæ horribilibus præsentibus & æternis pœnis puniri. Postea nugacissimas nugas dicunt, constituunt duas vias salutis, primum omnia remitti peccata propter Christū in baptismo, postea labētes debere per Eleemosynas quærere

quærere remissionem. Ad hoc allegant Cyprianum, ac memini ea verba in quodam loco esse apud Cyprianum siue liber est *primus* siue suppositititius, hoc ipsum dictum reprehendendum est, omnibus conuersis ad Deum, quocunque tempore quærenda est remissio peccatorum & accipienda fide, id est fiducia misericordiæ propter Christum promissæ. *Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*

Nec merentur eleemosynæ aut vlla nostra opera remissionem culpæ. Si aliter sentiunt illi scriptores in capitulo Colonienſi, dico eos contumelia adficere Christum & Euangelium. Valdè multa prætereo in scripto Colonienſi, Sed præcipua attingo, vt lector candidus & ingenuus videat, quid dicant in præcipuis locis.

IV.

De Iustificatione.

INiuriam nobis faciunt cùm dicunt nos non complecti regenerationem per Spiritum Sanctum in Conuersione hominis. Et quod eam complexi simus, Liber ipse Reformationis testabitur. Deinde etsi ipsi ex nostris fontibus sumpserunt articulum de Iustificatione, tamen nos calumniantur, dicunt nos omittere regenerationem, item nihil dicere de fiducia bonæ conscientiæ, corrumpunt & illa quæ de fiducia bonæ conscientiæ, dicenda sunt.

Ego vt non agam contentiosè, concedo eos de Iustificatione nihil admodum discrepare à vera & nostra sententia. Sed ipsi postremo iterum inuoluunt eam, & aliàs sæpe dicunt contraria huic ipsi articulo: sicut paulò antè dixerunt, quærendam esse remissionem peccatorum per eleemosynas.

Item hic ponunt duas fiducias, fiduciam remissionis peccatorum, & fiduciam bonæ conscientiæ. Sed non discernunt. Fiducia bonæ conscientiæ non statuit de acceptatione personæ, sed tantum singulorum operum. Et est restricta ad hoc, quantum nos iudicare possumus, seu quantum nos conscij nobis sumus. Vt Petrus habet fiduciam bonæ cõscientię quod non prodiderit Christum, sed non propterea statuit personam placere, vt Paulus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Hac re explicata postea congruit hic articulus in scripto Colonienſi cum vera sententia & nostra. Fortassis hic homo contentiosus & quærens certamina de formis loquendi, magnas tragœdias mouere posset. Sed de re loquor, non quæro infinitas rixas. Ipsi clarè fatentur illud Formulæ Iustificationis quo niti debemus, esse imputationem iustitię, quapropter Christum placemus. Hoc cùm confitentur, re congruunt nobiscum, verba eorum hęc sunt: *daruff vvir bestehrn sollen.*

V.

De vsu integro Sacramẽti multa colligũt, quib⁹ omnibus oppono vnũ

hoc dictum. Illa omnia collecta non probant prohiberi posse vsum integri sacramenti prohibitionem esse iniustam manifestum est.

Nec nos damnamus Ecclesiam vtentem vna specie, Sed damnamus prohibentes integrum vsum, & addentes *sanctiam*, & complectentes multorum aliorum articulorum verissimorum & præcipuorum oppugnationem. Hos prohibentes & oppugnantes veritatem dicimus non esse membra Ecclesiæ.

Sub quibus tamen multi homines sunt membra Ecclesię Dei vel firma vel infirma, sicut sub Anna & Caipha erant Simeon, Zacharias, Maria, Ioseph, Elizabeth, & alij innumerabiles, quamuis alij aliis plus lucis haberent. Manet in Ecclesia multiplex infirmitas, sed discernenda est ab infirmitate, furor eorum qui scientes veritatem oppugnant, & peccant aduersus Spiritum Sanctum.

Litigant & de Transsubstantiatione, quam sciunt esse nouum inuentum, & manifesta esse testimonia antiquitatis contra Transsubstantiationem. Clarè dicit Irenæus, *Eucharistia constat duabus rebus terrena & cœlesti.* Et Epiphanius: *Cibus est panis, sed virtus Dei adest ad vinificationem per fidem & efficaciam.*

Item de reseruatione & circumgestatione & similibus spectaculis confirmant manifestam idolatriam. Nam certissimum est Deum non esse obligandum ad vllam creaturam ad quam se non alligauit verbo suo. Imò hæc est omnium gentium idololatria, quod Deum alligauerunt ad statuas: id est, senserunt, Deum magis exaudire pro frugibus ad statuam Cereris, & tali cultu exhibito, quàm aliàs. Magis exaudire, pro victoria, ad statuam Martis, & exhibito tali cultu, quàm aliàs.

Non autem alligauit se Christus ad panem extra hanc actionem, nec adest propter panem, ideò ista spectacula circumgestandi & adorandi panem, execranda sunt.

Profecto ingenti dolore omnes pij affici debent, quod tantus error, tantæ tenebræ, tanta contumelia Dei in Ecclesia, per illos ipsos qui errorem intelligant, stabilitur.

VI.

De missa contendunt quod sit sacrificium, & excogitarunt quatuor res offerri I. Panem & vinum ante consecrationem. Secunda gratiarum actionem III. Christum, IV. Ecclesiam.

Non est disputatio nisi de tertio. Solus Filius Dei ipse sese obtulit.

De hoc est quæstio, an sacrificuli offerunt Filium Dei, item an hoc suo sacrificio mereantur facientibus, & aliis remissionem peccatorum, aut alia bona, victorias, liberationem ex pœnis Purgatorij, &c.

Quanquam autem valdè multa congesserunt scriptores capituli, tamen hęc omnia non probant missam tale sacrificium esse, quod mereatur aliis remissionem peccatorum aut alia bona.

De remissione peccatorum manifestum est: quia articulus fidei clarè dicit,

dicit, *Iustus fide sua viuit.*

De aliis bonis etiam manifestum: quia est institutum sacramentum propter res spirituales, non propter bona corporalia.

Multò minus ad liberandos mortuos. Quia institutum est ad fidem viuentium exercendam. Veritas est simplex & plana, & nostra fundamenta sunt perspicua. Econtrà perspicuus est abusus, quod populus missas sibi fieri curat, & curauit, vt id opus mereatur vel gratiam, vel victorias, vel fœlicem nauigationem, vel similia.

Hæc quoquo modo fucantur, tamen sunt impia & ethnica & abusus. Ideo gubernatores debent hos abusus tollere, doctores rectè docere de vsu Cœnæ Domini, quòd sit sumenda ad excitandam fidem.

Deinde hoc quoque falsum est, quod declamitant in libro Capituli, quod virtutem conferat ipsum sacrificium sacrificanti, quasi ex opere operato prosit, sicut est communis persuasio. Fingunt prodesse Missam sacerdotis mœchi, populo aut certis hominibus, pro quibus fit, & mereri illis ex opere operato gratiam, bona corporalia, liberationem ex purgatorio.

Hos manifestos abusus confirmant illi noui fuci in libro Capituli, qui nihil sunt nisi inanes præstigiæ verborum, quas Paulus caueri iussit. Res spectentur, quid vbique toto orbe terrarum fiat, qua mẽte, quo intellectu, quo fine, celebret Missas hæc ingens multitudo sacrificulorum indoctorum & pollutorum. Videant quid in ipsa Colonia, quid Lutetiæ, quid Romæ, Venetiis, fiat, quæ sit intentio, quæ voluntas sacrificantium.

Et fuisse antiquum morem alium, ipsi scriptores Capituli norunt, fuisse vnam communem missam, in qua pij non contaminati manifestis delictis vnà sumebant. Talem fuisse morem certum est, etiamsi nunc quædam exempla priuatarum missarum ex Aphrica adferunt, obscura & contraria publico mori eius ætatis, quæ fuerunt semina maiorum abusuum.

Vituperant etiam formam, quod non addatur precatio, vt fiat corpus Christi. An putant fieri corpus propter sacrificuli preces? fit propter ordinationem Christi, sicut certum est adesse spiritum S. cùm administratur baptismus. Adest autem propter institutionem & ordinationem, ita huic sacramento adest Christus in actione quam instituit propter suam ordinationem. Ideò non iustè vituperant hanc piam communionem ac sumptionem Sacramenti quam proponit reformatio Reuerendiss. Electoris Colonienſis. De Inuocatione Sanctorum extat eruditè, piè & copiosè scriptus liber D. Buceri, qui refutat omnia quæ scriptores Capituli collegerunt. De Confessione acerrimè dimicant, & reformatio Reuerendissimi, retinet priuatam absolutionem & aliquam confessionem ac enumerationem. Sed Capitulo hęc non satisfaciunt, disputant Claues esse potestatem arcanæ inquisitionis, hoc falsum est simpliciter. Et possunt non solùm ex Scripturis diuinis, sed etiam ex veteribus scriptoribus multa contra hoc nouum & subtile mendacium proferri.

Habet Ecclesia iurisdictionem, & iudicat de manifestis seu illis quæ possunt per testes conuinci. Vt textus dicit, *tu quis es, qui iudicas alienam conscientiam*, &c. Item, *Si peccauerit in te frater tuus, argue eum*, &c. In te inquit, quod est te sciente. Item vsitatè dicitur, de Occultis non iudicat Ecclesia. Ac profecto magna audacia est, quod clauem interpretantur potestatem arcanæ inquisitionis.

Sed hæc aliàs copiosiùs.

Cùm autem nihil cedant de votis & de cœlibatu, & videant manifestas turpitudines, cogitandum est pro Archiepiscopo, an propter horum iniustam pertinaciam, salus aliorum negligenda sit.


Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi regat & emendet, & seruet sibi Ecclesiam suam, quæ eum in hac vita, & in vita æterna verè celebret. Amen.

FINIS.

MARTINVS LVTHERVS
Ph. Melanchthoni. S.

ANTEQVAM Ascendisses currum, mi Philippe, per legeram tuum hoc scriptũ, quantũ nec soleo, nec potui iam diu ieiunus legere. Sed fecit hoc quod tribus verbis aliquoties vnam chartam impleueris, literis interim trãsmissis, alioquĩ tantum codicem, si mea vel alterius manus esset, vix multis hebdomadis perlustrassem. Et sum recordatus Philosophiæ de quatuor caussis. Primò finalis caussa summè placuit, quia & hanc Pomeranus eruditè, & copiosè tractat, in 4. cap. ad Cor. Efficiens caussa non displicet. Materiali caussæ compassus sum, scilicet quod tantum papyri absumptum est à te. Sed formalis caussa me delectabat, quod in tot lituris, tam modicis verbis, tantas res complexus es. Tibi itaque gratias ago, quod tuo beneficio tantas chartas potui perlegere, ferè vno quartali horæ. Sed seriò mihi res placet. Nam vt rumpantur omnes, impossibile est Ecclesiam, vllius temporis, facere idæam omnium temporum. Si extra Articulos fidei quæratur. Tempora enim necesse fuit, est, erit, mutari cum iis rebus, quę tempori & locis & personis subiectę sunt, Ecclesia verò intra Articulos fidei, est vna simplex perpetua idæa, per omnia secula seculorum, vt Paulus dicit, columna veritatis semper sibi simillima, quia scriptum est, & res ipsę probant, esse vicissitudinis obumbrationem, & transmutationem, in omnibus aliis rebus. Solum apud Deum (qui est Ecclesiæ caput) nulla est transmutatio. Verbum autem eius (quod manet ęternum) est in Ecclesia, hoc facit Ecclesiam esse semper eandem, sicut ipsum semper est idem. Tantũ vt aliis possis (si opus sit) ostendere meam stultitiã, quæ definita sententia dictat, Ecclesiam extra scripturam, seu verbum Dei non posse similem sibi per tempora esse. Quia in hoc casu ipsa quoque subiecta est, non modò transmutationi sed vanitati quoque. Quando & ipsorum Apostolorum vita longè alia est, quàm doctrina sicut & nostra & omnium sanctorum ab initio mundi. Quare non secundum vitam vel dicta sanctorum, sed secundum fidem sanctorum omnia sunt iudicanda, id est, secundum verbum Dei, vt Epistola dicit, Quorum intuentes conuersationem imitamini fidem, i. verbum Dei. Saluta omnes nostros, & exerce Dominum Casparem à Deitleben hac figura. Cętera D. Ionas. Sabbatho Innocentum. 1539.

T. MARTINVS LVTHERVS.



M. BVCER

DEFENSIO

Th
6138